UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jubilæum Sæculare Ecclesiæ Catholicæ Per Septendecim Sæcula Militantis & Triumphantis Contra Idololatriam, tyrannos, hæreses, schismata, errores, & scandala

Per Septendecim Sæcula Militantis & Triumphantis Contra Idololatriam, tyrannos, hæreses, schismata, errores, & scandala ; Ex Annalibus Ecclesiasticis collectum Pro Xenio Oblatum Academicæ Sodalitati Dominorum B. Mariæ Virginis Annunciatæ Herbipoli, Anno ...

Herbipoli, 1702

urn:nbn:de:hbz:466:1-64733

Visual Library



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

N
1
16
Th. 4997.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

JUBILÆUM SÆCULARE ECCLESIÆ CATHOLICÆ PER SEPTENDECIM SÆCULA IN TERRIS MILITANTIS ET TRIUMPHANTIS

Contra Idololatriam, Tyrannos, hæreſes, ſchiſmata, errores, & ſcandala,

PRO XENIO OBLATVM

Sodalitati Academicæ

B. MARIÆ V. ANNUNCIATÆ

Herbipoli, Anno M. DCC. II.

CUM PERMISSU SUPERIORUM.

Typis Joan. Michaelis Kleyer, Univerſ. Typogr.

PARS QUARTA JUBILÆI SÆCULARIS,

Complectens SÆCULUM Decimum sextum, & decimum septimum, ab anno 1500. ad 1700.

S. Gregorius in Moralibus.

Tunc Sancta Ecclesia valentiùs in veritate reficitur, cùm ardentiùs pro veritate fatigatur.

S. Augustinus lib. 5. de Bapt.

Ecclesia est sicut lilium inter spinas, est bonis & malis permixta.

ADMODVM REVEREN-
DO, PERILLVSTRI, ET
GRATIOSO DOMINO,
DOMINO
FRIDERICO
JOANNI
GEORGIO
L.B. à SICKINGEN,
Eccleſiar. Imper. Bamberg.
& Cathedralis Herbipol.
CANONICO
CAPITULARI,
Reverendiſs. & Celſiſsimi
Principis & Epiſcopi Herbip:
CANCELLARIÆ
PRÆSIDI,
Univerſitatis Herbipolenſis
RECTORI MAGNIFICO,
Sodalitatis Majoris Academicæ
PRÆFECTO.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Admodùm Reverendis,
Perillustribus, Præ nobilibus,
Magnificis, Eximiis, Consultissimis, Experientissimis,
Prudentissimis
MAGISTRATIBUS
SODALITATIS.

✲ ✲ ✲

D. CHRISTOPHORO PFOCH, Novi Monasterii Canonico Capitulari, & Cellario.

D. LUDOVICO WILHELMO JOSEPHO OTTO, Juris-Consulto, Reverendissimi & Celsissimi Principis in Feudalibus Secretario.

ASSISTENTIBUS.

✲ ✲ ✲

D.

D. Franciſco Georgio Fauſt â Stromberg, Eccleſ: Imperialis Bambergenſis, & Cathedralis Herbipolenſis Canonico Capitulari, Præpoſito in Vorcheim.

D. Ignatio Theobaldo Hartmanno à Reinach, Eccleſiæ Cathedralis Herbipolenſis & Equeſtris Comburgenſis Canonico Capitulari, Reverendiſſimi & Celſiſſimi Principis & Epiſcopi Herbipolenſis Cancellariæ Præſidi.

D. Franciſco Petro L. B. à Sickingen, Imperialis Eccleſiæ Bamberg. & Cathedr. Herbipolenſis Canonico Capitulari.

D. Franciſco Schild, Eccleſiæ Collegiatæ in Haugis Canonico Capitul: Reverendiſſimi

& Celsissimi Principis Consiliario in Spiritualibus.

D. Georgio Andreæ Scheffner, Reverendissimi & Celsissimi Principis Consiliario, & Jurisdictionalium Secretario.

D. Adamo Conrado Reibelt, J. U. Doctori, Reverendissimi & Celsissimi Principis Consiliario.

D. Joanni Philippo Gantzhorn, Reverendissimi & Celsissimi Principis Consiliario.

D. Joanni Casparo Christiano Papius, J. U. Doctori, Reverendissimi & Celsiss. Principis Consiliario.

D. Hieronymo Conrado Virdungo ab Hartung, Medicinæ Doctori & Professori, Reve-

ren-

rendissimi & Celsissimi Principis Archiatro, Aulæ & Civitatis Physico.

D. Melchiori Gernert Canonico Capitulari in Haugis.

D. Francisco Ludovico Faber, Novi Monasterii Canonico Capitulari.

D. Joanni Andreæ Göppel, Consilii Aulici Secretario.

D. Joanni Christophoro Fries, J.U. Doctori & Consilii Aulici Secretario.

D. Dominico Zecher, Senatori Herbipolensi.

D. Andreæ Schugk, Summi Templi Vicario & Succentori.

D. Joanni Melchiori Schenckel, Summi Templi Vicario.

D.

D. Georgio Adamo Faber, Vicario in Haugis.

D. Laurentio Schultheis, Reverendissimi Domini Suffraganei Sacellano.

DD. CONSULTORIBUS.

✲ ✲ ✲

D. Francisco Bauman, Judicii Civici Assessori.

SECRETARIO.

Dicant,
Dedicant,
Consecrant q.

Consodales Mariani.

✲ ✲ ✲

SÆCULUM DECIMUM SEXTUM,

Continens res in Ecclesiâ memorabiles, quæ contigerunt ab anno Christi 1500. ad 1600.

DECAS I.

(Ab anno Christi 1500. ad 1510.)

(1501.)

INter multas & magnas calamitates quibus Ecclesia jactatur, præcipuè recensentur funesta Principum Christianorum inter se dissidentium bella, quorum noxiâ collisione contingit, ut furor Ottomannicus in Provincias Christianas irrumpat audaciùs, hæreticæ pravitatis virus proserpat pestilentiùs, & mores tum in populo

pulo tum in Clero fædiùs corrumpantur, ut verbis Sponsæ Cantic. 1. v. 5 supra modum conqueri, & justi mœroris sui causam inconsolabilibus threnis Ecclesia exponere possit: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me, & ideò nolite me considerare, quòd fusca sim,* & aliquâ nigredine notata deforis, quæ intùs semper formosa sum, *quia decoloravit me sol,* æstus scilicet & ardens libido regnandi, populisque per orbem velut unius solaris Majestatis supremo jubare dominandi.

Ejusmodi motuum & turbarum initium hoc sæculo fecerunt Ludovicus XII. Rex Galliæ, & Ferdinandus Rex Hispaniæ, qui consiliis inter se initis de ejiciendo Friderico Rege Neapolitano sub specie bellum Turcis inferendi, contra eundem nihil tale suspicantem arma subitò converterunt, regnumque illud occupârunt, & inter se diviserunt, Alexandro VII. factum hoc approbante & diplomate confirmante, quo Ludovicum Francum Neapolitanum & Hierosolymitanum Regem, Ferdinandum autem Hispanum Ducem Apuliæ dixit, variis de hoc Pontificis facto variè sentientibus, & privato cujusque interprete affectu sensum suum divulgantibus. Apulia igitur & Calabria Hispano, Franco autem

autem Neapolis cum reliquo regno cessit, Fridericus contra regno exutus parens in Galliam, ejus verò filius pariter dictus Fridericus, Calabriæ Dux in Hispaniam abducti, utrobique honorificè quidem ac regaliter habiti, quibus tamen regnum & libertas, quam unicè optabant, semper defuit: neque Friderico patri ad damnum compensandum vel mœrorem leniendum sufficere potuit Ducatus Andegavensis à Ludovico Franco cum regio titulo annuâ triginta millium aureorum pensione concessus, neque divisio regni Neapolitani Gallos & Hispanos tam firmiter univit, ut non continuò divisis quoque auimis adversa arma colliderent.

Galli, Hispani, & Itali contra Turcas profecti ad Mytilenem Insulam cæduntur culpâ Venetorum, qui inopinatò pacem cum Turcis constituerunt. Et hæc quidem expeditio adversùs Turcas suscipienda prætexebatur, ùt causa Fridericum Turcis confœderatum regno suo exturbandi.

Philippus Archi-Dux cum Joannâ uxore â Ferdinando Hispano invitatus, per Galliam transit, ubique magnificè susceptus à Ludovico, ac præsertim Blesis, ubi etiam Claudia Ludovici filia Carolo filio Philippi promissa est cum dote Ducatûs Mediolanensis.

Reverendi PP. S. Franciſci animarum zelo incenſi Evangelii Prædicandi causâ primi in Indiam Orientalem perveniunt.

Cæſar Borgia Dux Valentinus Alexandri Papæ filius magnis auſibus ad Imperium Italiæ adſpirat, & captâ Faventiâ Florentinos, ad quas optabat, conditiones ineundas impellit.

Poloni ac Moldavi cum Tartaris Zavolnenſibus adversùs Procopenſes, ſeu Tauricos Tartaros fœdus ineunt, ut ſic diviſi infirmiores eſſent, & minùs formidandi.

Joannes Albertus Rex Poloniæ in expeditione coutra Fridericum Teutonicorum Equitum Magiſtrum, negantem ſibi juramentum fidelitatis de Pruſſia apoplexiâ extinguitur, cui ſuccedit frater ejus Alexander Magnus Dux Lithuaniæ maritus Elenæ filiæ magni Ducis Moſchoviæ, ſed ſchiſmaticæ, cui proinde regium diadema negatum eſt.

Joannes Rex Daniæ proficiſcitur in Sueciam, pulſus factione Stenonis, qui regni Gubernator erat, eo prætextu, quòd, quæ jurâſſet, non præſtaret.

Sanguinea pluvia & cruces ſanguineæ in veſtibus paſſim per Germaniam apparent

✲(1502)✲ In regno Neapolitano inter

Hiſpa

Hiſpanos & Gallos diſſidia oriuntur, quorum initia poſuerunt Ludovicus Armeniacus Dux Nemoroſius & Gonſalvus magnus Capitaneus propter partitionem terræ inter ſe rixantes, unde & Reges concitati in arma ruerunt, & Gallis quidem initia belli fuerê felicia, ſed exitus funeſtus, à Gonſalvo egregio Duce Ferdinandi Regis, omnibus Francis expulſis, qui propterea nomen magni Ducis conſecutus eſt ob res pro Rege ſuo Hiſpano tam præclarè geſtas.

Waltherus Livoniæ Magiſter poſt aliquas clades Moſchis illatas, ab ipſis invaſus, eoſdem cum paucis militibus tormentorum fulminibus territos ad Pleſchoviam vincit, & ad pacem valde ſibi proficuam compellit.

In Diœceſi Spirenſi à duobus ruſticis exorta eſt conſpiratio agricolarum contra Epiſcopos & Canonicos, quæ dicta eſt *Liga ruſticorum*, cujus conſpirationis præci, puus articulus fuit, ut omne jugum excuterent, & Helvetorum imitatione libertatem ſibi vendicarent; ſed juſſu Maximiliani Imperatoris pœnas dederunt.

✲(1503.)✲ Galli ex regno Neapolitano ab Hiſpanis ejiciuntur virtute atque conſtantiâ Gonſalvi Ducis, qui Barlettæ obſeſſus non modò urbem fortiter propu-

gnavit, sed multis cladibus hostem affecit, & Gallos inconsultè in prælia ruentes bis delevit, primò ad Seminariam in Calabria, ubi victus Albinius & captus in arce Angitolâ, deinde graviore prælio ad Carniolam in Apulia, ubi Dux Nemorosius cecidit, & Galli se Caretam receperunt, quam statim Hispani terrâ marique obsedêre. Huic urbi modis omnibus subvenire conatus est Ludovicus Rex Galliæ Ducibus Tremolio & Francisco Gonzagâ Mantuano, sed cùm Tremollius obiisset, & Franciscus circa Romam diutiùs hæsisset sede tunc vacante Pontificatum Cardinali Ambaciano procuraret, datum est tempus Gonsalvo sui exercitûs corroborandi, unde virtute Hispanorum tandem Francicus exercitus 6. Kal. Januarii prorsus deletus est,& Petrus Medicestum Gallorum fautor cum multis nobilibus in ostio Liris fluvii haustus est, & Caretâ deditâ Gonsalvo Kalend: Januarii. Albinius liberatus,Franci turpiùs ejecti sunt regno, quam id glorioſiùs intraverant. Hæc Prietius.

Alexander Papa VI.moritur ex veneno per errorem propinato, & à filio suo Cæsare Duce Valentino parato. Valentinus enim Cardinalem Ursinum & pecuniosos quosdam

quosdam alios Cardinales è medio sublaturus, cum Pontifice invitavit ad cænam in hortis Cardinalis Sancti Chysogoni, dato servis medicato vino, quod Cardinalibus offerretur. Verùm per imprudentiam mutata sunt vasa, & medicatum vinum biberunt Alexander, & ipse Cæsar filius Borgiæ (Alexandri VI.) Dux Valentinus. Pontifex utpotè senex, & qui meracius hauserat, nullo remedio sanari potuit, & obiit, omnibus Sacramentis ritè munitus: filius autem Borgiæ Cæsar, qui dilutius hauserat, & juvenis exenteratæ mulæ visceribus inclusus pilos tantùm omnes & cutem perdidit. Mortuo Pontifice Valentinus adhuc graviter ægrotans, veritus tumultum Romanorum Nepetum cum suis copiis lecticâ se recepit, & inde in Castellanam civitatem, rebus suis improviso patris obitu desperatis & eversis, quem demùm variâ fortunâ exagitatum Gonsalvus dolo cepit, & victum in Hispaniam transmisit, ubi detentus in castro corruptis custodibus fugit ad Joannem Navarræ Regem, nec multò pòst in tumultuariâ militum excursione anno 1507. incognitus cæsus est & spoliatus, vir improbus usque ad parricidium Pontificis ad opprobrium Ecclesiæ & fermè generis humani natus.

Alexandro VI. suffectus est Franciscus Picolominius Senensis, Pii II. sororis filius, dictus & ipse Pius eo nomine tertius, vir bonus, & vitâ diuturniore dignus, nam decimo pòst die obiit ; cui subrogatus est Julianus de Ruvere, Savonensis dictus Julius II. Hic, ut venerabilior appareret, (non terribilior, ùt alii volunt) contra morem suorum antecessorum barbam aluit, cui etiam S. Franciscus de Paula Pontificatum prænunciavit.

Alphonsus Albuquercius *Magnus* cognominatus, tum ob fortitudinem, tum pietatem, quæ in tanto viro haud dubiè prævaluit, ab Emmanuele Rege Lusitaniæ in Indiam mittitur, eamque Lusitanorum potestati asserere incipit.

Vixit hoc tempore Ambrosius Calepinus, Ordinis Eremitarum S. Augustini, sic dictus à vico Calepio in agro Bergomate, qui obiit anno 1510. & opus omnium manibus terendum reliquit.

PICKARDUS HÆRETICUS.

Pickardus Hæreticus in Eucharistiæ Sacramentum blasphemus hoc anno comburitur Parisiis, ab eo dicti hæretici Pickardi, juntque alii ab iis Adamitis, de quibus superiore Sæculo. Et ab utroq; eo Pickardo alius est prorsùs insignis Theologiæ Doctor Parisiensis Franciscus Pickardus, qui obiit anno 1558. 1504.

✠(1504.)✠ Isabella Regina Hispaniæ moritur 26. Novembris relictâ Joannâ filiâ uxore Philippi Belgæ Archiducis Austriæ hærede ex asse & Ferdinando marito administratore, donec Carolus Joannæ filius adolevisset; unde Philippum inter & Ferdinandum ortæ dissensiones.

Hispani expulsis Gonsalvi artibus Francis in regno Neapolitano non ex suis stipendiis, sed rusticulorum laboribus vivere incipiunt: quorum exemplum deinde aliis gentibus militaribus imitantibus, milites passim non in hostico tantùm, sed etiam inter suos facti sunt publici & tolerati grassatores.

Veneti cum Turcis pacem iniêrunt, quam non refugiebat Bajazethes. Causa urgendæ pacis videtur multis Venetis fuisse, quòd ægerrimè ferrent Lusitanorum in Indiam navigationes, unde & Sultanum Ægyptum impulerunt, ut ex Indiis eos expellere conaretur; imò dicuntur etiam egisse apud Turcam, ut materiam Sultano ad navium fabricam concederet, cujus tamen magna pars ab Equitibus Rhodiis abducta fuit, magno commodo Christianitatis.

Sultanum contra Christianos vehementiùs impulerunt Saraceni degentes in

India cum Regibus indigenis Calecutano & Cambajensi inimicis Lusitanorum; ac primùm minacibus litteris egit Sultanus apud Pontificem, Ferdinandum & Emmanuelem quibus eversionem S. Sepulchri, & monasterii S. Catharinæ in monte Sinai intentabat. Verùm eas minas risit Lusitanus, interminatus viciſſim dissipare ossa Pseudo-Prophetæ Mahometis Mechæ. Has autem legationes obiit Minorita nomine Maurus, litterarum utrimque bajulus.

Eduardus Paciecus ab Alphonso Albuquercio relictus in India Regem Calecutanum, qui Regem Cochini cum 70. armatorum millibus aggressus erat cum centum Lusitanis ita retudit, ut amissis suorum 20. millibus ignominiosè cedere coactus fuerit.

✲(1505.)✲ Julius II. constitutionem hoc anno edit, ut, si labes Simoniaca vel Pontifici, vel alicui Cardinali adhæserit, electio ejusmodi irrita esset.

In India primus Lusitanici nominis Pro-Rex constituitur Franciscus Almeida, cui 22. navium classis data est, ut in orâ Africæ & Indiæ arces excitaret, quod & ipse fortiter præstitit, pluribus Regibus, qui resistere audebant, domitis, & ad obtemperandum compulsis.

Regnum

Regnum Sophalæ auro dives, & à quibusdam creditum Ophir, de quo sacræ Scripturæ, detectum est, atque arcibus firmatum ex consensu Monomotapæ Regis, quem octuagenarium & cæcum Lusitani ob proditionem postea trucidârunt, filio ejus Solymanno suffecto.

✲(1506.)✲ Julius II. Pontifex collecto exercitu Bononiam & Perusium Ecclesiæ restituit, exanimatis metu Ballione & Bentivolio urbium earum Dominis, plùs nimirùm præsentiæ suæ famâ, quàm viribus pollens.

Philippus Archidux primus Rex Hispaniarum ex Augustissimâ Domo Austriacâ moritur Brugis in Belgio 7. Kal. Octobr. potatus, ut creditum fuit, veneno, anno ætatis suæ duodetrigesimo, quæ mors inexpectata spes magnas in ejus virtute & egregiâ indole collocatas demessuit.

Obiit etiam Alexander Rex Poloniæ, eidemque successit Sigismundus frater: Et Lithuani Tartaros invasores magnâ clade repellunt.

Christophorus Columbus primus novi Orbis inventor finem facit vivendi Hispali, post quater repetitas navigationes, terrâ marique multas expertus tempestates, sed ab hominibus, quàm à ventis tetriores,

malevolorum namque calumniis vinctus in Hiſpaniam miſſus, mox tamen honori ſuo reſtitutus poſt multos & utiles labores tandem in lecto animam efflavit.

Ferdinandus navigat in Italiam, ſpecie ut regnum inviſeret, revera autem, ut inde retraheret Gonſalvum magnum Capitaneum, de quo ſuſpicio iuvaluerat, tametſi vana, quòd regnum ſibi vendicare vellet. Poſtquam hybernâſſet Neapoli Ferdinandus, mortuo Philippo ad regni Caſtellani adminiſtrationem evocatus, diſceſſit; uxor enim Philippi Joanna par non erat regno gubernando, utpotè vix mentis compos, quæ maritum poſt aliquot annos reſurrecturum credebat, amore in inſaniam converſo, quam monachus quidam haud ſapientior ineptè foviſſe credebatur.

Fabrica baſilicæ S. Petri in Vaticano inchoatur, ideam tantæ molis deſignante Bramante Architecto, quæ à Paulo V. demùm perfecta, ab Urbano VIII. exornata, hodie mundi miraculum proſtat.

✠(1507.)✠ Obiit hoc anno S. Franciſcus de Paula, anno ætatis 91, Ordinis inchoati 72. | Cujus corpus incorruptum poſt 55. annos ab hæreticis inventum eſt, & Turonibus anno 1362. lignis ex Cruci-

fixi

fixi imagine conscissis combustum est, communi viro sancto, & ipsi Christo injuriâ.

Ludovicus Rex Francorum Genuenses sibi rebelles subigit, & urbem cum exercitu ingressus, ac dissipatis seditiosis, qui nobilibus reclamantibus raptum quendam ex officinâ Fullonem Ducem sibi elegerant, grandem pecuniam exegit, arcemque in portu ædificavit, seditionis auctores cum suo fullone suspendio mulctavit, & omnium incolumitati paucorum supplicio consuluit. Posthæc redeuntem ex Hispania Ferdinandum Regem Savonæ honorificè excepit, sed & Gonsalvum Magnum Capitaneum, quem secum Ferdinandus Hispaniæ Rex adduxerat, mensæ suæ cum Ferdinando & Reginâ accumbere voluit, & collo ejus detractum sibi aureum torquem inseruit. Verisimile videtur multis hos Reges in congressu suo tunc egisse de Concilio, ut Ecclesia in capite suo ac membris emendaretur, itemque de Maximiliano Francis reconciliando.

✲(1508.)✲ Julius Pontifex, Maximilianus Imperator, & Ludovicus Rex Galliæ Cameraci fœdus ineunt adversùs Venetos pro urbibus, quæ ad singulos pertinerent, recuperandis. Obvelârunt autem

tem hanc ſocietatem ſanctiſſimo titulo, quaſi de bello ſacro cogitarent: priùs tamen Venetis retundendis, per quos ſtabat, ne Saraceni appeterentur.

Campſon Sultanus Ægypti à Regibus Calecuti & Cambajæ ſolicitatus, claſſem per mare rubrum in Indiam mittit, ut Luſitanos jam ibi potentes expellat, & primo quidem prælio Laurentius Almeida, Pro-Regis Indiæ filius cum octo navibus imparatus, victus & occiſus eſt.

Hoc anno in orâ Neuſtriæ inventa eſt navicula ex viminibus & arborum cortice contexta, in qua ſeptem homines ſtaturâ mediocri, colore fuſco, veſtiti pellibus piſcium variegatis, quibus cibus erat caro cruda, & potus erat ſanguis, incognitâ omnibus loquentes linguâ: ſed illorum ſex in mari interîêre, ſeptimus cum ipſa navicula oblatus Ludovico; unde porrò venerint, nunquam adhuc reſciri potuit, imò nec conjici.

✲(1509.)✲ Franciſcus Almeida Indiæ Pro-Rex ulturus necem filii, cum claſſe undeviginti naviumSultanumÆgypti aggreditur, & ingenti editâ ſtrage Mameluccorum Dabulen urbem capit, & Mirhocemum cum 200 navibus, partim captis, partim exuſtis in fugam conjicit, atq;

Cochi-

Cochinum triumphans ingreditur, deinde cum Albuquercio de præfecturâ Indiæ contendit, quem & in vincula conjicit: mox tamen hic solutus est, à Cutignio Mareschallo ex *Lusitaniâ* adveniente, qui & illum Pro-Regem dixit, & Almeidam in parriam remisit. Eò dum navigat, flexo Bonæ Spei promontorio, exscensione factâ pugnans in Barbaros nudos, & tantùm sudibus instructos interiit anno 1519. morte præclaris ejus facinoribus non satis respondente

Ingens terræ motus per 40. dies concutit Constantinopolim, dirutis plurimis Turcarum ædibus & multis millibus eorum obrutis, ipso Bajazethe Hadrianopolim fugiente ubi vix tutus in campo perstitit: mox tamen 80. fabrorum millia convocati ruinas urbis reparârunt, & magnum splendorem ac dignitatem urbi reparatæ addiderunt

Hoc anno Tekel, Dux Ismaëlis Sophi, famosus ille Mahometanæ legis interpres prodiit, cùm in speluncâ Phrygiæ annis 7. latuisset, ab ipso Bajazethe pecuniâ fotus, & primò quidem captâ Attalia, & brevi collectis decem armatorum millibus sectæ suæ, Natoliam pænè totam diripuit, & flammis ferroque vastavit. Cùm autem

autem tot rebus gestis ad Ismaëlem rediret, Ismaël pleroſq; ejus Duces ſuis copiis concidendos objecit, & Tekelem ipſum vivum exuri juſſit, Bajazethes quoque in ejus ſectæ fautores inquiri juſſit, eorumque ducentas domos Conſtantinopoli evertit.

Pontifex, Ludovicus Rex Galliæ, & Maximilianus, ut Cameraci convenerant, expeditionem adversùs Venetos educunt. Itaque tum anathemate excommunicationis à Pontifice fulminati, atque ab adverſariis tam potentibus penitùs preſſi, & terreſtribus omnibus ditionibus ſpoliati ſunt, ita ut maritimis jam contenti tributum offerrent Maximiliano, ſi eos ab armis Francicis tutos præſtaret & pacem redderet. Et actum tunc quidem videbatur de Republica, donec regreſſo in Galliam Ludovico, qui ad Abduam fluvium Venetos cum 40. millibus armatorum aggreſſus ingenti eos ſtrage affecerat, Patavio, quod Maximilianus occupaverat, recuperato animos reſumpſerunt, & ſpem cœperunt fortunæ melioris. In hoc autem maximè laudandi, quòd etiam in tantis anguſtiis conſtituti auxilium Turcarum recuſaverint.

Poloni ad Boryſthenem octoginta millia

Moſcho-

Moſchorum, quæ Baſilius eorum Dux ad Lithuaniam occupandam deſtinârat, internecione delent.

Ximenius Archi-Epiſcopus Toletanus, dictus Cardinalis Hiſpanus, Petro Navarro ex vili nauclero magno Duce facto, feliciter in Africa bellum gerit, Oranum Bugiam, Algerium, aliasque urbes occupat, Regibus aliis certatim tributum ei offerentibus; ita ut univerſa pænè Barbaria ſub ſanctiſſimi hujus Epiſcopi precibus & armis contremiſceret.

Henricus VII. Rex Angliæ moritur, cui filius Henricus VIII. ſuccedit & coronatur unà cum Catharina Ferdinandi & Iſabellæ Hiſpaniæ Regum filia, quæ Arthuri mortui fratris uxor erat, diſpenſatione obtentâ à Romano Pontifice Julio, quod Arthurus ob juniorem ætatem & infirmam valetudinem eâ non cognitâ deceſſiſſet: quibus nuptiis Angliæ & Eccleſiæ nihil accidit infortunatiùs.

Novioduni hoc anno fatalis altera fax Occidentis Calvinus ex parentibus Catholicis naſcitur.

✠(1510.)✠ Cameracenſe fœdus diſſolvitur, Pontifice vim externorum Principum in Italia metuente, & ad Venetos declinante, quos etiam Eccleſiæ re-

con-

conciliat, &Maximilianum Imperatorem à confœderatione cum Ludovico Rege Galliarum disjungere nititur, Helvetios insuper ac Hispanos contra Gallum solicitat: & ex Cardinalibus Gallis â Rege LudovicoRomâ revocatisGuilhelmum de Claromonte venantem in die festo S. Petri, retractum quasi fugitivum Castro S. Angeli includit, meliorem certè venatorem, quàm Cardinalem. Interim tamen Veneti à Maximiliano Imperatore & Ludovico Rege magnis cladibus afficiuntur.

Ferdinandus Hispaniarum Rex obtinet à Julio II. diploma Confirmationis Regni Neapolitani in forma tam ampla, ut ab ipso Ferdinando dictatũ esse videretur. Pontifex autem terrâ mariq; tentat Genuam, & in agrum Mediolanensem 12.millia Helvetiorum, similiter & copias suas in agrũ Ferrariensem imittit. Unde Ludovicus Galliæ Rex odium hoc Pontificis odio parum Christianè repulsurus agere cœpit de Concilio congregando, & mox Turonibus convenit synodus ex omnibus præsulibus & nominatissimis Galliæ Theologis, ubi multa proposita quæ ad schìsma vergerent: Priùs tamen visum est mittere nomine Ecclesiæ Gallicanæ legationem ad Julium quæ eum admoneret de pace cum

Ludo-

Ludovico ineunda, alioquin conciliumliberum huic significaret, quæ quidem Cardinales Pontifici irati plurimùm promoverunt, à quibus tamen omnibus agentibus tantùm ex pravis animi motibus recti nihil expectari potuit. Similiter de Concilio contra Pontificem convocando egit Maximilianus in Germania cui decem gravamina per Pontificem curanda oblata sunt ab iis, qui animo erant à Pontifice & fortè etiam ab Ecclesia alieno. Ferdinandus autem Rex Hispaniarum his tumultibus noluit implicari, & negavit tempus esse idoneum curandæ Ecclesiæ Christianis Principibus adeò à se discordibus, & prudentiùs in bellum Africanum incubuit.

Julius II. invitat Polonos ad bellum Turcicum, renuerunt autem illi in suis Comitiis, fidem etiam infidelibus servandam esse asserentes.

Neapolitani regno, ejiciunt Judæos omnes & Mauros, ut sic Hispanicã Inquisitioné quam Ferdinandus urgebat, faciliùs detrectarent. Die 6. Februarii Judæus quidam in Marchia Brandenburgica ob Eucharistiam furto sublatam, & ferreo stylo compunctam (quæ copiosum sanguinem emisit, & in aquam & ignem consumenda, frustra injecta fuerat) forcipibus

pibus discerpitur & in cineres redigitur, cæteriqúe illius tractûs Judæi confessi se septem Christianorum infantes, aculeis vel acubus peremisse, flammis traduntur.

Goa Metropolis Indiæ ab Alphonso Albuquercio capitur, & fit Lusitanicæ ditionis atque caput constituitur Ecclesiæ Indicæ.

Eodem tempore multæ passim conversiones fiunt in populis Occidentalibus per Religiosos Ordinis S. Dominici.

Sævierunt varii morbi extraordinarii planè, in Gallia quidem Epiphora gravis & inusitata dicta *Cucullata* vulgò *Coqueluche* quia eâ laborantes cucullis aut linteis caput involvebant. In Scotia quoque sævit morbus qui maximè nobiles delicatos sustulit, vulgò dictus ideo *Straup Galland*, quia talis morbus superborum fastum valde retundebat.

DECAS II.

(*Ab anno Christi 1510. ad 1520.*)

1511. POntifex, Hispani, Veneti & Helvetii vario Marte pugnant cum Maximiliano Imperat: & Ludovico Rege Franciæ & ideo agunt hi magno conatu

tu de concilio contra Pontificem convocando, quod anno præcedenti in Gallia celebratum nunc Pisis haberetur,&postea translatum estMediolanũ,ac tandem Lugdunum, sed effectu caruit morte Julii interveniente, quod & ipse Julius superstes adhuc in Concilio Lateranensi reprobavit.

Bajazethes Selimum filium qui duxerat Tartarorum Procopensium Regis filiam & Imperium violentè invadebat, prælio vincit,& fugat ultra Pontum Euxinum.

In Comitiis Treviris habitis Imperium in decem circulos distribuitur nempe Austriacum, Bavaricum, Franconicum, Rhenanum superiorem & Rhenanum inferiorem, Electoralem Palatinatûs,Burgundicum, Westphalicum, superiorem Saxonicum & Saxonicum inferiorem.

Oritur hoc tempore inAfrica Imperium Cherifforum auctore quodam Zidamete, quem alii Mahometem *Ben humet* vocant, qui se ex Pseudo-Propheta Arabe genitum jactabat. Hic Monachus Mahometanus Astrologus & magus, cum duobus filiis suis ejusdem secum indolis, post obitas varias regiones copias scripsit,quasi bellum Lusitanis illaturus, sed populis huic certatim sese dedentibus occupavit

hanc

hanc regionem, neque se Regem sed *Cheriffum* id est sacratum hominem appellavit, ut tantò majorem venerationem obtineret, qua regna Marochi, Fessæ aliaque minora sibi adjunxit, factus deinceps non tantùm Christianis, sed & suis Mahometanis metuendus.

In Longobardia multa prodigia contigêre, Igneus pavo per cœlum visus discurrere, horrendæ tenebræ cum tonitribus metuendis, saxa de cœlo lapsa centum pondo, cum enormi grandine, quæ vulgus terruêre, & viros eruditos exercuêre.

Alphonsus Albuquercius in aureaChersoneso Indiæ Malaccam cæpit, terrâ marique victoriosus, dumque Goam spoliis ditissimus redit,naufragium passus omnia perdit, & ipse vix incolumis evadit.

✲(1512.)✲ Selimus fugatus anno superiore à Bajazethe parente vires resumit, & favore Janitzerorum Patrem Bajazethem Imperio & postea per Judæum Medicum vitâ privat.

Galli ad Ravennam exercitum Pontificis & Hispaniæ Regis solvendæ obsidioni missum, Duce Gastone Fuxio nonnisi 22. annorum juvene & prius Imperatore belli quàm milite,memorabili cæde profligant, unde

unde Ravenna victoribus Gallis se dedidit, mox tamen per muros neglectos & ruinas nondum reparatas irrumpentibus Germanis & Vasconibus in prædam civitas illa cessit. Gasto Fuxius autem dum victor Hispanorum agmen insequeretur ab illis circumcinctus equo dejectus & confossus interiit, cujus cadaver Mediolanum translatum & in æde maxima sepultum postea â Cardinali Sedunensi, cùm Mediolanum occupâsset, in Pontificis gratiam iterum exturbatum est.

Ferdinandus Rex Hispaniæ regnum Navarræ occupat.

CONCILIUM LATERANENSE.

JUlius II. Concilium Lateranense, superiore anno indictum contra Conciliabulum Pisanum, celebrare incipit quinto Nonas Maij, cui ipse interfuit cum Cardinalibus 15. Patriarchis Alexandrino & Antiocheno, Archi-Episcopis & Episcopis 77 multis Abbatibus ac Principum Legatis. Hoc Concilium post quinquennium absolutum est sub Leone X. & approbatum, Pisanum autem in eo reprobatum, actumq; in eo variè de reformandis moribus, & Turcis reprimendis.

Interea Maximiliano ad partes Pontificias & Confœderatos adversus Gallos accedente

dente, Helvetiis autem Mediolanensem Ducatum invadentibus, ac Rege Anglorum suasu Pontificis bellum in Aquitaniam movente, Franci Italiâ excedere coacti sunt, & Maximilianus Sfortia hactenus exul per Germaniam in paternam ditionem restitutus est, Veneti quoque & Pontifex aliiq; Principes suas Urbes recipiunt, & Florentini Mediceæ familiæ regendos se iterum submittunt.

In India absente Albuquercio & bello Malaccensi impedito Idalcanes Goam obsidet, & in ultimas redigit angustias, Joannes autem Machiades qui tum apud Regem Indum agebat, quasi Mahumetanus, videns multos Lusitanos fugere & Christum ejurare, statuit urbem ingredi & reliquos in officio continere. Priùs tamen duos liberos suos infantes, ingenti scilicet facinore suffocat, quos religiosâ crudelitate priùs baptizârat, ut cœlo insereret. Sic igitur Goam ingressus eam servavit, donec rediret Albuquercius, qui desertores promissâ vitâ recepit quidem, sed ita mulctavit, ut Christum abs se haud impunè ejuratum esse sentirent.

Hoc anno detecta est Florida seu Florita, à Joanne Pontio Legionensi, sic dicta, quod in Dominica Palmarum, quam vulgò

Pascha

Paſcha Floridum vocant, inventa ſit. Scribunt aliqui, jam anno 1496. à Sebaſtiano Veneto Gaboto hanc Inſulam luſtratam fuiſſe ſub auſpiciis Henrici VII. Angliæ Regis, ſed certum eſt, cultam & Chriſto addictam non fuiſſe ante annum 1534. ac demùm 1562. quando priùs facta eſt belli theatrum Francis & Hiſpanis, quorum ardorem bellicum totum mare interjectum non reſtinxit.

✲(1513)✲ Julius II. bellicoſus Pontifex, cùm civitates Eccleſiæ recuperâſſet, & Ludovico Galliæ Regi (quem etiam Regis Chriſtianiſſimi titulo ſpoliare, & in Anglum transferre cogitabat) hoſtem ſe, atque ùt Galli ſcribunt, plùs æquo ferocem præbuiſſet, lentâ tabe abſumitur, cui ſucceſſor communibus ſuffragiis datus eſt Medicæus, annos natus 37. dictus Leo X. ab aliis IX. Deductus eſt per urbem neo-electus eodem in equo, in quo equitans captus eſt in prælio Ravennate, quem poſtea ſollicitè ab hoſte redemerat.

Verſa nunc eſt ex Julii morte in Italia facies bellorum; Ludovicus enim XII. initâ cum Venetis pace Mediolanum & Genuam recuperavit, & omnes urbes, quas amiſerat, præter Comum & Novariam. Ad hanc obſeſſam ab Helvetis erum-

pentibus magnam cladem accepit, qui iterum Francorum victorias corrupit, omnibus ab iis passim deficientibus. Neque Veneti feliciores extitêre ; multas enim urbes Hispanus illis eripuit, ut ægrè Tarvisium & Patavium servarent, & Helvet victores meruêre tunc à Leone X. pronunciari *Ecclesiæ defensores*. Laudem quoque insignem tunc retulit Rudolphus Anhaltinus, Maximiliani Cæsaris exercitûs Dux, qui acri pugnâ Venetos nunc Regi Galliæ confœderatos debellavit & vicit.

Jacobus IV. Scotiæ Rex Angliam invadit, & in prælio ad montem Flaudonicum occiditur, multis utrimque desideratis, cum hoc discrimine, ut ex Scotis multi Proceres & Nobiles, ex Anglis autem gregarii tantùm milites occubuerint.

Turcæ Illyricum invadentes ab Uladislao II. Hungariæ Rege reprimuntur.

Sub hujus anni finem, dum in Laterano octava Sessio haberetur, adfuêre Ludovici Regis Franciæ Legati, qui nomine Regis conceptis verbis Synodum Pisanam ejurârunt, ad quod præstandum præcipuè solicitatus videtur Ludovicus XII. precibus Annæ pientissimæ conjugis, & cladibus variis ad id impulsus. Tunc quoque damnati sunt Philosophi de animabus

mabus malè sentientes, inter quos Petrus Pomponatius Mantuanus, Lætus, Phœdius, Politianus, Calderinus, aliique ejusdem farinæ, litteris profanis, quàm sacris instructiores.

Leo X. Pontifex Romæ constituit Seminarium ad Græcam juventutem in litteris & moribus erudiendam: & litteras sollicitè promovet.

✲(1514.)✲ Leo Papa ad interpositionem Archi-Episcopi Strigonienſis indulgentias contra Turcam Cruce-signatis concedit. Sed hi arma in Hungariæ Clerum & Nobilitatem convertunt, interfectis multis hominum millibus,& nobilium centenariis, donec eos Joannes Waivoda Transylvanus multis captis cum Duce eorum Szykelio dissipavit, & auctores graviſſimIs supplicIis affecit.

Mahamethes *Scirifus* cognominatus, quod idem est ac *Magnus Sacerdos*, ex Mahometano eremita concitatâ rebellione, militiæ Ducem se facit, & in Lybiæ ac Ægypti interiora penetrans, regnis Fessæ ac Marochi occupatis, tribus annis multa adhuc alia regna acquirit, quæ 43. annis tenuit,quousque anno 1557. à stipatoribus corporis in venatione senex admodùm interfectus est.

Sigiſmundus Rex Poloniæ Baſilium Moſcoviæ Ducem cum inſigni eorum clade è Lithuania expellit, Polonis tantùm 400 amiſſis, hoſtium autem equitum triginta millibus occiſis.

Selimus Turcarum Imperator cum exercitu quadringentorum millium militum Iſmaëlem Sophi, Perſarum Regem oppugnat, & 26. Auguſti integro die conſligit, cadentibus centum millibus fortiſſimorum Turcarum; quoniam verò Iſmaël ſub veſperum accepto vulnere receſſit, ſtetit nihilominus victoria penes Selimum, qui Tauriſio Iſmaëlis Regiâ potitus, omnes opifices Conſtantinopolim tranſtulit. Memorabilis in hac pugnâ fuit Hali Sultani Perſici virtus, qui in fugâ Iſmaëlis, dum eum Turcæ ſequerentur ardentiùs, finxit ſe Iſmaëlem eſſe, & deductus ad Selimum fraudem aperuit, ac cædi juſſus, etiam ab hoſtibus laudem promeruit.

Pax inter Reges Francorum & Angliæ reconciliatur & firmatur connubio inter Mariam Angli ſororem & Francum, jam enim è vivis Anna Britanna ejus conjunx exceſſerat.

Concilium Lateranenſe urgetur, & in eo munera Emmanuelis Luſitani, pretioſæ veſtes, accipiuntur: miſerat etiam Rex Em-

manuel

manuel Rhinocerotem, at ille ad Genuæ scopulos fecit naufragium. Pia multa decreta necessariæ reformationis edita sunt.

✲(1515.)✲ Ludovicus XII. Rex Galliæ, dictus *Populi Pater*, ætatis anno 54. regni 17. sine prole masculâ relictâ moritur, cui proximè cognatus hæreditario jure successit Franciscus Valesius hujus nominis I. adolescens 20 annorum, qui mox rebus utcunque cum Anglo compositis, licèt oppositos sibi videret Hispanos, Maximilianum, Helvetios, & ipsum Pontificem, imò & naturam ipsam Alpium transitu superandam, arte tamen & multo labore exercitum & tormenta bellica, & omnia impedimenta in plana Salutiarum loca inexspectatus eduxit, iter ostendente Trivultio. Moxque Prospero Columnâ Pontificiarum copiarum Duce oppresso & capto, priusquàm se Helvetiis conjungere posset, horum triginta quinque millia Mediolano exeuntes, & à Seduensi Cardinale veluti tubâ belli animatos ad Marignanum non procul Mediolano memorabili prælio, quod toto biduo duravit, scilicet 13. & 14. Septembris, cecîdit ac fugavit, multis utrimque cadentibus, cùm furore magis & Andabadarum more, quàm ex arte & militari disciplinâ

in multam noctem primo die pugnaretur, donec fessus quasi ex condicto exercitus uterque nonnihil conquievit, & permixtus Helvetio Francus somnum cœpit: Rex ipse armatus ne detractâ quidem galeâ in tormento bellico & inter complexus militis cataphracti dormivit, inter horas viginti septem cibo non gustato. Die verò sequenti, albescente cœlo, magno ardore certatum est, donec Helvetii, adveniente Liviano Veneti exercitûs Duce, rati omnes Franciſci copias auxiliares advenisse, servatis ordinibus & tormentis, Mediolanum se receperunt, desideratis suorum quindecim millibus, cùm Francorum tria tantùm millia cecidissent; quorum tamen paucitatem cæsorum nobilium magna copia compensavit. Sic Helveti viribus & milite diminuti, paulò pòst Mediolano relicto in patriam remigravêre, impositio tamen priùs in arce præsidio, quâ se Dux Maximilianus inclusit, qui elapso vix mense & se, & arces Mediolanensem & Cremonensem Franciſco dedidit, atque in Franciam deductus est, victurus ibi cum 30 aureorum millibus annuæ pensionis à Rege numerandæ. Franciſcus posthæc Mediolanum triumphans ingressus est, & in memoriam victoriæ ædem exstruxit B.

Ma-

Mariæ Virginis de Victoriâ, quam Patribus Cœleſtinis commiſit.

Tum quoque à Pontifice Leone X. cum quo Bononiæ convenit Franciſcus, ùt Eccleſiæ primogenitus acceptus eſt, & inita pactio de ſanctione Pragmaticâ in Gallia abolendâ, ac viciſſim de nominatione ad beneficia, quæ anteà erat penes Canonicos ad Regem derivanda, itemque de Annatis, cæterisque Capitulis in illum librum relatis, quem *Concordatum* appellant, à Concilio Lateranenſi approbatum.

Maximilianus Imperator, Uladislaus Hungariæ, & Sigiſmundus Poloniæ Reges Viennam conveniunt, & fœdus inter ſe ineunt, aguntque de ſucceſſione Auſtriacæ Familiæ in ea regna, & Bohemicum, ſi Uladislai maſcula progenies extingueretur, & viciſſim de Boruſſia Polono relinquenda. Deſponſata tunc eſt Ludovico Ladislai filio Maria ſoror Caroli, poſteà Imperatoris, & Anna ſoror Ludovici Ferdinando fratri Mariæ & Caroli.

Petrus Maronitarum Patriarcha tres Legatos ad Concilium Lateranenſe mittit. Ad quod ſimiliter advenit Matthæus Legatus Davidis Regis Abiſſinorum, qui priùs ad Emmanuelem Luſitaniæ Regem ſacroſanctæ Crucis fragmentum & alia dona

attulit, magno ibi honore exceptus, eùm priùs à nautis in longa navigatione tanquam explorator ſuſpectus ignominiosè tractatus eſſet, qui propterea à Luſitano Rege, ubi exſcenderunt, in vincula conjecti ſunt.

✲(1516.)✲ Ferdinandus Arragonius Hiſpaniæ Rex moritur anno ætatis 63. ex aquâ intercute. Succeſſit ei in tot ejus ac Iſabellæ olim ejuſdem conjugis regna Carolus eorum nepos ex Joannâ filiâ & Philippo Belga, tunc annorum quindecim.

Moritur item Ladislaus Hungariæ Rex Budæ, cui Ludovicus ejus filius, puer annorum 12. ſucceſſit, dicitur autem Ladislaus fuiſſe pacis amantiſſimus, & adeo taciturnus, ut rarò plùs reſponderet, quàm Latinè *Bene*, aut Bohemicè *Dobre*: ideò à ſuis *Idolum mutum* appellatus. Fuit filius ejus ſucceſſor indolis optimæ, ſed peſſimâ inſtitutione corruptus à Georgio Marchione Brandenburgenſi.

Franciſco I. expeditionem ad invadendum regnum Neapolitanum parante, Maximilianus Imperator inſtinctu Leonis X. Ducatum Mediolanenſem ferè totum occupavit, & tantùm non Francos Mediolano expulit. Et tametſi obſidionem ejus re infectâ deſereret, Franciſcum tamen

ad

ad sua defendenda occupatum ab invadendo regno Neapolitano retinuit. Helvetii inter hæc fœdus cum Rege Francorum renovant, magnâ pecuniæ summâ in annos singulos à Gallis pensitandâ.

Algeri incolæ Hispano vectigales rebellant, duce Barbarossâ, qui se brevi Regem ibidem per tyrannidem dixit.

Selimus Turcarum Imperator bellum in Ismaëlem Persarum Regem continuaturus, ingenti educto exercitu divertit in Syriam adversùs Campsonem Sultanum Ægypti & Syriæ arma moventem, ut Persas sublevaret, initoque acerrimo prælio non longè à Damasco victus Campson perfidiâ Cajerbei Præfecti Alepi occubuit, suffectusque à Mameluccis in ejus locum Tomombejus vir strenuus, æquè à Selimo vincitur, atque ita Selimus Syriam occupat, & Hierosolymis ac Bethlehemi veterum Prophetarum sepulchra veneratur, & largas eleemosynas inter Christianos distribuit, ac demùm exercitum in Ægyptum ducit.

✠(1517.)✠ Selimus per Sinanem Bassam Ægyptum aggreditur, & superatis Arabiæ siticulosis locis, quibus Ægyptus munita putabatur, insuetis pluviis tunc de cœlo cadentibus, & Turcis faventibus ad

phim & Cayrum vincit Tomombejum, qui tamen reparatis mox viribus secundâ vice adversùs Selimum educit exercitum, sed denuò victus & fugatus, inter arundines latens deprehenditur, & Cayrum reductus, ibique tortus, ut Campsonis thesauros indicaret, demùm vili jumento traductus per urbem, strangulatus, & unco ferreo publicè suspensus est: in quo nomen & Imperium Mammelucorum defecit, quod supra 260. annos duraverat. Erant autem Mammeluci plerique educti ex Corcassis, sic dicti, quasi *Stipendiarii*, voce Syriacâ, omnes fortes ac strenui Equites duodeviginti mille ex suo ordine Principem eligentes, sed omnes subditarum sibi gentium tyranni, sacrilegi, apostatæ, qui tandem per sceleratiores Turcas exterminari meruerunt.

Pax Novioduni firmatur inter Franciscum Regem, & Carolum Hispanum, connubio promisso filiæ Regis cum Carolo, quod postea rejectum est.

Romæ Concilio Lateranensi V. Sessione XII. finis imponitur, postquam annis durâsset fere quinque, quod potentissimâ oratione clausit Joannes Franciscus Pici Comitis Mirandulani, quâ corruptissimum Ecclesiæ hujus temporis statum repræsentavit,

tavit, cui emendando posteà Deus remedium potentiùs adhibuit, patefactâ hæresibus portâ.

Tentata est hoc anno vita Leonis Pontificis per Alphonsum Petrucium Cardinalem Senensem, adhibito in societatem sceleris Bendinello Cardinali Saulio, instrumenta mortis inferendæ destinata erant venenum à medicis præparatum, & sica ab ipso Petrucio libranda, sed patefactâ conjuratione Petrucius in carcere strangulatus, & Saulius Cardinalis ad perpetuum carcerem damnatus est, unde tamen brevi liber exivit.

Circa hunc annum Provincia illa, quæ nunc nova Hispania appellatur, auri & argenti & margaritarum dives, Hispanorum Imperio subjugari cœpit, à Ferdinando Cortesio, qui eam expugnavit, captâ præcipuâ ejus urbe Mexico, urbium cæterarum Reginâ, magnâ suorum, & ingenti incolarum strage.

Hoc anno Lutheranæ hæresi datum est initium: cùm enim in Concilio Lateranensi decreta fuissent expeditio in Turcas, quorum potentia indies invalescebat, & ad hoc Leo Pontifex per universum Orbem Christianum Cruciatam cum indulgentiis promulgâsset, Archi-Episcopus

Moguntinus ejus promulgationis munus Patribus Dominicanis commisit, cùm anteà Eremitæ S. Augustini earum indulgentiarum per Germaniam promulgatores essent; nominatim autem ab illo Antistite electus erat Joannes Tetzelius, eòquòd is jam antè multam pecuniam militibus Teutonicis confeciffet ad bellum Moschoviticum: Propterea Joannes Staupitius Augustinianorum Vicarius Generalis per Germaniam ejusdem Ordinis Martinum Lutherum Theologiæ Professorem, Wittenbergæ concitavit adversùs quæstores illos, præsertim quòd multa dicerent ac facerent, quæ à viris prudentibus probari non poterant; Martinus autem non modò multa perperàm ex superiori loco contra indulgentias effutiit, sed & theses promulgavit, quibus & earum inanitas, & quæstorum sordes aperirentur. Has statim Tetzelius ipse Inquisitor Francofordii ùt hæreticas exussit, eisque opposuit centum sex alias, quas Wittenbergenses scholastici, jam afflati Lutheri spiritu publicis flammis cremaverunt. Ex quibus ignibus immensa eruperunt incendia, quæ aquæ guttulâ (inquiebat Sadoletus) prudenti manu adhibitâ extingui potuissent. Sed corruptissimi Ecclesiasticorum mores exige-

exigebant hanc peſtem, quos potiſſimùm Lutherus exagitandos ſuſcepit, & in eos ſcommata jaciendo, voluit ea eſſe ſuæ ſectæ, erroriſque fundamenta.

✲(1518.)✲ Selimus Turcarum Imperator felicibus belli ſucceſſibus elatus, ad Imperium Romanum occupandum animum & vires adjicit. Viciſſim Leo Pontifex in eundem Principes Chriſtianos accendere laborat, ſed conatui ejus obſiſtunt exortæ novæ hæreſes, quas Martinus Lutherus vel novas effingit, vel antiquas reſuſcitatas denuò ſpargit, quem tamen & diſputatione & ſcriptis Joannes Eckius Ingolſtadienſis Doctor egregiè refutat, Maximilianus quoque Cæſar tantis malis obviare volens Lutherum ad Comitia Auguſtana evocat, ejuſque cauſam diſcutiendam Cardinali Cajetano tuncLegato Pontificio committit. Lutherus quidem coram Cardinali ſe ſiſtit, eidemque ſe quoad ſpeciem ſubmittit, ſed poſtmodùm inde clam elabitur, iterumque à Legato citatus ad Pontificem, & à Pontifice ad Concilium Generale provocat, more ſcilicet hæreticorum ad tergiverſandum, non emendandum.

✲(1519.)✲ Maximilianus Imperator Welſii in Auſtria moritur, anno regiminis

26. In ejus locum succeſſit Carolus V. Hiſpaniæ Rex, anno ætatis 19. quanquam Electores Trevirenſis & Brandeburgicus propenſiores eſſent in electionem Franciſci Regis Gallorum.

Leo Papa Militium Legatum mittit in Germaniam ad novas hæreſes ſopiendas: agit is cum Luthero, eumque impellit, ut ad Pontificem demiſsè ſcribat, quod ipſum Lutherus præſtat, excuſando ſe, & temeritatem ſuam deprecando. Interhæc Lipſiæ inſtituitur diſputatio publica inter Eckium & Lutherum coram Georgio Saxoniæ Duce, judicibus Theologis Pariſienſibus & Erfordienſibus, qui palmam victoriæ Eckio contra Lutherum clamoſum adjudicârunt: Et vinciendus tunc fuiſſet Lutherus, ſi Germanis Principibus mens læva non fuiſſet.

Floruit hoc tempore Eraſmus, natus Roterodami in Batavia anno 1464. aut 1467. ex furtivo (ut alii ſcribunt) concubitu ſacerdotis cum ancilla, alii autem, patre piſtore Goudano, unde dictus fuit Gerardus Gerhardi, quæ vox cùm Belgicè ſignificet *Deſiderare*, hæc duo nomina in Latinum Græcumque commutavit, dicique voluit Deſiderius vel Eraſmus. Vir abſq; dubio magnæ eruditionis, ſed paulò liberio-

liberioris; unde dicitur Luthero suffeciſſe materiam, & cauſam dediſſe huic proverbio: *Aut Lutherus Eraſmizat, aut Eraſmus Lutherizat.* Multi & magni viri putant, illum à fide nunquam defeciſſe, ſed traductum & infamatum fuiſſe à Monachis, in quos impotentiùs incurrit, & inde aliquam apud Catholicos notam impietatis contraxit.

Ad hunc quoque annum ſpectant initia Udalrici Zwinglii Helvetii, qui priùs Glaronenſis, deinde Eremitanæ, deniquè Tigurinæ Eccleſiæ parochus, ubique ſe impudicum, ebrioſum & vitiis omnibus deditum oſtendit, ac demùm acerrimus extitit Sacramentarius, & tametſi in quibuſdam Luthero accineret, poſtea tamen infenſiſſimus ejuſdem hoſtis fuit.

✠(1520.)✠ Moritur Selimus Turcarum Imperator, eique ſuccedit Solimannus hujus nominis ſecundus.

Carolus Imperator coronatur Aquiſgrani, & fratri Ferdinando Auſtriam & Maximiliani avitos Principatus concedit.

Chriſtiernus Rex Daniæ Stockholmium Sueciæ Metropolim capit, & Epiſcopos atque Proceres ad convivium vocatos crudeliter interimit, & urbe direptâ redit in Daniam. *Ita Hiſtoria Daniæ.*

Ferdi-

Ferdinandus Magellanus stipendiis multis sub Albuquercio factis, nec satis honoratus ab Emmanuele Lusitano, Carolo V. se dedidit, & acceptis ab illo navibus quinque in Occidentem direxit iter, detectoq; nobili freto, quod ab eo nomen traxit, ad Molucas cum duabus tantùm navibus pervenit, quas cùm, Lusitanis absentibus, onerâsset, una earum ad scopulos allisa, ante Promontorium Bonæ Spei periit: altera, cui Victoriæ nomen, Hispalim post triennium appulit, Orbe circumnavigato.

Lutherus à Leone Papa excommunicatus ad Concilium Generale appellat, & Jus Canonicum cum Bulla suæ excommunicationis Wittembergæ publicè cremat; econtrà Lovanienſis & Colonienſis Academia Lutheri scripta multis erroribus & hæresibus referta damnant, & igni adjudicant, sed & Carolus ejusdem Lutheri scripta, non tantùm in Hispania, verùm etiam in Belgio exuri mandat.

DECAS III.

(*Ab anno Christi 1520. ad 1530.*)

1521. CArolus V. Imperator in Comitiis Wormatiæ Lutherum cum salvo con-

conductu evocatum & obstinatum proscribit, eiusdem scripta & personam damnat Universitas Parisiensis. Et Henricus VIII. Angliæ Rex libro egregio errores ejus refutat, & ob id à Leone Papâ titulo *Defensoris fidei* donatur.

Oritur bellum diuturnum, quod posteà 38. annis duravit, inter Carolum V. Imperatorem, & Franciscum I. Regem Galliarum.

Galli urbem Pampelonam primariam regni Navarræ expugnant, in quâ oppugnatione Ignatius Lojola nobilis Cantaber ictu bombardæ ex lapide convulso crure uno, altero vulnerato, ad extremum vitæ periculum adducitur, unde Societatis JEsu fundandæ occasio illi divinitùs injecta, Deo illum, & institutam ab eo Societatem Luthero opponente.

Solymannus Turcarum Imperator Belgradum expugnat.

Leo X. Pontifex moritur ex lento veneno, ùt quidam scribunt per cubicularium propinato, de quo tamen nulla quæstio instituta est, ne Princeps aliquis potentior in crimen vocaretur: adversùs hunc Pontificem supra modũ calumniis suis desæviunt hæretici, quem etiam *Purpuratũ & Insulatum Sardanapalum* appellare audent, à qui-

à quibus tamen vituperari magna hujus Pontificis gloria est.

Moritur item Emmanuel Rex Lusitaniæ laudatissimus, cui filius ejus Joannes III. annorum viginti successit.

✲(1522.)✲ Hadrianus Belga Trajectensis, vir doctissimus, & ex Theologo Lovanienſi, & Caroli Imperatoris Præceptore factus Cardinalis, titulo Pammachii, cùm absens in Hispania Cæsar-Augustæ Pro-Regem ageret, eligitur Romæ in Pontificem, qui nomen non mutavit, sed retinuit, & dictus est Adrianus VI.

Christianus seu Christiernus Rex Daniæ ab Ecclesiâ deficit, & paulò pòst ob crudelitatem suis intolerabilis factus, à Friderico patruo, Holsatiæ Duce, cunctis regni ordinibus adhortantibus, armis impetitur, & unà cum thesauro, liberis, & conjuge Elisabethâ Caroli Imperatoris sorore in Belgium profugit, in locum ejus suffectus est Rex Daniæ & Norwegiæ idem Fridericus, Sveciæ verò regnum posteà obtinuit Gustavus, quem Sveci elapsum è custodiá Christierni Gubernatorem adversùs eum constituerant, qui & ipse deinde abdicatâ fide Catholicâ Lutheri sectæ se dedit.

Rhodus à Turcis diu strenuè defensa tandem

tandem proditione capitur: Obsedit eam Turca cum trecentis primùm, ac deinde quadringentis navibus &ducentis ac postmodum trecentis armatorum millibus,per Mustapham terrestrium, & Curroglium navalium Præfectum, quibus Philippus Villiericus ex Liladami familia cum sex millibus supra hominem fere & vires humanas restitit: sperabatur ab Occidente auxilium, sed Christiani Principes suis commodis intenti & mutuis bellis collisi, religionis obliti sunt. Ipsi quoque Veneti timuerunt displicere Solymanno,& Gabrielem Martinengum nobilem machinatorem Brikianum, quia subiêrat Rhodum, bonis omnibus exuerunt.Faverunt quoq; Barbaris Judæus Medicus magni nominis, & Andreas Ameralus Lusitanus Prior Castellæ & magnus Ordinis Cancellarius inimicus Villierici, per quem hostibus omnia consilia manifestabantur, unde mirum non fuit Rhodum domestico & externo malo pressam periisse. Jam Turcæ convasabant sua & sub tam forti præsidio de Rhodo expugnanda desperabat Solymannus, tum per transfugam & Amaralum moniti sunt expectare,tantisper Rhodios, vulneratos, cæsos, egenos & omni ope destitutos diu haud posse resistere. Inter hæc Cancellarii pro-

proditio paulò tardiùs detecta est, deprehenso ejus servo cum litteris, quas ad Turcos ejaculabatur, qui baptizatus & suspensus est. Amaralus autem impœnitens capite plexus, Medicus quoque detectus obiit factus Christianus, cum eques ætatis profectæ & diu religiosus vixisset. Initio itaque Decembris Achmetes Bassa, qui Mustaphæ successerat, svadet Solymanno ut spe clementiæ, & magnis promissis Rhodios ad deditionem invitet; hi sine muris & sine pulvere tormentario & pœnè omnes sauciati, honestissimis conditionibus, quæ à Turcis contra consuetudinem servatæ sunt, deditionem faciunt. Inter conditiones erat, ut qui vellent, abirent, qui remanerent, quemadmodùm sub Equitibus liberi essent. Solymannus ipse Villiericum invisit, suumque patrem appellavit, & ut apud se viveret invitavit, ille egit gratias & Kalend: Januar: conscensis navibus in Cretam abiit, quem secuti sunt incolarum Coi Insulæ quatuor millia, & multi Rhodii, qui Dominos suos Equites jam ab annis 200. & duodecim relinquere noluerunt.

Res Francica in Italia plurimùm infirmatur & passim perit, præsertim quando etiam Genua hoc anno occupata atque direpta fuit à Cæsarianis, Gallis Francisco

Re-

Regi suo improvido multum indignantibus & stomachantibus. Ducatus quoque Mediolanensis Gallis ereptus est.

In Germania Lutherus Wormatiâ egressus & in via retractus ad arcem, in eâque inclusus, quam deinde Pathmon suam vocavit, etiam invito Friderico postmodum ex arce illa Wittenbergam redit: Cui adjunctus Carlstadius factus agricola, & Philippus Melanchton Pistor, ille etiam Archidiaconus licèt, duxit uxorem, cui Epithalamii loco Lutherus missam ridiculam & turpem satis occinendam composuit. Celebratæ sunt hæ nuptiæ ebriis omnibus, convivis & veteris asinæ carnibus saturatis quam, ferinæ loco, scabiosam è molendino mactari jusserat vicinus Dynasta, submissis deinde ejusdē jumenti auribus & pedibus, ut intelligerent convivæ quibus epulis deliciati essent. Multa quoq; Lutherus tum scripsit aut veriùs evomuit, jam in omnem turpitudinem effusus in quam omnem ferè trahebat Germaniam. Et mirum fuit Fridericum Saxonem Electorem, & fratrem ejus Joannem, Lutherum fovere potuisse, quem tamen Ferdinandus Austriæ & Georgius Dux Saxoniæ exagitabant: cùm nihilominùs plures alii. qui eum comprimere debuissent, segniores essent, quàm

qui

qui eum ventilarent, adeo incendium hoc excrevit, ut ſopiri ampliùs non poſſet & Septentrionem pænè omnem inflamma ret.

✲(1523.)✲ Hadriauus Papa moritur, cui ſuffectus eſt Julius Medicæus Florentinus dictus Clemens VII.

✲(1624.)✲ Perdurant in Germania tumultus de religione, multis conventibus pro controverſiis novis & novis ſemper emergentibus, Norinbergæ, Ratisbonæ, Spiræ habitis, Initæ quoque diſputationes acerrimæ irrito ſemper compoſitionis eventu, novatoribus pertinaciter contra Catholicos errores ſuos tuentibus, unde natæ ſunt inter eos 60. diverſæ Sectæ, quas longum nimis eſſet numerare.

Lutherus quoq; abjecto jam cucullo monaſtico, apoſtaſiæ à fide, addit apoſtaſiam à religioſo Ordine, uxore ductâ Catharinâ Boræâ Sanctimoniali ex Monaſterio Mymicæ abreptâ, cujus pravum exemplum magna mox turba monachorum & Clericorum ſecuta, & facta eſt longè lateque eluvio omnium ſcelerum.

Non defuit tamen ſuæ Eccleſiæ providus & benigniſſimus Deus, qui deficientibus aliis novâ prole alibi Eccleſiam ſuam propagavit, viros in fide fortes & inſti-

tutis

tutis ac moribus sanctos impiis apostatis oppositit. Hoc enim anno institutus est Ordo Clericorum Regularium quos Theatinos vocant, à Petro Carafa Episcopo Theatino, qui posteà creatus est Pontifex, dictus Paulus V.

In regno quoque Mexicano quidam Valentinus cum 12. monachis verbo & miraculis promovet fidem.

Floridam hoc anno lustravit Joannes Verrazanus Florentinus sub auspiciis Francisci I. Galliarum Regis, & regionem illam novam Franciam appellavit Canadensem quoq; dixit à magno fluvio qui eam alluit & Canada vocatur. Dicta postea est Insula S. Laurentii.

✲(1525.)✲ Jubilæum hoc anno raro & tenui concursu celebratur Romæ, quia Italica bella & hæretici passim Indulgentias allatrantes multùm pietati promovendæ obstabant.

Hoc anno Franciscus Galliarum Rex Papiam obsidet, quod omnes periti rei militaris diffuadebant, censebantq; in tuta loca recedendum esse, sed prævaluit Admiralius Boniverus, ex quo uno Rex pendebat, itaque pugnâ initâ à Ducibus Caroli Imperatoris Rex Franciscus ferociùs quàm fortiùs pugnans & ore, manu, femore, faucius

cius equoque ſuffoſſo, captus eſt cùm Hen-
rico Navarræ Rege, aliiſque proceribus
Boniverius autem ne veniret in Borboni
manus in confertiſſimam aciem irruen-
non inultus occubuit cum Paliſſio & Leſ-
curio Mareſchallis, multiſque viris magni
nominis. Octo Francorum millia aut fer-
ro, aut in Ticino fluvio periêre. Ex Cæ-
ſarianis vix ſeptingenti cæſi ſunt, inte-
quos Ferdinandus Caſtriottus equitum
Præfectus, magni Scanderbegi pronepo
Regis manu interfectus eſt. Franciſcus u
ſe dederet Borbonio, adduci non potuit;
venit ergò in Lanoii manus, liberaliter ha-
bitus, & ùt deceret Regem: quando e-
tiam oblitus ſui ipſius obtinuit, ut pueri
ephœbi Franci ex Italorum manibus eripe-
rentur, & darentur Hiſpanis, apud quos
caſtiùs ſervarentur. Ad pedes capti Re-
gis advolutus Borbonius veniam petiit,
excuſavitque factum, ſuam ſcilicet à Re-
ge defectionem, ad quod ab Aloyſiâ Re-
ginâ impulſus eſſet, jam expertus ſuæ ul-
tionis dulcedinem multo felle dilutam eſ-
ſe. Henricus Navarræ Rex è cuſtodiâ Ti-
cinenſi brevi evaſit: Franciſcus autem na-
vi ductus eſt in Hiſpaniam, & ubiq; huma-
niſſimè & regiè exceptus, ægrotavit au-
tem non multò pòſt valde periculosè Ma-
driti;

driti, ubi medicis suadentibus eum Carolus invisit, & spem libertatis injecit, exinde melius habuit.

In Germania bellum rusticum eorum, qui contra Clerum & suos Principes à Luthero excitati insurrexerunt, sopitur, occisis ex iis supra centum millibus, & Duce eorum Müntzero capite plexo.

Videntur etiam hoc anno exorti Molles Lutherani, cùm Philippus Melanchton Philippum Hassiæ Landgravium ad hæresin traduxisset, eidemque persuasisset ut nihil de Ecclesiæ ritibus immutari sineret.

Exorta est etiam secta Libertinorum, auctoribus ejusdem posteà Tornaci exustis.

Senatus Parisiensis, ne Lutherana hæresis per Galliam serperet, ejusdem primum promulgatorem flammis exurit.

Albertus Marchio Brandenburgensis, Magister Ordinis Teutonici in Prussiâ, cùm diu subterfugisset Sigismundo Regi Poloniæ Sacramento se obstringere, sicut olim inter ipsorum antecessores conventum erat, nunc tandem fatigatus infestationibus & inflictis à Polonis calamitatibus cum Rege transigit, ut Ordo mutetur in Ducatum, qui ipsi Alberto jure hæreditario conferatur, eâque ratione ipse pri-

mus Dux Prussiæ creatus, & factus est Lutheranus, & ut Magistrum suum Lutherum imitaretur, anno sequenti uxorem duxit Dorotheam Regis Daniæ filiam, futurus liberorum ex carne pater, & non amplius in spiritu & Christo pater Crucigerorum.

Detecta est hoc anno à Francisco Pizarro Hispano Duce, Regio Peruana, ditissima & feracissima auri ac argenti, cujus caput Cusco est Regia sedes, quam intra annos octo Hispanico Imperio adjunxit, cæso Imperatore Peruano Atalipâ.

Ordo Patrum Capuccinorum inchoatur, quem Deus hæresiarchis spurcissimis hujus temporis opposuit, qui ab hæreticorum abominationibus homines suo exemplo, & carnis inimico vivendi instituto revocaret.

ERRORES ET HÆRESIS MARTINI LUTHERI.

1. *Lutherus magnam scripturæ partem tanquam apogrypham repudiavit, videlicet Tobiam, Judith, multa capita ex Esthere, Job, Ecclesiasten, Sapientiam, Ecclesiasticum, Baruch, partem Danielis, libros Machabæorum, Epistolam Pauli ad Hebræos, Epistolam Jacobi, secundam Petri, duas ultimas Joannis, Epistolam Judæ & Apocalypsin.*

2. Er-

2. *Errores vocabat omnes scientias speculativas.*

3. *Negabat honorandos aut invocandos esse Sanctos & cupiebat abrogari illorum festa.*

4. *Si non ipse Lutherus, quidam tamen illius discipuli impugnabant imagines.*

5. *Negabat in homine liberum arbitrium.*

6. *Censebat omnia necessitate absoluta & inevitabili evenire.*

7. *Hinc aliqui ejus asseclæ dicebant orationem esse inutilem.*

8. *Lutherus sibi persuadebat hominem gratiâ Dei excidentem aliud nihil facere posse quàm peccatum.*

9. *Ad Ecclesiam non pertinere nisi bonos.*

10. *Concilium generale etiam ritè congregatum errare posse, tam circa fidem, quàm circa mores.*

11. *Neque Apostolos, neque Prælatos illorum successores habere auctoritatem ullam à JEsu Christo condendi canones & leges.*

12. *Non licere quenquam ullis humanis legibus adstringere, unde concludebat non solum licere, sed etiam necesse esse cælibatum & monachatum violare.*

13. *Prælatis Ecclesiæ obtemperandum non esse nisi in rebus in Scripturis apertissimè expressis.*

14. *Summum Pontificem non esse aliis Episcopis superiorem.*

15. Papæ nomen nihil aliud esse quam regnum Babylonis.

16. Anti-Christum non esse particularem personam.

17. Non esse timendam excommunicationem sed ut fulmen fanaticum irridendam.

18. Ecclesiam, seu Personas Ecclesiasticas non posse nec debere habere propria bona, unde Principibus suadebat Ecclesiarum expoliationes.

19. Hominis justitiam in sola peccatorum remissione sitam esse absque ulla interna renovatione.

20. Justitiam non produci à Deo in nobis, neq; nobis inhærere, sed Christi duntaxat justitiam nobis propter fidem imputari.

21. Peccatum in nobis semper manere.

22. Solam fidem justificare, non autem opera.

23. Justum certò etiam certitudine fidei scire se esse in statu gratiæ, licèt nullam ejus revelationem specialem habuerit.

24. Christianum non posse salutem perdere, etiamsi vellet, nisi velit non credere, ita ut sola incredulitas damnationem afferre possit, & omnia peccata cætera à fide absorbeantur.

25. Peccata non imputari habenti fidem.

26 Imo aliud peccatum esse nullum præter infidelitatem.

27 Fidem quolibet peccato mortifero amitti, & quidem hic error cum antecedentibus parum convenit.

28. Nul-

28. *Nullum esse præceptum in novo Testamento sine Evangelio, sed esse tantùm exhortationes & obsecrationes.*

29. *Impossibilem esse mandatorum Dei observationem.*

30. *Primos motus esse peccata.*

31. *Timorem servilem, qui ob pœnam à peccato avocat, esse inutilem.*

32. *Omnia opera hominis quantumcunque, bene sint facta, esse peccata.*

33. *Nullum esse meritum ad vitam æternam consequendam.*

34. *Nihil discriminis esse inter consilia & præcepta, eaque omnia quæ in Evangelio commendantur, esse præcepta, & nihil Deo gratum esse, nisi ipse præceperit, ac consequenter consilia esse interdicta, qui error â diametro pugnat cum errore decimo nono: ex eo tamen ipse Lutherus quatuor sequentia eliciebat.*

35. *Religiosam paupertatem ac mendicitatem esse prohibitam.*

36. *Prohibitum esse cælibatum & virginitatem Domini mandato adversantem, observatuque impossibilem.*

37. *Obedientiam Prælatis non esse exhibendam, licet ad eum quis se voto obstrinxerit.*

38. *Monachalem sive religiosum statum esse damnabilem, votaque religiosa ut impia & diabolica esse retractanda.*

39. *Jejunium nullius esse meriti.*

40. *Licere quibuslibet uti cibis omni tempore*

41. *Hæresin esse dicere Sacramentum aliquod conferre gratiam accipienti, quæcunque tandem sit ad illud præparatio.*

42. *Merè novorum esse Theologorum commentum asseverare Sacramentum aliquod imprimere Characterem.*

43. *Baptismo non deleri peccatum.*

44. *Confirmationem non esse Sacramentum, sed simplicem ceremoniam ac consuetudinem*

45. *In Eucharistiæ consecratione & missæ celebratione non esse aquam adhibendā, sic Lutherus in formula missæ, licèt fluctuans ac dubitans.*

46. *Rejiciendam esse transubstantiationem Eucharisticam, & ipsum eundem panem, & ipsum idem vinum manere post consecrationem, quod ante fuit.*

47. *Verum Christi Corpus non esse in Eucharistia secundum existentiam permanentem, sed tantùm secundum usum, eo scilicet tempore tantùm quo manducatur & sumitur ac consequenter Eucharistiam in altari nunquam esse asservandam extra sumptionem.*

48. *Unicuique Christiano cujuscunque sexûs ac conditionis & ætatis, necessariam esse sumptionem sub utraque specie, ita ut peccet si aliter fecerit.*

49. *Eucharistiæ sumptioni non esse præmittendam*

tendam confessionem aut examen conscientiæ, vel ullam pœnitentiam, sed sufficere solam fidem, quâ quis credat & confidat, se in ea gratiam obtenturum.

50. Missam neque esse à Deo institutam, neq; esse sacrificium, in libro tamen, quem de missa privata conscripsit, liberè fatetur se à diabolo permotum fuisse ad missam impugnandam.

51. Missam offerri non posse pro peccatis, neq; aliis seu vivis seu defunctis prodesse, sed soli tantùm Presbytero.

52. Pœnitentiam non constare ex tribus partibus, & optimam pœnitentiam esse novam vitam. Unde sex sequentes errores à Lutheranis inferebantur.

53. Eam contritionem seu pœnitentiam quæ initium sumit ab horrore inferni, esse perniciosam imò peccatum.

54. Confessionem auricularem non esse à Deo, sed ab hominibus institutam.

55. Absolutionem esse à sola fide ut pœnitens verè sit absolutus, dummodo illud ita esse credat, licèt contritione careat, neq; à Sacerdote seriò absolutus sit, sed tantum joco.

56. In pœnitentia & remissione peccatorum nihil amplius facere Papam, vel Episcopum quam minimùm Sacerdotem,. Quin etiam si desit Sacerdos quemlibet Christianum, imo fœminam & puerum posse idem efficere.

57. Nemtnem ubi absolutus fuerit, teneri ad satisfactionem.

58. Explodendas esse Papæ Indulgentias.

59. Purgatorium ex scriptura probari non posse.

60. Animas in Purgatorio, si illud existat, detentas posse adhuc mereri, adeoq; nec esse de sua salute adhuc securas.

61. Animas illas assiduè peccare, quamdiu quietem quærunt, & pœnas horrent, quoniam quærunt quæ sua sunt, contra Dei voluntatem.

62. Extremam Unctionem non esse Sacramentum, licèt sit aliqua ceremonia.

63. Ordinem non esse Sacramentum.

64. Fœminas Sacerdotii capaces esse.

65. Christianos omnes absq; ullo discrimine sexûs aut conditionis esse Sacerdotes, & eandem habere circa Verbum & Sacramenta potestatem.

66. Sacerdotes non debere cælibatum servare.

67. Matrimonium non esse Sacramentum.

68. Polygamiam esse licitam, & posse virum absque peccato plures uxores habere simul.

69. Licere conjugi conjugem permutare, quando alter ab altero ad furtum aliudque peccatum inducitur.

70. Idem licere uxori, si à viro ethnico seu à Pseudo-Christiano deseratur.

71. Di-

71. *Divortium fieri ac matrimonium dissolvi posse inter maritum pauperem & uxorem divitem.*

72. *Idem fieri posse ob frequentes rixas, si cohabitare non possint.*

73. *Idem fieri posse si alter alteri debitum conjugale neget & debitam benevolentiam.* Hîc *inquit Lutherus*, opportunum est, ut maritus dicat: si tu nolueris, alia volet; si domina nolit adveniat ancilla.

74. *Posse virum uxorem ducere Patruelem suam aut Consobrinam, imò & neptem ex fratre vel sorore.*

75. *Licet fluctuanter & dubitanter loquatur Lutherus, posse fratrem matrimonio sibi copulare sororem suam paternam vel maternam, modò non ex utroq; parente soror existat.*

76. *Omnes, iis exceptis, qui prædicationi insistunt, teneri vitam operibus manuum sustentare, ita ut mendicare non liceat.*

77. *Injuriam patienti non licere à Judice expetere ut illa sarciatur.*

78. *Nefas esse bellum cum Turcis gerere, quandoquidem inquiebat Lutherus, illud est Divinæ voluntati refragari, qui per Turcas visitat & corrigit nostras iniquitates.*

Hæc cloaca errorum est Lutheri & Lutheranorum: attendat autem Lector, eos non tantùm in Concilio Tridentino, sed

etiam in anterioribus Conciliis pleroſque damnatos eſſe, quos Lutherus & aſſecla tantùm reſuſcitârunt, omnes autem ha hæreticas propoſitiones & ſcandaloſas i libris Lutheri aut Lutheranorum ſparſim contineri, accuratè oſtendit Gaultheriu in Tabulis Chronographicis Eccleſiæ Ca tholicæ, in citationibus marginalibus.

HÆRESIS JACOBI PPÆPOSITI.

ERat hic natione Belga, Profeſſione Augu ſtinianus, ſed Lutherum ſecutus in erroribu quem cum circa annum 1523. Ejuraſſet, eide poſtea iterum in plurimis adhæſit. Quocir Religioſi in conventu Antverpienſi, qui ab in errorem inducti fuerunt, cærvere concl ſunt, & juſſu Hadriani VI. Conventus ejus fu ditus deſtructus eſt. Puncta hæreſeos ejus Pr teolus recenſet viginti ſeptem, quæ in erroribu Lutheri continentur, ideoque repetere non e neceſſe.

DE ANABAPTISTIS, SEU MUNTZE RICIS, AUCTORE THOMA MUNT ZERO, ET ENTHUSIASTIS.

QUo primùm inſtrumento dæmon uſus ſit, ut Anabaptiſtarum hæreſi exor dium daret, non eſt omninò liquidum: alii Carlſtadio, alii Zwinglio, alii Baltha ſari Pacimontano hanc palmam deferunt.

Sunt

Sunt, qui tribuunt Thomæ Müntzero, appellato etiam Monetario, Nicolai Storkii discipulo, qui circa annum 1524. sibi à spiritu revelatum esse gloriabatur, quòd gladio Gedeonis, quem se à Deo accepisse dicebat, universum Orbem cogere deberet, ad novum Christi regnum instituendum. Unde & ipse anno 1525. rusticos per totam Germaniam concitavit, ut in suos Dynastas arma capesserent. Sed Principes, immissis in eos copiis, centum quinquaginta millia eorum interfecerunt, ipso quoque Müntzero capto, & justo supplicio affecto. Et hanc cædem probavit Lutherus, qui anteà eorum rebellionem probaverat, ne scilicet ipse quoque ùt incentor involveretur, jam enim in eorum concitatores legibus & ferro agebatur. Nicolaus Storkius dictus Pelargus inter mendicos fugitivus obiit: Balthasar Hubmejerus Pacimontanus diu vagus erravit, & tandem post longum carcerem anno 1528. Viennæ flammis exustus, & uxor ejus aquis submersa est, ambo scilicet per ignem & aquam ad majora supplicia transituri.

Müntzeri porrò & Anabaptistarum, qui eum secuti, præcipui errores sunt:

1. *Puerorum Infantium Baptismum inuti-*

lem esse quare eos compotes rationis factos iterum abluunt, hinc Anabaptistæ seu Rebaptizantes nominati.

2. Negant filium Dei ex Beata Virgine carnem suam sumpsisse.

3. Realitatem & Sacrificium Eucharisticum rejiciunt.

4. Adeo Anabaptistæ ferini sunt, ut putent quamlibet fœminam obligari, ejus qui se concupierit voluntati servire. Et vicissim virum quemlibet teneri ejus quæ se rogaverit libidinem admittere.

5. Adeo cæci sunt & turpitudinem suam non agnoscunt Anabaptistæ, ut eorum etiam cubilia damnent, qui suam sectam non sequuntur, ea polluta ac diabolica nominantes.

6. Chiliasiarum seu Millenariorum fœdum errorem tuentur.

7. Concionantur communem libertatem à Principibus extinctam armis repetendam esse.

8. Cum Principatum & subjectionem omnem damnent & ejurent, credunt insuper se obligatos esse ad eos omnes Principatus & Magistratus tollendos qui suæ sectæ nomen non dederint.

9. Credunt peccata sua omnia propter Christum sibi condonata esse, & se in statu gratiæ vivere ac de gloria securos esse.

10. Thomas Müntzerus suos loca secreta quærere jubebat, & illic sæpenumerò cogitare quid

quid sit Deus? aliquamne curam gerat, rectane sit fides sua? petere etiam à Deo signa, quibus intelligant se illi curæ esse, & fidem suam esse Orthodoxam.

11. *Suis mandabat Müntzerus, ne scripturis viderent, sed haberent somnia tanquam signa certissima accepti à se Spiritûs sancti.*

12. *Imperabat suis ut publicis sceleribus abstinerent, corpus jejuniis, asperis vestibus & taciturnitate affligerent, & barbam non raderent ut sic externis hisce simulationibus venenum interius dissimularent.*

DE ANDREA CARLSTADIO.

ANdreas Carlstadius Archi-Diaconus Wittenbergensis, principio Lutheri assecla & amicus conjunctissimus, sed cùm ea familiaritas biennium non explêsset, ab eo recessit, & circa annum 1524. Berengarii errorem restauravit, realem Christi Corporis & Sanguinis præsentiam impugnavit, & ex Lutheri addictissimo fratre infensissimus hostis effectus est. Hujus dissidii origo fuit, quòd Luthero Wittenbergâ absente Carlstadius illo inscio illic missam abrogârit, habitum Ecclesiasticum abjecerit, Eucharistiam profanaverit, imagines è templis ejecerit, quod Lutherus post reditum suum indignissimè ferens, acriter duos libros contra eum scripsit.

Memorant Surius & Sleidanus, Lutheri jussu è Saxoniæ finibus Carlstadium expulsum esse. Narratur item de Carlstadio quòd, absente Luthero, Wittenbergenses scholasticos eò adduxerit, ut humaniorum litterarum libros comburerent, seque ad opificia addiscenda conferrent, quemadmodùm & ipse factus est agricola, sicut & Melanchton pistor, eo scilicet errore imbuti, neglectis scientiis omnibus soli & nudo textui Scipturæ sacræ operam omnem esse impendendam. De Carlstadio scribuntMinistri Basileenses,eum horribili morte vitam terminâsse, & à dæmone interemptum.

DE JOANNE OECOLAMPADIO.

JOannes Oecolampadius Germanus, S. Brigittæ quondam Monachus, cùm aliquamdiu adhæsisset Luthero,Anti-Lutheranus & Sacramentarius effectus est.

1. *Circa annum 1525. scripsit contra realitatem Eucharistiæ, interpretans vocabulum* est,*verborum consecrationis* Hoc est Corpus meum *vocè* Significat.

2. *Negabat Christianis licitum esse bellum gerere.*

3. *Libertatem arbitrii rejiciebat.*

4. *Cultum & invocationem Sanctorum damnabat.*

Coch-

Cochlæus in actis Lutheri narrat Oecolampadium, cùm serò lectum petiisset, postero die manè in cubili mortuum à prætenta uxore suâ repertum esse, sive ipsa eum occiderit, ùt pleriqúe dicunt, sive ipse sibi manus intulerit, ùt volunt alii, seu tortorem dæmonem habuerit, quemadmodum scribit Lutherus in libro *de Missa privata*, multùm contrarius Bezæ qui in suis Iconibus ait, Oecolampadium, quem Basileensis Ecclesiæ restauratorem appellat, peste illic extinctum esse.

DE LIBERTINIS SEU QUINTINISTIS A QUINTINO ET COPPINO PROGENITIS.

QUintinus sartor Pikardus socio Coppino, circa annum 1525. pestiferum de libertate errorem in Brabantia & Hollandia disseminavit, pro quo, aliisque multis criminibus extremo supplicio Tornaci affectus est, hæresi priùs abjuratâ.

Fundamentum præcipuum Libertinorum fuit, unicum esse spiritum immortalem scilicet Deum Angelos autem, Dæmones, & hominum animos nihil esse, nisi meram opinionem, ex his Principiis sequentia dogmata deducebant.

1. *Omne id quod ab hominibus fieri videtur, sive bonum sit sive malum, ab ipsis non fieri, sed ab unico illo spiritu Dei, qui omnia in omnibus operatur.* 2. Pec-

2. Peccatum aliud nihil esse, quàm falsam & inanem quandam opinionem, quandoquidem Deus qui cuncta operatur, nihil mali admittere potest.

3. Eos qui occidunt, mœchantur, aut furantur non esse arguendos, in Deum enim caderet ista reprehensio.

4. Regenerationem hominis in eo sitam esse ut omnis scelerum conscientia deponatur, remorsus ejus expellantur, & quod inter bonum & malum discrimen intercedat, nesciatur. Nam, inquiebant, uti in statu innocentiæ ignorabat Adamus, quo differret bonum & malum, sic qui omnia quæ collibuerint nullâ conscientiâ reclamante, faciunt ad eum statum redeunt ita ut secundùm eos in hoc libertas Christiana posita sit, & veteris Adami mortificatio. Unde si aliquem in peccando trepidantem & metuentem viderunt dicere soliti erant. O Adame! quid adhuc vides aliquem? adhuc retines illius pomi saporem?

5. Aliud nihil esse pœnitentiam, quàm se nihil mali admisisse cognoscere & profiteri.

6. Posse hominem in hac vita innocentiæ & perfectionis apicem conscendere, omnes conscientiæ stimulos reprimendo.

7. Ipsum Christum esse quiddam ex spiritu Dei & opinione compactum, tunc autem mortuum esse quando eam opinionem, quod ipse aliquid

quid

quid esset, abolevit, ab inferis verò esse suscitatū, & vitam nobis restituisse, cum ipsummet Dei spiritum, qui vivit & regnat semper, nos esse docuit. Deniq; nullam aliam resurrectionem esse sperandam.

8. *Licere omnia simulare & dissimulare, cum Catholicis vivendo Catholicè, cum Lutheranis Lutherano more.*

9. *Minimo loco habendas esse scripturas, cum spiritus sufficiat, unde Libertini adeo scripturam aspernabantur ut S. Joannem Evangelistam* Juvenem stolidum : *S. Matthæum* Fœneratorem, *S. Paulum* Vas confractum, *S. Petrum* Christi abnegatorem *nominarent.*

DE UDALRICO SIVE HULRICO ZWINGLIO, ZWINGLIANORUM PARENTE.

ZWinglius anteà Canonicus Constantiensis, Carlstadium magistrum habuit & statim ab ipso pro Berengarii errore scripsit anno 1525. negans veram Christi secundùm corpus & sanguinem in Eucharistia præsentiam & realitatem. Hoc facto probavit se Lutheri adversarium esse. Occisus est in prælio contra Catholicos gesto anno 1531. ejus verò corpus posteà combustum est. Errores sunt, qui sequuntur.

1. *Indulgentiis bellum indixit.*

2. *Te-*

2. *Testatur Zwinglius se per somnium edo-ctum esse quâ ratione Eucharistiæ veritatem im-pugnaret, à quodam spiritu, qui an albus a-ter fuerit, negat se unquam potuisse meminisse.*

3. *Putat Zwinglius peccatum Originis non esse peccatum, sed naturæ morbum.*

4. *Gratiam rejicit, aut saltem cum Pelagi-gratiæ necessitatem, quando docet homines solis viribus naturalibus & propriis meritis pos-adipisci, & sic de Catone ac Scipione judican-dum esse, eos salutem consecutos fuisse.*

5. *Zwinglius ad Nestorianos, Luthero teste, desci*vit, cùm verba Capitis primi S. Joanni corrupit, legens.* Verbum Caro facta est.

DE DAVID-GEORGIANIS SEU DAVIDIANIS, EX GEORGIO DAVIDE PROFECTIS.

GEorgius David vitriarius Gandavi in Flandria anno 1501. ex circulatore natus, hæresin suam disseminare cœpit in Frisia anno 1525. cujus præcipua dogmata erant.

1. *Se Dei nepotem esse dicebat ex spiritu, non ex carne natum, verum Messiam & tertium Davidem, qui in terra regnare debeat.*

2. *Cœlum vacuum esse dicebat, ideoque se missum, ut in regni cœlestis hæredes filios adoptaret.*

3. *Negabat resurrectionem mortuorum, postre-*

postremum judicium & spiritus aliquos esse seu bonos seu malos, itemque vitam æternam.

4. *Cum Adamitis matrimonium rejiciebat, jubens communia esse cubilia fœminarum.*

5. *Sentiebat cum Manichæis animam peccatis non inquinari sed tantum corpus.*

6. *Infidelium animos æquè ac fidelium salutem adepturos, & vice versâ Apostolorum corpora non minùs inferorum flammis cremanda, quàm infidelium.*

7. *Stultum esse dicebat peccati accusare, si quis coram hominibus Christum negaret, unde insanos Apostolos & Martyres vocabat, quòd suo sanguine Christi fidem sancivissent.*

Obiit David Basileæ anno 1556.

DE CHRISTOPHORO SCHAPLERO, ET ASSECLIS.

Fuit hic Christophorus Schaplerus unus ex primariis Ducibus rusticorum, qui Müntzeri insolentissimæ factioni adhæserunt. Scripsit duodecim Articulos de Christianâ libertate contra Principatus & Magistratus propugnandâ. Præcipuus articulus fuit, *Nullum esse Magistratibus tributum solvendum.*

✲(1526.)✲ Solymannus Turcarum Imperator veritus, ne post Rhodum captam coirent Principes Christiani, Ludovico Hungariæ Regi pacem offert, quam ille recu-

recusat suadente licèt Pontifice & Vene-
tis. Solymannus itaque Hungariam in-
gressus cum 300. armatorum millibus, cui
cum 25. millibus occurrit Ludovicus, Du-
cePaulo Tomoreo Archi-Episcopo Colo-
censiMinoritâ,prælium imprudenter con-
ferit, & victus cum ingenti suorum stra-
periit in palude submersus, anno ætatis vi-
gesimo: Periit etiam Paulus cum multi
Episcopis: & magnâ parte Nobilitatis,cæ
si sunt omnes aut capti Duces, præter
Hannibalem Cyprium copiarum Pontifi-
ciarum Præfectum: Latè vastata Hunga-
ria, captivi abducti 300. millia Christiano-
rum. Ne autem ulteriùs Solymannus
progrederetur, impediverunt in Asia mo-
tus excitati à quodam Saraceno monacho
Calendero Zelebe, cui se multi Bassæ con-
junxerant. Sed hic demùm victus ab Ibra-
mo Bassa, morte suâ Turcis pacem, & me-
tum reddidit Christianis.

Ludovico successit Ferdinandus Archi-
Dux Austriæ, & frater Caroli V. Sed
brevì Bosniam & Croatiæ partemRex no-
vus amisit, & Turcis cedere coactus est.

Sigismundus Rex Poloniæ restituit fi-
dem Catholicam Gadani, unde anno su-
periore depulsa fuit: In variis quoque lo-
cis cremati hæreticorum antesignani, hæ-

resis

resin nonnihil suo cinere restinxerunt, ubique blandiùs sese insinuantem, ut postea atrociùs debaccharetur.

Franciscus I. Rex Franciæ cùm in custodiâ Hispalensi convaluisset, adeo duris conditionibus emissus est in libertatem à Carolo V. ut, quamvis duos filios obsides dederit, tamen, cùm postmodùm in Galliam pervenit, mense Martio habitis regni Comitiis decretum fuerit, conditiones admitti non posse quoad restitutionem Burgundiæ & plurimorum jurium renunciationem, ingentem tamen vim pecuniæ proRegis redemptione persolvendam esse. Rex insuper in firmæ amicitiæ pignus, utì convenerat, ad ducendam Eleonoram sororem Caroli, & viduam Emmanuelis Regis sese offerebat. Cùm verò hæc Carolus acceptare abnueret, & Duces ejus in Italia Franciscum Sfortiam Ducem Mediolanensem proditionis insimulatum expulissent, ac denique quòd Carolus in Hispania diceretur lege caviſſe, ut Pontificia diplomata Regius Senatus examinaret, his de causis Clemens Pontifex cum Rege Francisco, Venetis, ac Longobardis fœdus contra Carolum iniît, Anglo etiam ad id solicitato, & Carolo ægerrimè id ferente, cujus Duces propterea

Pon-

Pontificem supra modum vexârunt, & direptâ supellectile in castrum S. Angeli se recipere coëgerunt, omnibus Ecclesiæ fulminibus neglectis. Mox etiam hoc eodem anno adhuc Lanoius cum classe Hispanica Cajetam appulit, Francisco & Carolo pro gravissimi belli exarsuro incendio magnas ubique copias comparantibus.

✲(1527.)✲ Funestus hic annus fuit Romæ direptione: quando Carolus Borbonius Ductor copiarum Imperatoris in Italia Romam aggressus, & 3. Nonas Maji obsidere cœpit, urbem die sequenti expugnaturus, quod & præstitit, ipse scalam ferens ad murum, ut conscenderet, sed sclopeto ictus pugnandi vivendique finem fecit; cujus tamen morte militum ardor restinctus non est, sed ultionis æstu magis accensi Philiberto Arausicano Duce ardorem ventilante magis & accendente furiosâ vi urbem occupârunt, obvios quosque armatos & inermes trucidârunt, nobiles æquè ac divites, matronas & virgines prostituerunt, etiam sacris & Deo dicatis pudorem eripientes. Verbo, æquali furore in sacra & profana sævitum est, quodque instar omnium malorum fuit, etiam Vaticana Bibliotheca incensa indomitos

mitos furentium ardores experta est, ut non â Christianis, sed ab Ottomanis urbs capta putaretur. Novatorum assecłæ, præcipuè qui copiis Cæsarianis magno numero intererant, tunc ostendêre, quo animo essent in Pontificem & Ecclesiam, nulli parcentes contumeliæ in Antistites & Sacerdotes, quorum multi ex plagis & vulneribus interiêre, & hæreticis quidem permixti Itali, Hispani & Germani Catholici cum lupis pariter ululârunt: Clementem Portificem in arce S. Angeli ob. sessum durissimis conditionibus sese dedere compulerunt: quo rerum eventu audito Florentini Medicæos expulerunt, & disjectis Pontificum Leonis ac Clementis imaginibus pristinam Reipublicæ suæ formam reducere conati sunt. Carolus autem Imperator magnum præsetulit mœrorem, supplicationibus etiam publicis institutis, hæc tam atrocia se invito perpetrata esse, plurimùm verbis conteslatus, qui etiam Pontificem è custodiâ emitti jussit, lytro tamen ingenti priùs depositio. Videbatur tunc multis Cæsar id non facturus fuisse, sed potiùs in Hispaniam captivum Pontificem missurus, nisi Henricus VIII. Rex Angliæ ad Pontificis partes in hoc afflicto rerum statu se convertisset, & pari-

pariter Galliarum Rex ad liberandum Pontificem exercitum misisset.

Inter hæc in Germania scriptis atroci ter certatur, & Lutherus parcebat neimini non Tiaris, non Coronis: vicissim ipse multis impetebatur. Altercantur etiam graviter inter se Semi-Lutherani, qui po stea Adiaphoristæ & Confessionistæ sun dicti, & Lutherani rigidi, aliter a Mathi Flacco Illyrico nuncupati Illyricani.

✲(1528.)✲ Franciscus I. Galliæ Re pro sua redemptione & ad liberandos ob sides filios offert Carolo V. vicies cent millia, quos cùm Carolus recusaret, & vel let adimpletas initas conditiones ad api cem, indictum est illi à Francis pariter & Anglis bellum. Franciscus quoque Galliæ Rex ad singulare certamen Caro lum provocavit, quam provocationem ta men Cæsar meritò elusit.

Lautrechius cum Gallico exercitu in gressus regnum Neapolitanum, omnes ur bes ferè occupavit, præter Neapolim & Cajetam, quam etiam obsedit; factum tamen Gallorum levitate, ut iterum perde rent, quidquid facili labore acquisiverant

Henricus VIII. Catharinam Caroli V materteram facto divortio repudiat, & Annam Bolenam in sociam tori & regn adsci

adsciscit, quod cùm Pontifex improbaret, simul fœdus & amicitiam cum Henrico abrupit. Huic divortio initium & causam præbuit Cardinalis Volsæus, qui, cùm videret Regem despicere uxorem suam, ex quâ tamen Mariam susceperat, suspicionem illi injecit de valore matrimonii, cùm eâ per Pontificis dispensationem initi, & pro Catharinâ obtulit Margaritham Alenzoniam, Franciscí I. sororem; Verùm Rex impudicus in Annam Bolenam oculos conjecerat, fœminam quidem non venustam, sed staturâ, cantu, fidibus, & facetiis non illiberalem. Hanc quidam scortum nobile Parisiis fuisse scribunt, imò & susceptam ex Henrico de adulterio, qui matrem ejus deperierat, quod tamen Henricus nihili fecit, cui & aulicus quidam scurra dicere & abblandiri non erubuit, si matrem deperiret & filiam, eum non plùs peccaturum, quàm si in prandio gallinam, in cœnâ pullam ejus comedisset. Henricus porrò cùm causa divortii Romæ ageretur, inter constitutos à Clemente judices Cardinales, Laurentium Campejum, & Thomam Volsæum, jussuque Pontificis protraheretur (sperabat enim Pontifex, hoc negotium tempore & patientiâ extingui posse) pertæsus moram, & suspica-

tus, se à Volsæo delusum esse, eum Cancellarii dignitate exuit, & Eboracum relegavit; hîc bonis pænè omnibus spoliatus,& demum Londinum vocatus, ut causam læsæ Majestatis diceret, in itinere ex dysenteriâ obiit, vir ingenio, solertiâ & simul criminibus magnus, & post ejus obitum anno sequenti divortii negotium tractari cœpit inter Theologos & viros eruditos: Rex habuit suos & pro se, sed sceleratos omnes, Catharina probos tantùm & veritatis amantes, inter quos cùm emineret Thomas Morus,eum Henricus Cancellarium creavit, ut ad partes suas pelliceret; Stetit quoque à Reginâ Reginaldus Polus Regis consanguineus, magnæ exspectationis & doctrinæ juvenis, sed adhuc majoris constantiæ, qui etiam mortem sibiRegis manu paratam neglexit, ne veritati defuisse videretur. Incepit igitur jam ab hoc tempore Henricus Romani Pontificis nomen aversari, ut se Caput Ecclesiæ Anglicanæ posthac nominaret.

In Galliâ celebratur Concilium Senonense contra hæreses, & pro morum reformatione.

Ordo PatrumCapuccinorum à Clemente V.Pontifice,magno Ecclesiæ bono,confirmatur. 1529.

✲(1529.)✲ Novis indies sectis Rempublicam dilacerantibus Spiræ in Conventu Imperii agitur de expeditione contra Turcas, & decernitur, standum esse edicto Wormatiensi contra Novatores, contra hoc edictum Principes Lutheranæ sectæ addicti, solenniter protestati sunt cum Joanne Electore Saxoniæ, & Landgravio Hassiæ, ex quo etiam *Protestantes* appellari cœperunt.

Carolus V. cupiens coronari à Pontifice, redit in ejus gratiam, & pacem init cum illo, & simul cum Francisco I. Rege Galliarum, summo Christianitatis emolumento.

Celebratum est hoc anno colloquium Marpurgense inter celeberrimos hujus temporis heterodoxos, quod dissolutum est, renuente Luthero Zwinglium appellare fratrem. Postea Protestantes Smalkaldiæ Conventum egêre, ratumque habuerunt, eos deinceps tanquam hostes excipere, qui doctrinæ suæ repugnarent, & mutuo inter se fœdere devincti, nequaquam de Turcis cogitârunt, quanquam hi formidando exercitu irruptionem pararent.

Solymannus Imperator Turcarum à Joanne Waywoda evocatur, ut regnum reciperet, quo per Ferdinandum

Auſtrium excluſus erat ; igitur cum magno exercitu ducentorum millium Hungariam inundat, ac eodem impetu Quinque-Eccleſias, Albam-Regalem, Peſtum, Budam, Strigonium, Altenburgum occupat, & urbibus cæteris certatim ſe dedentibus, Viennam etiam obſidet, eamque graviter oppugnat, ſed fortiùs eam tutatus eſtPhilippus Palatinus Rheni. Quare Solymannus poſt viginti dies acerrimæ oppugnationis, deſideratis ſuorum ſexaginta millibus, receſſit.

Hoc tempore actum eſt cum Carolo V. de Inſula Melita Rhodienſibus Equitibus danda, quam anno ſequenti poſſidere cœperunt cum obligatione accipitris unius ſingulis annis Regi Neapolitano offerendi & Profeſſionis clientelæ, quoties novus Princeps regnum adiret. Exinde nomen traxerunt *Equites Melitenſes*, per contemptùm dicti à Turcis Piratæ, ſed revera egregii contra Turcas propugnatores.

✲(1530.)✲ Carolus V. Bononiæ coronatur Imperator, & exinde Comitia Imperialia Auguſtæ celebrat, in quibus Proteſtantes offerunt Imperatori Confeſſionem ſuam à PhilippoMelanchtone conſcriptam, quæ ab Imperatore rejecta eſt, juſſiſque omnes redire ad priſtinam fidem.

Egre-

Egregiè tunc à Catholicis Doctoribus pugnatum est. Obtulerunt quoq; suam Confessionem civitates Zwinglio adhærentes, sed & illa repulsam tulit, & Carolus V. laudabili exemplo pietatis & fidei tunc omnibus Principibus præluxit, quando ardentissimo sole nudo capite, manu præferens facem Theophoriæ in solenni supplicatione interfuit, & fidei suæ Orthodoxæ, ac pietatis erga Augustissimum Sacramentum publicum specimen exhibuit.

Hoc anno Franciscus I. Rex Galliæ liberos suos tandem recepit, & simul Eleonoram sororem Caroli, relictam Emmanuelis conjugem duxît.

DE PHILIPPO MELANCHTONE MOLLIUM LUTHERANORUM, SEU CONFESSIONISTARUM DUCE.

Hic rem suam agere & ex parte à Lutheро sese subducere cœpit anno circiter 1630. Unde ejus sectatores SemiLutherani & molles Lutherani dicti sunt, cùm econtra Illyricani, quòd sub vexillis Flacci Illyrici, anteà Melanchtonis discipuli, Luthero strictiùs adhæsissent, Rigidi Lutherani appellati sint. Inditum quoque illis nomen *Confessionistarum*, eoquòd ipse Melanchton composuisset & manu suâ scripsisset novam Confessionem, Augu-

ſtanam nuncupatam, & Carolo V. obl
tum Auguſtæ. Obiit Melanchton an
1560. cum ea religionis indifferentiâ a
inconſtantia, ut vulgò *Cothurnus Germa*
appellatus ſit, & ipſum poſt obitum ej
ferè omnes ſectæ tanquam ſuum vendic
rint. Præcipui ejus errores ſunt:

1. *Scribit in annotationibus ſuis in Epiſtol*
S. Pauli ad Romanos, quemadmodùm voca
Pauli, ſic etiam Davidis adulterium opus D
fuiſſe, & tam Judæ proditionem, quàm Pa
vocationem auctorem Deum habuiſſe.

2. *Docebat in eo poſitam eſſe veram fidem,*
ut unuſquiſq; credat ſibi peccata ſua dimiſſa eſſ

3. *Nihil inter præceptum & conſilium di*
criminis intereſſe, & nullum in Evangeli
conſilium eſſe, ſed omnia præcepta.

4. *Poſſe hominem ſolis naturæ viribus ſe a*
gratiam recipiendam diſponere.

5. *Docuit quidem primò, adhærens Luther*
nullam arbitrii libertatem, in locis autem com-
munibus poſtmodùm editis libertatem arbi-
trii acerrimè propugnat, & ſuam opinionem
Manichæi ſomnium & horrendum mendacium
vocare audet.

6. *Bona opera noſtra mercedem corpoream*
& ſpiritualem mereri fatetur, non tamen vitam
æternam.

7. *Evangelium legem eſſe negat, ſed novum*
Teſta-

Testamentum meram esse omnis boni promissionem sine ullâ lege, nullâque habitâ justitiæ nostræ mentione. Sed hæc manifestè repugnat tertio ejus articulo.

8. *Nullum aliud peccatum esse, quàm incredulitatem.*

9. *Baptismo solùm Originis peccatum, non item alia deleri.*

DE MARTINO BUCERO.

MArtinus Bucerus Argentinæ natus Ordinem Sancti Dominici deseruit & ad Sacramentarios defecit anno circiter 1530. quibus postea relictis, Lutherum secutus est, & ab eo transiit ad Zwinglium, cujus tamen spem elusit, & Luthero iterum se dedit, à quo tamen altera vice factus transfuga, partes nunc suas agere & tertiam Sectam erigere laboravit, quæ cum Sacramentariis Lutheranos copularet.

1. *Error ejus est, Christi corpus in Eucharistia præsens adesse quando sumitur, aliàs nunquam.*

2. *Sensum verborum Christi* Hoc est corpus meum *hunc germanum esse*, Hoc est protestatio & memoriale beneficiorum Dei.

3. *Eum qui solam habet historicam fidem (eam autem intelligit, quâ religionis Christianæ mysteriorum veritas creditur) in Eucharistia*

stia nihil accipere quàm signum corporis Christi.

4. *Puerum infantem quanquam baptismo initiatum non salvari.*

5. *Baptismo non tolli peccata omnia, cùm carnis concupiscentia remaneat, quam dicit esse peccatum, licet à Deo non imputetur.*

6. *Sacerdotes ad observandum cœlibatum non obligari.*

7. *Aliud nullum esse peccatum præter incredulitatem.*

8. *Debere omnes admissis quibuslibet sceleribus firmiter credere, se Deo gratos esse.*

Defunctus est Bucerus in Anglia anno 1571. ubi ejus ossa combusta sunt anno 1575. dicitur in morte Judaismum professus, & negasse Messiam adhuc veniisse, quæ res Bezam deterrere debuerat, ne eum in suis iconibus tantis laudibus efferret, ac diceret, *Civitatem Argentinensem Bucero restitutam Ecclesiam debere.*

DECAS IV.

(*Ab anno Christi 1530. ad 1540.*)

1531. FErdinandus Caroli V. frater Hungariæ & Bohemiæ Rex, in Comitiis Colonienſibus creatur Rex Romanorum & Aquisgrani coronatur Joanne Saxone

xone cum Proteſtantibus reclamante, qui Regum Franciæ & Angliæ auxilium implorârunt, & Schmalkaldiam rurſus convenientes, de ſua defenſione deliberârunt ſi à Catholicis invaderentur, Luthero ſeditioſiſſimis libellis igni oleum affundente. Ferunt tunc Franciſcum opem pollicitum eſſe, Sicut & Waiwodæ Tranſylvano ſi adverſus Ferdinandum arma moveret.

Joannes Tarnowski Ruſſiæ Palatinus inſignem victoriam reportat de Petro Waiwoda Moldaviæ.

Quinque pagi Helvetiorum (quos vocant *Cantones*) Lucernates, Urienſes, Switientes, Underwaldenſes & Zugenſes, boni Catholici à Tigurinis & Bernatibus, Zwinglianis malè accipiebantur, itaque bellum iis denunciarunt Catholici, & eodem menſe quater vicerunt, licèt numero & potentiâ ſuperiores, ac Schaffhuſenſium & Baſileenſium fretos auxilio. Primo autem prælio quod 5. id: Octob. commiſſum eſt, pugnans cecidit Zwinglius, & accepto lethali vulnere judicibus oblatus, ut proditor & hæreticus confiteri negans, flammis exuſtus eſt, & cineres à ſuis magnâ devotione collecti ac deinceps culti ſunt.

Paulò pòſt in lecto repertus eſt mortuus

Oecolampadius, cui succeſſit in hæreſi Bullingerus ſacerdos Apoſtata: Quos hæreſiarchas capitaliter oderat Lutherus, & afflatos dicebat à dæmone, cujus ipſe Lutherus conviva fuit, multùm cum eo ſalis abſumens, ùt ipſe aſſeveravit.

Equites Melitenſes Methonem Peloponeſi urbem invadunt & diripiunt.

Pontifex agit cum Baſilio Magno Moſchoviæ Duce de reductione ad unionem fidei Catholicæ, ſed ultra litterarum & Legatorum commercia res non proceſſit.

Schomaſcorum Ordo, quibus curæ eſt orphanos alere, & ad artes, bonosque mores inſtituere, ab Hieronymo Æmiliano nobili Senatore Veneto fundatur. Dicti hoc nomine à loco inter Mediolanum & Bergamum Somaſcha: alio nomine appellati Clerici S. Majoli. Huic autem Ordini in Gallia poſtmodùm conjuncti ſunt Patres Doctrinæ Chriſtianæ; Obiit Hieronymus anno 1531. miraculis clarus.

Procudit hoc anno novam hæreſin Michaël Servetus, Hiſpanus Sacramentarius, Anabaptiſta, Trinitarius, cui accinuit Joannes Campanus Germanus, ſcholæ Lutheri deſertor.

✲(1532.)✲ In Comitiis Ratisbonenſibus

sibus constituitur, ut usque ad Generale Concilium nemini in causâ religionis negotium facesseretur; unde multi de Carolo questi sunt: quem ad hoc impulerunt imminens bellum Turcicum, & turbata Germania.

Bellum Turcicum ingenti apparatu geritur, Carolo V. in exercitu numerante ducenta sexaginta armatorum millia, & Solymanno trecenta equitum millia, sed major fuit utrimque belli apparatus, quàm effectus & fructus.

Carolus Imperator Bononiæ agit cum Pontifice de Concilio Generali, pace Italiæ, & bello Turcico.

Congregatio Recollectorum à Pontifice approbatur.

Franciscus I. Galliæ, & Henricus VIII. Angliæ Rex inter se conveniunt, hic cupiens abrumpi suum matrimonium, ille cupidus recipiendi Ducatûs Mediolanensis, quorum consilia disjecit maturior Solymanni reditus ad sua, & Caroli in Italiam adventus.

Andreas Spoletinus Minorita in mediis flammis illæsus prædicavit fidem Fessæ, atque uti magus lapidibus obrutus est à Mahumetanis,

✲(1533.)✲ Barbarossa, aliter dictus

Ænobarbus dictus Mytilenus, seu Hariadenus, totius maris Beglierbegus à Solymanno constitutus, creatur insuper Rex Algeriæ, quam anno præcedente occupaverat, & cum classe centum triremium Moream, anno præcedente ab Andreâ Auriâ, Hispanicæ Classis Præfecto occupatam invadit, & coronam aliaque loca recipit.

Defuncto Rege Daniæ post multa dissidia eligitur Christiernus Holsatiæ Dux, qui sublatis Episcopis Lutheranam sectam ibidem firmat.

Henricus VIII. Annam Bolenam sibi uxorem sumit, causa divortii per Thomam Cranmerium Archi-Episcopum Cantuariensem dijudicata, quæ causa præcipua fuit, cur Clemens Papa cum Francisco I. Galliarum Rege Messaliæ colloqueretur, ut tanto huic malo remedium inveniretur, quod plurimorum malorum seminarium postmodùm fuit. Proposuit etiam paulò pòst Clemens aliquas Protestantibus conditiones, quas optimas licèt Elector Saxonicus repudiavit. Tunc Lutherus Missam abolere primò cœpit, post habitum cum dæmone colloquium (ùt ipse fatetur) Eucharistiam autem retinere decrevit.

Proba-

Probata est hoc anno Bononiæ à Clemente Congregatio Clericorum Regularium S. Pauli decollati, erecta Mediolani à tribus nobilibus viris, excitatis à Seraphino Concionatore Canonico S. Augustini, hi adhortantes populum publicis expositionibus Epistolarum S. Pauli Apostoli multis profuêre & adlectis aliquot sociis in Ecclesia S. Barnabæ Mediolani dicti sunt Barnabitæ, post biennium à Paulo III. confirmati.

✲(1534.)✲ Monasterii in Westphalia cùm cives abdicatâ religione Catholicâ Luthero adhæsissent, & inde Anabaptistarum errores imbibissent, veteréque Senatu ejecto, novum ex suis elegissent, hoc anno à suo Episcopo cum auxiliaribus principum copiis mense Februario obsessi, & acerrimè sese defendentes in Regem suum elegerunt Joannem quendam sartorem Leidensem, qui mox alios duodecim ordinavit, quibus Ducatum & Episcopatus in totâ Westphaliâ distribuit, donec post toleratam durissimam summâ omnium rerum penuriâ, sedecim mensium obsidionem ex insidiis noctu capta urbs est, & cives ferè omnes trucidati, eorumque Rex cum præcipuis regni Proceribus igneis forcipibus lacerati, in caveis ferreis

in ſpectaculum ſuſpenſi exponuntur.

Clemens Pontifex in Regem Angliæ Henricum ob divortium Catharinæ ejus Conjugis poſt longas moras, & diu fruſtrà exſpectatam pœnitentiam, publicam fert anathematis ſententiam, Rex autem publicis Comitiis in menſe Decembri decretum promulgat, quo ſe *Caput Eccleſiæ Anglicanæ* pronunciat, pœnâ capitis ſtatutâ in eos, qui Pontificis auctoritatem in Angliâ agnoſcerent, ſibique eo nomine annatas Beneficiorum Eccleſiaſticorum, & decimas perſolvi jubet.

Inſinuant ſe quoque hoc tempore hæreſes in Galliâ, Rex autem ſeverè edicit contra eas, & aliquot Lutherani vivi exuruntur.

Barbaroſſa Rex Algeriæ Tunetum in Africa Turcico ſubjicit Imperio, pulſo Rege Muleaſſe Mauro.

Clemens Papa VII. moritur, cui ſubrogatus eſt Alexander Farneſius, dictus Paulus III.

Ad hunc quoque annum ſpectant Joannis Calvini initia; Et eodem anno S. Ignatius Loyola Societatis JESU Pariſiis ponit fundamenta, nactus novem ſocios Fabrum, Xaverium, Lainium, Salmeronem, Bobadillam, Simonem Roderi-

cum,

ricum, Jajum, Codurium, & Broëtum, Parisiensis Academiæ tunc temporis scholasticos, qui votis quibusdam nuncupatis obstrinxerunt se Deo sub B. Mariæ V. patrocinio, ad Orbem universum Christo addicendum, tametsi ex diversis gentibus, odio capitali inter se disjunctissimis omnes oriundi essent, his tamen votis & sanctâ voluntate unanimes & conjunctissimi: Quibus viris usus S. IGNATIUS Ordinem suum brevi instituit, quo vix alter citiùs per Orbem dilatatus est, omni invidiâ & malevolâ contradictione majorem.

DE JOANNE WESTPHALO.

HIc Lutheranus fuit, & in judicio propriâ confessione sequentium errorum convictus, circa annum 1534.

1. *Negabat expressè in Scripturâ contineri, Spiritum Sanctum à Filio procedere.*

2. *Asserebat, Ecclesiam errare posse, & reipsâ errâsse.*

3. *Falsum atq; erroneum esse dicebat hunc S. Athanasii versiculum:* Sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus.

4. *Dicebat, Concilia Generalia in Spiritu S. non congregari.*

5. *Non teneri omnes Conciliorum decretis obtemperare.*

6. Pon-

6. *Pontificem Romanum legitimè institutum non esse Christi Vicarium.*

7. *Apostolos, eorumq; successores Ecclesiæ Prælatos à Christo potestatem non habere Canones constituendi.*

8. *Damnabat vota religiosa, & Ordines à Pontificibus approbatos,*

9. *Sacerdotes omnes & Episcopos dignitate pares esse dicebat.*

10 *Non instituto Christi, sed hominum, Episcopum alium alio superiorem esse.*

11. *Christianorum nemini, etiam doctissimo unquam licuisse Christi verba interpretari, imò Ecclesiam universalem nullo id jure potuisse.*

12. *Non esse peccatum ullum originis, neque S. Augustino, qui id asserit, fidem habendam esse.*

13. *Nullam esse justam causam, propter quam Clericis lex continentiæ proponatur.*

14. *Christum neq; Quadragesimæ jejunium instituisse, neq; dierum 40. jejunio nos ad exemplum invitâsse, imò nullum obligari ad jejunium.*

15. *Usum aquæ lustralis irridebat.*

16. *Convitiabatur indulgentias.*

Deniq; in concione diei Parasceves de Christi Passione hæc verba pronunciavit: Crucifixerunt eum, quis scit autem, an funiculis alligaverunt cruci, an clavis suffixerunt?

DE

DE BALTHASARE PACIMONTANO.

EX Anabaptistarum præcipuis hic unus fuit, & circa annum 1534. tantum de se rumorem excitavit, ut à multis illorum pater haberetur: Errores docuit communes cum Anabaptistis

DE GUILIELMO FARELLO, FARELLISTARUM DUCE.

ORtum habuit Vapinci in Delphinatu, & Genevam veneno suo infecit antequam Calvinus eam attigisset, qui tamen eam illi posteà eripuit, adeò ut deinde Neocomensis Minister creatus sit. Diem obiit, prout refert Beza in suis Iconibus, anno 1565. Quod ad ejus errores attinet, præterquam quod fuerit Anti-Lutheranus & Sacramentarius Pauli Samosateni hæresin in integrum restituit, docens, Spiritum S. esse quendam motum creatum. Refricuit quoq; dogma Elcesaitarum.

✲(1535)✲ Franciscus I. Rex Galliarum acerrimum se hostem præbet Sacramentariorum, & aliquot eorum flammis addicit, quod martyrium quia odit Calvinus, fugit Basileam, ibique pestilentes suas institutiones condit.

Carolus V. cum classe in Africam trajicit, & Coletam arcem capit victo Barbarossâ, Tunetumque expugnat, assertis in libertatem 20. millibus Christianorum, & Turcis magnâ strage in prælio contra Barbarossam

baroſſam deletis. Urbs ditiſſima exigu diripientium fructu direpta eſt, & res pretioſiſſimæ diſſipatæ, ſicque Muleaſſe ſuo regno reſtituit, ipſo ſpoliato ſuo regn egentiorem Regem.

Henricus VIII. ex defenſore Eccleſiæ fi Diocletianus, crudeliſſimè ſæviens in ſuos qui eum pro Capite Eccleſiæ Anglicanæ agnoſcere recuſabant, Fiſcherum Roffen ſem Epiſcopum, & Morum, præſtantiſſi mos viros tollit è medio, & illum qui dem in carcere creatum Cardinalem, quo rum capita in conto expoſita, & Joannis Fiſcheri quidem nunquam contabuit, quod ne contingeret Thomæ capiti, id ad horrorem excoqui juſſit; utriuſque autem corpus raptim ſepultum eſt, cùm id à ty ranno ultrà mortem etiam ſæviente, pro hibitum eſſet. Operosè laborârunt Prin cipes, ut ad ſanam mentem revocarent Henricum, ſed magis ille inſaniit, 376 monaſteriis expilatis, unde quingenta au reorum millia confecit, ipſe tamen inops manſit, quia injuſtè parta luxuriosè diſſi pabat. Miſerunt quoque ad Conventum Smalkaldicum tam Henricus Angliæ, quàm Franciſcus Galliæ Rex, hic Proteſtantes invitans, ut Concilium ſpernerent indi ctum Mantuæ, ille autem excuſaturus ſup

plicia

plicia sumpta de hæreticis, ita tamen, ut hæreticorum captare gratiam, fidem tamen horrere videretur.

Anna Bolena coronatur Londini, & parit Elisabetham redivivam Jezabelem.

Calvinus Ferrariam proficiscitur, ut hæresi inficeret Renatam, Ludovici XII. filiam, uxorem Ducis Herculani, anno insequenti autem Genevam profugit, ibi suam Formam Fidei offerens, sed & inde repulsus, fugere coactus est. Genuenses nihilominùs ejuratâ priùs fide Catholicâ, exactoque Episcopo cum nova religione novam sibi Reipublicæ formam constituunt, præcipuis hæreseos seminatoribus Petro Vireto Sabaudo & Guilielmo Farello Delphinate, antequam eò Calvinus adventâsset.

✲(1536.)✲ Barbarossa Tuneto pulsus, & Hipponam delatus, inde pariter insequentium incuriâ evolavit, & Algeriam devenit, ubi reparatâ classe minorem Balearem occupavit & vastavit, sicut & alias multas Christianorum opes, receptusque Constantinopoli tanquam victor, quia non desperâsset; verum autem triumphum Neapoli egit Carolus post deteriorem scilicet Saracenum Muleassen adversùs minùs malum Mahumetanum defensum. Ingressus deinde

deinde Romam coram Pontifice & Cardinalibus contra Franciſcum Regem graviter conqueſtus eſt, quòd is exercitum ſuum ad Mediolanum occupandum duxerit in Italiam, & in itinere Sabaudiam occupârit, Taurinum, aliaque loca expugnârit, veluti jure ſucceſſionis ſibi debitas provincias. Irruit poſtmodùm Carolus cum exercitu Africæ domitore in Galliam, ſed in ipſo ingreſſu tentatâ fruſtra Maſſiliâ, amiſsâque magnâ copiarum parte, in Hiſpaniam ſe recepit, interim in Lombardiâ & Belgio variè inter ſe pugnantibus utriuſque Principis Ducibus.

Indictum eſt hoc anno Generale Concilium Mantuæ, celebrandum 10. Kalend: Junias anni ſequentis, ſed hanc urbem meritò recuſavit Fridericus, impar nimirùm ipſe huic oneri ferendo, quare ſublecta eſt Vicentia, ac denique Tridentum, ubi demùm confectus eſt ille Conſeſſus, totis votis & toties ab omnibus expetitus.

Eodem anno, Menſe Majo habitum eſt conventiculum Lutheranorum Wittenbergæ, quod ipſi Generale nuncupant, trecentorum miniſtrorum, ipſomet Luthero tot corvorum parente, præſidium agente: In hoc eo demùm concordiæ devenerunt, ut in articulo de Cœnâ Domini aliquâ ſaltem

tem ſpecie & ad breve tempus conſpirarent Martinus Lutherus, & Bucerus cum aſſeclis utriuſque, Magni Duces & Magiſtri! uterque excucullatus apoſtata, ille ab inſtituto Auguſtinianorum, iſte Dominicanorum. Nec diù concordia tenuit, brevi enim ad Zwinglium reſiliit Bucerus, & peculiarem ſectam ſuam promovere perrexit, quâ Lutheranos cum Sacramentariis copulavit.

Henricus Rex Angliæ Annam Bolenam ſuperinductam conjugem in adulterio deprehenſam (mortuâ jam anno ſuperiore Catharinâ legitimâ & repudiatâ) capite plectit, die 29. Maji, ſuperſtite ex eâ Eliſabethâ, quæ poſteà ùt Jezabel in hæreſi regnavit; in Bolenæ autem locum Henricus admiſit Joannam filiam Joannis Seymer Equitis, ex quâ Eduardum ſuſcepit, quem in regno ſucceſſorem habuit.

✲(1537.)✲ Solymannus Turcarum Imperator mandat, ut impoſterùm omnes civitates Græcorum, quæ vi captæ erant, carerent Eccleſiis.

Alexander Medicæus Princeps Florentinus, Caroli V. ſocer cæſus eſt à Laurentio Medicæo conſanguineo ex inſidiis, cùm vagas libidines ſectaretur Alexander, & Laurentius fingeret ei matronam adducere

cere, quam deperibat. Homicidæ Venetias confugientis atque proscripti caput mox addictum est septem millibus aureorum; unde Laurentius ulteriorem fugam Constantinopolim usque capessivit, veritus autem & ibi, ne à Solymanno dederetur, regressus Venetias à duobus militibus interfectus est.

Ferdinandi Regis Hungariæ copiæ magnâ clade afficiuntur à Turcis, Solymannus quoque occupat Moldaviam.

Franciscus I. Rex Galliæ cum Solymanno fœdus init, ut eodem tempore Franci Insubriam, Turcæ autem Calabriam & Apuliam tentarent; Itaque Aulone (hodie Valona dicta) Barbarossa in Salsentinos solvit cum Lanzino Bassâ, quos secuturus erat mox ipse Solymannus. Sed Franciscus stare pactis non potuit, unde à Turcis contemptus, & à Christianis irrisus est. Barbarossa interim emisso in continentem equitatu totam regionem vastavit, quæ inter Brundusium & Tarentum jacet, multis captivis, omni pecore, & armento abactis; inde in Venetos iram & copias convertit, sed has Corcyra repressit. Carolus omnibus modis Solymannum flectere conatus est.

Aliunde etiam acceptæ sunt geminæ clades

clades in Hungariâ à Turcis, Elisiâ urbe captâ, & ad Esseckum multis Christianorum millibus trucidatis, cum Ducibus omnium nationum, quâ clade vix aliqua turpior & funestior fuit.

Sicilia insolitis motibus intremuit & intonuit per 12. dies, hiatus posteà aliqui aperti torrentes igneos emiserunt, obvia quæque toto quatriduo dissipantes, à quibus Catanenses, oppositò S. Agathæ peplo liberati sunt, multùm inde cineris egestum ex cratere montis Æthnæ, cujus apex cum magno mugitu subsidens, & hiatu ingenti absorptus, finem periculo & timori dedit.

✲(1538.)✲ Paulus III. Pontifex conatus ad concordiam revocare Franciscum & Carolum, licèt ætate gravis, Nicæam venit, & Cæsar Monacum, Franciscus Villam-Francam, qui ambo Pontificem salutârunt, sed ut colloquerentur ambo adduci non potuerunt; Tandem tamen, agente potissimùm Eleonorâ, ad *Aquas mortuas* convenerunt ex condicto, & magnâ amoris significatione mutuò complexi sunt.

Concilium Generale Vicentiam, & in anni sequentis Pascha translatum.

Calvinus Genevâ ejectus venit Argentoratum

toratum, & uxorem ducit Idoletam viduam, ex quâ nullos suscepit liberos.

Henricus VIII. Rex Angliæ suæ crudelitati fræna laxans S. Thomam Cantuariensem ex Sanctorum albo expungit, & ossa ejus ex aureâ thecâ gemmis distinctâ insano furore extrahit, atque carnificis manu comburi jubet, cineresq; in ventum spargi, non aliâ de causâ, quàm quòd fuisset acerrimus quondam defensor jurium Ecclesiasticorum.

Suscipitur ingens expeditio à Christianis contra Turcas, sed eventus illius expectationi non respondit, unde Veneti à Turcis pacem impetrant, aliquot urbes in finitimis Macedoniæ eis cedentes.

✲(1539.)✲ Henricus Rex Angliæ habito Londini conventu Ordinum, multa statuit de religione, nec fidei Catholicæ, nec Novatorum articulis consentanea, simul tamen hæretico deterior omnia monasteria virorum ac mulierum addicit fisco, monachos expellit aut necat, cœnobia disjicit & vendit, Catholicos quoque divites ad ea emenda compellens.

Moritur Georgius Dux Saxoniæ, Catholicæ religionis in Germania adversùs hæreticos propugnator acerrimus, cujus liberi omnes cùm ante ipsum decessissent,

jure

jure sanguinis successit Henricus frater ejus Luthero addictissimus, à quo tam repentina in ditione fratris facta est mutatio religionis, ut cùm Lipsiæ in festo Paschatis docuissent Catholici (obiit quippe Georgius die 17. Aprilis) festo Pentecostes ibidem Lutherus doceret.

Hoc anno Tibure Nonis Septembris Paulus III. Societatem JEsu approbavit, & hoc nomine insignivit, & Ecclesiæ Catholicæ ubique locorum gravissimè laboranti tanquam subsidiariam cohortem suffecit: Priùsquam autem diplomate Societatem firmaret, institutum ejus Guidicionio magno novorum Ordinum inimico commisit, quod ille sic approbavit, ut, tametsi alios rejecerit, id tamen admittendum esse ingenuè Pontifici fateretur. Itaque 5. Kal. Octobris anno 1539. diplomate quoque Ordo confirmatus est, numero tamen sociorum tantùm ad 60. restricto, & S. Ignatio gubernandus commissus, qui missis per Italiam, Germaniam, Galliam, Belgium, Hispaniam, Indiamque sociis, & incredibili animarum fructu ubique collecto multis simul ubique locorum contumeliis & calumniis fortiter toleratis, facilè brevi obtinuit, ut numeri illi tam angusti restrictio solveretur, cunctis ubique gentibus

bus ſimiles viros veluti Apoſtolos expoſcentibus & recipientibus.

✲(1540.)✲ Gandavum urbs Flandriæ patria Caroli Imperatoris movet tumultus propter pecuniam in belli ſumptus impoſitam; Carolus igitur ex Hiſpaniâ eò perrecturus acceptâ Regis fide, modico comitatu per Galliam terreſtri itinere tranſit, & magno apparatu ubique locorum excipitur, & præcipuè Pariſiis, ubi aliquamdiu ſubſtitit, & inde in Belgium progreſſus rebelles acriter edomuit, arte magis, quàm armis in urbem Gandavum admiſſus: noxios ſupplicio affecit & arcem exædificavit ad urbem frænandam.

Rex Angliæ nunc primum Hyberniæ Regem ſe ſcribit, cum antea tantum Dominus dictus ſit. Idem poſt obitum Joannæ conjugis quartam ducit uxorem Clevenſis Ducis ſororem, atque eâ mox repudiatâ, ac lege latâ de ſolvendis conjugiis quintam Anglici Sanguinis Catharinam Hawardam dictam ſuper induci, quam etiam paulò pòſt propter adulterium, & quod ante regium conjugium vitiata eſſet, capite plexit. Ac demum ſextam aſſumpſit Catharinam Parram viduam, & hanc retinuit uſque ad mortem non diu poſt ſecutam.

DE

DE JOANNE CALVINO ET CALVINISTIS QUI & PRÆTENTI REFORMATI ATQUE HUGNOSTICI DICTI.

JOannes Calvinus, ut refert primarius ejus discipulus Beza, nascitur Novioduni in Picardia die 10. Julii anno 1509. ex Gerardo *Calvino*, sive potius *Cauvino*: qui ab Episcopo Noviodunensi beneficium in primis filio suo obtinet in Ecclesia Cathedrali, deinde in pago quodam Urbi Noviodunensi proximo cui *Pontis Episcopi* nomen est, curam pastoralem egit. Ex Gallia migravit anno 1534. eodemque anno typis mandavit suam Institutionem Basileæ. Postea in Italiam proficiscitur, & inde Genevam ingreditur, ubi jam Farellus & Viretus suum virus spargebant, illic retentus, & ad suam Theologiam docendam designatus mense Augusto anni 1536. confessionis suæ formulam componit unà cum suo Catechismo. Sed ecce, expressum mandatum intra viginti quatuor horas urbe excedendi, hominem Basileam primùm, ac deinde Argentinam exportat: duxit ibi uxorem viduam Idelettam Buræam, quâ anno 1547. sine liberis extinctâ, viduus annos sedecim, nimirum usque ad mortem permansit. In-

terea tamen Genevam revocatus anno 1541. Ordinem instituit ac disciplinam quæ ibi jam exinde observatur. Ultimam suam Institutionem scripsit anno 1559. & Gallicè quidem; tandem calculo laborans, ac Podagra, Hæmorrhoide, Phtisi, Asthmate hemicraniâ, Sanguinis excreatione animam exhalat, die 27. Maij anno 1560. hærede Instituto fratre suo Cauvino, cui nihil nisi pateram reliquit: ita Beza de suo Magistro Calvino, qui valde studiosè cavit, ne facinus illud proderet, quod Liliatum Calvinum Galliæ finibus egredi compulit, uti refert Hieronymus Bolsecus, neque recenset Beza supra scriptam nominis mutationem, quâ se Novioduno exiens ex Cauvino Calvinum fecit: ut idem Bolsecus asserit, addit insuper Calvinum aliquamdiu se nominâsse Carolum Heppæum, sive Happevillæum, & sic suas litteras commentitias subscripsisse quemadmodum etiam ad liberiorem suis erroribus sternendam viam, nomen suum anagrammaticè cum Alcuini Præceptoris Caroli Magni nomine commutavit, quod etiam initio nonnullis suis scriptis præfixit. Omisit etiam Beza horribile illud genus mortis, quo Calvinum sublatum dixêre qui illi ad ultimum usque spiritum

mini-

ministrârunt, ut idem Bolsecus observat, utpote non modo pediculis ac vermibus, toto corpore corrosum, præcipuè autem in verendis, quibus fædissimum ulcus inerat, sed quod longè deteriùs est, Dæmones invocantem, jurantem, stomachantem, execrantem, maledicentem horæ, quâ unquam studuerat, aut scripserat. Docuit autem sequentes errores.

1. *Fidem non esse unum, neq; unam futuram usq; ad consummationem sæculi.*

2. *Fidem semper esse incredulitate permixtam.*

3. *Fidem cum dubitatione & incertitudine semper esse conjunctam.*

4. *Sæpenumerò, imò & semper fidem erroribus esse permixtam.*

5. *Fidem simplicem & implicatam non esse nisi commentum & crassissimam ignorantiam, veram autem fidem exigere claram cognitionem.*

6. *Fidem non aliud habere objectum, aliumque scopum, quàm bonitatem Dei, & indubitatam specialis singulorum fidelium salutis promissionem, integramque fidei definitionem in eo sitam esse, ut certò credam, me salvum futurum.*

7. *Fidem esse non posse sine spe, imò fidem nihil aliud esse, nisi spem & fiduciam.*

8. *Scripturam solam ita saluti sufficere, ut rejiciendum sit omne verbum non scriptum, quod Catholici vocant* Traditionem. 9. Ex

9. *Ex Scripturâ eradendum esse librum Tobiæ, Judith, partem Esther, Sapientiam & Ecclesiasticum, Prophetam Baruch, pariter Danielis, & libros Machabæorum.*

10. *Veteris Testamenti solum textum Hebraicum esse authenticum, non autem aliam versionem.*

11. *Solum textum Græcum novi Testamenti esse authenticum, non autem aliam ullam versionem.*

12. *Scripturam sacram non esse ex se certam, neq; erroris expertem.*

13. *Valdè dissonè præcedenti errori docet alibi Scripturam sacram esse ex se claram, & facilem intellectu.*

14. *Particularis cujusque fidelis judicii esse Scripturam interpretari, & fidei controversias dirimere; ita ut necesse non sit ad Ecclesiæ determinationem recurrere, quin etiam unicuiq; licere tum Ecclesiæ definitiones, tum decreta examinare, ac censurâ notare.*

15. *Fidem non infundi nisi electis & prædestinatis.*

16. *Fidem nunquam posse amitti.*

17. *Homines solo & nudo Dei arbitrio citra proprium meritum in æternam mortem prædestinari.*

18. *Deum aliquos creâsse, ut peccarent, & æternùm damnarentur.*

19. De-

19. *Deum esse auctorem peccati, & quidem omnis peccati.*

20. *Deum non esse absolutè omnipotentem.*

21. *In essentiâ Divinâ esse distinctionem realem.*

22. *Deum Patrem genuisse suum Filium, & Spiritum S. quia voluit.*

23. *Filium Dei non generari continenter à Patre suo æterno.*

24. *Sanctissimam Trinitatem minimè invocandam esse.*

25. *JEsum Christum non esse propriè Creatorem cœli & terræ.*

26. *Filium Dei non esse Patri æqualem.*

27. *Filium Dei non accipere essentiam à Patre.*

28. *Christum Dominum secundùm naturam humanam fuisse ignorantem.*

29. *JEsum Christum ita personam nostram suscepisse, ut peccator fuerit, maledictionis reus.*

30. *Non esse credendam perpetuam B. Mariæ Virginis integritatem ac virginitatem.*

31. *Eandem B. Virginem multorum peccatorum esse ream.*

32. *Ea omnia, quæ ad Mediatoris officium spectant, de utrâq; simul natura dici.*

33. *JEsum Christum recusâsse ac effugisse quoad potuit officium redemptoris.*

34. *JEsum Christum tempore suæ passionis*

fuisse inquinatum, affectu vitioso obstupefactum, caligine offusum, implicitas & perplexas, minimèque rectum & æquabilem cursum tenentes preces fudisse, alternis votis quasi vacillantem, votum subitò elapsum castigantem, præsenti cœlestis decreti memoriâ privatum, &c.

35. Christum de animæ salute timuisse.

36. Imò eò dejectum fuisse, ut desperaverit.

37. Christum damnatum fuisse, & aliquamdiu damnatorum tormenta perpessum.

38. JEsum Christum nihil esse promeritum, habitâ ratione divini judicii, ac ne sibi quidem.

39. JEsum Christum non descendisse verè ad inferos, sed ejusmodi descensum esse de sepulturâ intelligendum.

40. Non aliter Christum descendisse ad inferos, quàm diros damnatorum cruciatus in Cruce patiendo.

41. Nullum fuisse limbum Patrum, qui sinus Abrahæ dicatur.

42. Nullum esse Purgatorium.

43. Pro defunctis preces non esse fundendas.

44. Neq; ullum esse damnatorum infernum, sive hominum, sive dæmonum.

45. Damnatorum tum hominum, tum dæmonum tormenta in diem usq; generalis judicii differri.

46. JEsum Christum à mortuis resuscitatum, neque ex sepulchro clauso egressum, neque ad Discipulos januis clausis ingressum esse. 45.

47. *Christi Domini ascensionem in cœlum non esse intelligendam secundùm locum, sed tantùm secundùm rerum creatarum dominatum.*

48. *Nullum esse futurum judicii diem.*

49. *Spiritum S. esse Ministrum Sacramentorum.*

50. *Spiritum S. non accipere essentiam à Patre.*

51. *Ecclesiam non continere nisi sanctificatos, eosq; electos tantùm & prædestinatos.*

52. *Soli Deo cognitam esse suam Ecclesiam, cujus fundamentum est arcana illius electio, adeoque invisibilem esse nobis.*

53. *Ecclesiam esse obnoxiam erroribus.*

54. *Defectibilem esse, & defacto defecisse Ecclesiam.*

55. *S. Petrum non fuisse Apostolorum Principem, neque Ecclesiæ Caput.*

56. *Romanum Pontificem non esse Petri in Ecclesiæ gubernatione successorem.*

57. *Pontificem Romanum esse verè Antichristum.*

58. *Nullum esse Ordinis discrimen inter Clerum & cæteros Christianos.*

59. *Ecclesiam non posse leges condere, quæ conscientiam obligent, neque decreta ejus & statuta observanda esse.*

60. *Statum monasticum & Ordines vero Christianismo repugnare.*

61. *Damnanda esse vota religiosa, & permittendum, imò præcipiendum esse cuilibet, ut ea violet.*

62. *Mendicitatem religiosam esse inventum diaboli.*

63. *Nullam hominum dominationem etiam temporalem, esse à fidelibus admittendam.*

64. *Homini nullum ineſſe liberum arbitrium ad bene operandum, & fugiendum peccatum.*

65. *Concupiscentiam ex se, id est, primum motum, qui consensum antecedit, esse peccatum.*

66. *Nullum esse discrimen inter peccata mortifera & venialia, imò omnia esse mortifera.*

67. *Peccata nunquam reipsâ deleri, sed extrinsecùs tantùm tribui per imputationem JEsu Christi.*

68. *Hominem solâ fide justificari, absq; operum bonorum subsidio.*

69. *Fidem à charitate ac bonis operibus divelli non posse.*

70. *Fidelium opera secundùm Dei judicium, hoc est, in se & in rei veritate esse peccata, & quidem mortifera, qui error planè dissentaneus est superiori.*

71. *Fideles posse ac debere credere, se esse justos, & in gratiâ Dei constitutos, in eâque perseveraturos.*

72. *Fideles item posse ac debere credere, se salvandos esse, imò tam securos ac certos esse de*

Salu-

salute, quàm ipsum Christum, imò Christo ipso mortali certiores ac securiores esse.

73. Non esse corporum resurrectionem,

74. Fidem manere in Beatis.

75. Beatorum gloriam procrastinari usque ad ultimum diem judicii, & nullùm esse paradisi locum, in quem Beatorum animæ à corporibus solutæ transferantur.

76. Nullam esse sperandam bonorum operum mercedem.

77. Superstitiosam esse & interdictam à Deo orationis protractionem, atque iterationem.

78. Cantus Ecclesiasticos Deo summoperè displicere.

79. Publicas orationes populari sermone habendas esse,

80. In tribus primis petitionibus Orationis Dominicæ nec peti, nec quicquam pro nobis petendum esse.

81. Fidem esse charitate nobiliorem.

82. Primam Christianæ libertatis partem esse, ut fidelium conscientiæ, dum fiduciâ suæ coram Deo justificationis quærenda est, sese supra legem erigant & efferant, totamque legis justitiam obliviscantur.

83. Nihil inesse meriti in bonis operibus, aut observatione divinorum mandatorum.

84. Imò impossibilem esse divinorum mandatorum observationem.

85. *Sanctorum venerationem respectivam, invocationemque subalternam esse idololatriam.*

86. *Similiter cum idololatria conjunctam esse SS. reliquiarum venerationem.*

87. *Idololatriæ etiam incusandum esse usum ac venerationem S. Crucis, aliarumque imaginum, eaq; idola esse.*

88. *Usuram non esse omninò damnandam.*

89. *Jejunia Ecclesiastica statutis temporibus prorsùs contemnenda esse.*

90. *Duo tantùm esse Sacramenta, Baptismum & Eucharistiam.*

91. *Ecclesiæ Christianæ Sacramentis nullam insitam esse à Deo virtutem justificandi, & gratiam conferendi.*

92. *Baptismum ad salutem non esse necessarium, & fidelium liberos jam in utero sanctificari.*

93. *Confirmationem non esse Sacramentum.*

94. *In Eucharistiâ non esse verum Corpus & Sanguinem Christi, sed tantùm significari aut figurari.*

95. *Pœnitentiam de Sacramentorum numero delendam esse.*

96. *Extremam Unctionem non esse Sacra-*
97. *Neque Ordinem,* (*mentum,*
98. *Neque Matrimonium,*

99. *Ridiculos esse Ecclesiæ exorcismos & superstitiosos,*

100. *Aquam benedictam effundendam & abominandam.*

Qui

Qui loca & textus singulos desiderat, in quib⁹ Calvinus errores enumeratos docet, inspiciat Gualterium in suâ Chronologicâ Collatione veterũ errorum cum novis Calvinianæ sectæ, ubi operosè collectos inveniet.

DE EFFRONTIBUS.

Effrontes, de quibus Florimundus Raymundus, suam sectam in tribus præcipuè erroribus fundabant.

1. *Frontem sibi ferro abradebant, donec inde sanguis emanaret, posteà verò oleum affundentes, se Christianos absq; ullâ aliâ baptismi formâ pronunciabant.*

2. *Spirtium Sanctum ajebant esse elevationem quandam aut motionem, quæ in animâ à Deo inspirata persentitur.*

3. *Idololatriam esse adorare Spiritum Sanctum, quia de hac re nihil in Scripturis.*

DE JOANNE SPANGENBERGERO.

Est hic quidam surculus Lutheranismi, qui anno 1536. in lucem prodiit, tribus potissimùm articulis fides ejus constata erat.

1. *Nihil ajebat interesse discriminis inter concilia & mandata.*

2. *Bona opera non meritoria esse, neque ad vitam æternam necessaria.*

3. *Neminem posse justificari, qui se non credat justificatum esse, eoquòd illa fides ei desit, quæ esset pœnitentiæ pars, fiducia scilicet, quâ credit*

dit unusquisque peccata sibi gratis propter Christum remissa esse.

DE MICHAELE SERVETO, SERVETIANORUM PARENTE.

MIchaël Servetus Hispanus suam promulgavit hæresin anno circiter 1539. Jactabat se, dum esset annorum 25. universi Orbis terrarum Prophetam; In Africam profectus & Alcorani deliramentis imbutus libros exaravit, qui Christianam religionem in Mahometismum transformarent. Sex præcipuè errores effutiebat:

1. *Unam tantùm in Deo Personam credebat, more Sabellianorum.*

2. *Negabat cum Eutychete, in JEsu Christo duas esse naturas.*

3. *Negabat Spiritum Sanctum tertiam Divinam Personam.*

4. *De peccato & justificatione planè Pharisaicè loquebatur.*

5. *Infantum baptismum detestabatur, quem ad annum usque tricesimum differri volebat.*

6. *Creatorem denique cum creaturâ ita confundebat, ut doceret, Deum in lapide esse verè lapidem, & in trunco esse propriè truncum.*

DE UBIQUETARIIS, SIVE BRENTIANIS, JOANNIS BRENTII DISCIPULIS.

JOannes Brentius Semi-Lutheranus anno circi-

circiter 1540. vexillum ſuum erexit : docuit ſequentes errores præcipuos.

1. *Tametſi admitteret, baptiſmo deleri peccatum originis, ajebat nihilominùs, non omne peccatum baptiſmo deleri, videlicet concupiſcentiam, quam peccatum eſſe autumabat.*

2. *Evangelium, ſi propriè loquendum ſit, non eſse legem, ſed tantùm bonum, jucundumq; nuncium.*

3. *Cùm Tranſubſtantiationis doctrinam ferre non poſſet, veram tamen ac realem Chriſti in Euchariſtiâ præſentiam tueri vellet, novum præſentiæ realis modum finxit, & dixit, JEſu Chriſti Corpus, ex quo tempore in cœlum aſcendit, eſſe ubiq; ; quo factum eſt, ut Brentiani* Ubiquetii, *vel* Ubiquetarii *appellarentur.*

DE CAROLO MOLINÆO.

PRæſtitiſſet, ut Carolus Molinæus Juris-Prudentiæ tractatione contentus fuiſſet, & hîc inſcribi non debuiſſet. Inter alios enim errores auſus etiam eſt hunc aſſerere, à naſcente Chriſto JEſu Virginis Mariæ uterum reſeratum eſſe. Unde meritò Jovinianiſta proclamari promeruit.

DE-

DECAS V.

(*Ab anno Christi 1540. ad 1550.*)

1541. PRotestantes urgent in Comitiis Ratisbonensibus ut Cæsar motas de religione controversias audiat, si non etiam decidat, sed is ad Concilium Generale eos rejecit, fortiter interim Eckio aliisque Catholicis doctoribus Melanchtonem sese opponentibus.

Ferdinandus suum jus urgens in Regnum Hungariæ Budam obsidet, capto jam Pesto. Adveniens autem Solymannus obsidionem solvit, Ferdinandum magna clade affecit, & Pestum Budamque occupavit, viduamque Waiwodæ una cum filiolo in Transylvaniam ablegavit, Carolo fratre Ferdinandi alibi occupato.

Instituitur Ratisbonæ colloquium inter Eckium & Melanchtonem, cui etiam Calvinus interfuit, sed absque fructu & utilitate, Pertinaciâ prævalente contra veritatem licet agnitam. Permissum tunc est à Carolo, ut certa quædam credendi formula conscriberetur cui interim adhærere possent, quæ etiam hoc nomine dicta postmodum est *Interim*.

Dum

Dum Solymannus Hungariam infestat, & Ferdinandum repellit, Carolus Imperator & frater Ferdinandi Algerianam expeditionem suscipit & ad Juliam Cæsaream *Alger* 10. Kal. Novemb. appellit cum 22. millibus peditum, & mille equitibus. Capta fuisset civitas, in qua vix 800. Turcæ & totidem Mauri, sed tempestates & aëris inclementia obstitêre qua multi sublati, & 130. naves, 15. triremes omnes lembi periêre. Itaque re infectâ Carolus in Hispaniam se recipere compulsus est.

S. Franciscus Xaverius à S. Ignatio mittitur in Indiam, & Calvinus revocatur Genevam.

✠(1542.)✠ Expeditio ingens 62. millium armatorum ad recuperandam Budam mittitur Duce Joachimo Electore Brandenburgico, negligentiâ autem Ducum accidit, ut tam numerosus exercitus partim profligatus, partim Contagione ad nihilum fuerit redactus, Luthero editis libris bellum contra Turcas dissuadente.

Concilium Generale à Paulo III. Pontifice Tridentum indicitur, reclamantibus iterum Protestantibus, neque rem neque locum optantibus.

Galli conatu irrito Perpinianum obsident, & Turcam in auxilium evocant.

Fran-

Franciscus I. per quinque exercitus bella spargit in ditiones Caroli V. parvo & ferè nullo operæ pretio, quæ si fuissent simul conjunctæ vires tot sumptuum fructum fortasse recepissent. Cum enim Franciscus omnia ad pompam peragens nimis multa ageret, nihil ferè egisse videbatur, cum econtra Carolus fermè immotus moveret & perageret plurima.

✲(1543.)✲ Carolus V. & Franciscus etiam anno hoc bellum continuant, & Franciscus quidem Turcicam classem atq; Barbarossam evocat, ut ejus operâ Nicæam Ligurum expugnaret, quod etiam is exequitur: Arx tamen fortissimè restitit, & Turcarum & Gallorum assultus eluit. Interim Turcæ factis excursionibus magnam Italiæ partem fædè devastant: & hæc est Christianorum Principum cum Turcis armorum societatis initæ utilitas.

Concilium Tridentinum suspenditur, & Pontifex Franciscum ac Carolum reconciliare nititur. Quando etiam Carolus V. cum Henrico VIII. pacem & amicitiam iniit.

Hermannus Comes de Wada Archi-Episcopus Colonienſis apud suos de fide suspectus, à Capitulo accedente Pontificio & Cæsareo decreto deponitur & omnis eidem tam politica, quam Ecclesiastica admi-

administratio, frustra renitentibus Lutheranis Confœderatis, auffertur.

✲(1544.)✲ Solymannus Hadrianopoli progressus in Hungariam Strigonium proditione, Albam Regalem (ubi vetustorum Regum sepulchra erant) vi capit, Quinque Ecclesias evertit, & Walporiam aliaque insignia Hungariæ loca occupat & munit, atque Constantinopolim regreditur. Alibi quoq; Barbarossa à Francisco evocatus iterum Christianos Cæsarianos vexat, Pontificiis autem non obest, Francisco sic optante, & præscribente Polino Gardiâ, cujus opera Turcus evocatus erat.

Comitia spiræ celebrantur verno tempore, præsentibus Imperatore ejusque fratre Ferdinando, & Electoribus omnibus, & Carolo auxilia contra Franciscum & Ferdinando contra Turcas cum ingenti pecuniæ summa conferentibus.

In Svecia solemnibus Ordinum Comitiis regnum illud declaratur hæreditarium, daturque Gustavo & Posteris ejus, legitimo ordine & jure primogenituræ observato.

Franciscus Borbonius Anghidianus celebrem victoriam refert ad vicum Cerisolas à Cæsarianis, quos ducebat Alphonsus Danalus marchio Vasthi die 14. Aprilis feriâ

feria secunda Paschatis pugna initâ, qua vulneratus Danalus fugere compulsus suorum duodecim millibus cæsis, quingentis captis. Videbatur tum totâ Insubria potiturus fuisse Anghinius, nisi a Francisco Rege impeditus esset, quo minùs Mediolanum aggrederetur. Neque insipienter id factum: Anglus enim Picardiam, Carolus Campaniam tentabant octoginta peditum, viginti equitum millibus & geminis castris, qui tamen apparatus parum nocuit Francisco; Unde & Carolus in pacem propendere cæpit, quæ etiam præter omnium expectationem inita, multum licet Henrico Delphino reclamante, urgente autem & prævalente apud Franciscum Anna Piselenâ Stampensi nobili Scorto Imperatori tacitè favente, quæ Regem in hæc consilia adduxit. Vi hujus pacis omnia restituta sunt ex utraque parte, quæ hoc bello occupata fuerunt: ab ea tamen excluſus fuit Henricus Angliæ Rex, qui hoc tempore Bononiam in Morinis cæperat.

Rem Christianam egregiè promovebat Xaverius in Oriente, quando & Regis Ceylani filius factus Christianus cum multis suis subditis ab ipso parente pro verâ religione cæsus numerum Martyrum auxit,

xit, cujus mortem placuisse Deo ignea crux in cœlo visa ostendit.

✠(1545.)✠ In Comitiis Wormatiensibus Carolus Cæsar urgente Pontificis legato, Alexandro Farnesio statuit Sectarios stare debere judicio Concilii Tridentini, mox celebrandi: sed incitante novis libris Luthero Protestantes id præstare recusant, & arma contra Cæsarem parant. Pontifex econtra initâ jam pace inter summos Christianos Principes, Concilium unicè urget, & efficit, ut sub finem hujus anni inchoaretur. Cujus proinde initium datum est decimo tertio Decembris Tridenti, quod tam diu ac toties à bonis expectatum est.

INITIUM CONCILII TRIDENTINI.

DIploma de Concilio die 13. Decembris aperiendo venit Tridentum die undecimo ejusdem mensis & cum illo quædam ad Legatos mandata. Igitur Legati mox eodem adhuc die præscripserunt ut die sequenti jejunium servaretur, & supplicationes instituerentur ad Divinum auxilium implorandum, postquam præfixus solennitati dies illuxit, contulerunt se præsentes omnes ad Templum Augustissimæ Trinitatis, ibi vestes Pontificales induerunt, & decantato Hymno de S. Spiritu pro-

processerunt agmine composito ad Cathedralem Ecclesiam S. Vigilio sacram. Præibant Ordines Regularium, quibus succesſerunt Canonici cum reliquo Clero, Sequebantur Episcopi, post hos veniebant Legati, quos pænè comitabantur Oratores Regis Romanorum. Operatus est ibi Solenniter Sacris Legatorum Primus (erant autem Legati tres Cardinales à Pontifice missi, qui vices ipsius agerent, & Præsides essent, donec ipse, sicut volebat, accederet, Joannes Maria Montanus, Marcellus Cervinus, Reginaldus Polus, viri tam undequaque præstantes, ut duo priores fuerint etiam ipsi succesſu temporis ad Pontificatum evecti, tertius autem ad eundem non paucis eligentium votis destinatus. Post Missarum solennia largitus est omnibus præsentibus, & certas preces ad augmentum Ecclesiæ recitantibus Indulgentiam plenariam. Tunc Latinè peroravit Episcopus Bisuntinus Cornelius Musſus, Ordinis S. Francisci: subjunxit Legatus ex Rituum Formâ varias preces, terque bene precatus est toti Synodo; denique more Litanevtico suffragia Sanctorum invocata.

Posthæc consederunt Patres, ad quos Legatus primus perbrevem ex memoriâ dictam

dictam admonitionem habuit, tum diploma, quo Pontifex jussit aperire Concilium, ipse prælegit. Auditus est posteà, quem Mendoza Cæsareus Orator, Venetiis æger decumbens miserat ad excusandam absentiam, & lectum Cæsareum mandatum; deinde à Legato rogati Patres, an placeat habere Concilium ùt legitimè apertum? ac rursùm, an placeat proximam Sessionem, cùm per ferias Natalitias aliter fieri non possit, celebrare primo die post Epiphaniam? audito verbo *Placet*, Concilii Promotor petiit in acta referri, & Hymno Ambrosiano actæ Deo gratiæ. Post hæc depositæ vestes Pontificales, & Legati præeunte cruce in ædes suas reversi sunt, cunctis Patribus comitantibus.

Interfuerunt memoratæ solemnitati præter tres Legatos Cardinalis Tridentinus, Archi-Episcopi quatuor, Episcopi viginti, Generales Regularium quinque, unus Auditor Rotæ Romanæ, & Oratores Ferdinandi Regis Romanorum, cum Theologis plurimis, aliisque ad Concilium pertinentibus & invitatis, quorum numerus per sequentes Sessiones postmodùm auctior semper & auctior comparuit, ex tam dissitis regionibus aliis & aliis indies confluentibus.

1546.

✠(1546.)✠ Lutherus, postquam energumenum à dæmone liberare conatus esset, exorcismis à se compositis, & clausâ sacrarii januâ, ùt refert Staphylus ejus discipulus, malè ab eo mulctatus, & fædè valde anguſtiatus esset, paulò pôst vesperi bene potus ac hilaris decumbens, manè gutture tumente mortuus reperitur, in originis suæ domicilio: funestissimâ libitinâ Eislebii mundo denatus die 18. Februarii hoc anno, in quo infausta Lucina natus erat: ut eadem scilicet mater hoc monstrum hominis, quod peperit, suo rursùs in utero contumularet.

Carolus Cæsar Ratisbonæ Comitia indicit, ad quæ tamen pleriq́ue Protestantes Principes venire renuunt, & Cæsari bellum indicunt, conscriptis septuaginta peditum, & equitum quindecim millibus, cum 120. tormentis bellicis: quorum præcipui Duces fuerunt Fridericus Dux Saxoniæ Elector, & Philippus Hassiæ Landgravius; qui dum bellum non satis concordibus animis gerunt, Imperator occasionem & tempus nactus militem copiosum conquirendi, & à Pontifice Paulo missis duodecim millibus Duce Octavio Farnesio, Belgicis etiam, Hispanicis, & Germanicis copiis instructus, facilè eorum machinationes & vim

vim infregit & contempsit, ut fierent omnibus ludibrio, præsertim quando sapienter Electorem Saxonem comprehensum in gratiam recepit, reliquos ad pacem duris conditionibus compulit, qui anteà de eo exauctorando cogitabant.

Henricus VIII. cum Francisco I. pacisci cogitur, redditâ priùs Bononiâ cum omnibus tormentis & commeatu, quâ pace etiam Scoti concluſi fuerunt, qui inter se atrociùs tumultuati sunt, quando David Cardinalis Betonius, Archi-Episcopus Santandreanus cæsus est, & habitus Martyr, ejusque percussores omnes hominibus & Deo pœnas graves dependerunt.

✲(1547.)✲ Concilium Tridentinum jam sedulò, promotum, & octo Sessionibus celebratis propter luem exortam Bononiam transfertur; jamque ibi duabus habitis Sessionibus denuò interrumpitur propter necem Petro Aloysio Duci Placentino, & Pontificis filio illatam ab inimicis, qui mox audaciores facti, ipsam Placentiam à Ferdinando Gonzagâ Vasthii successore occupatam, aliaque plura loca suæ potestatis fecêre; unde Pontifex tantùm hausit doloris, ut Concilium suspenderet.

Interea bellum, Smalkaldicum dictum, superiore anno à Protestantibus inceptum

prosperè gerebatur à Carolo; nam Dux Wittenbergicus, qui maximè petebatur, persolutis 300. millibus aureorum reconciliatus erat, & ejus exemplum multæ civitates sequebantur. Supererat Saxoniæ Elector, victoriis ferox, Mauritio patruele suo omni suâ ditione spoliato, quare in eum toto belli impetu conversо,& principio Albi fluvio propè per miraculum superato, Carolus cum Ferdinando, aliisque Catholicis ad Mulbergam irruit, & grandi prælio novem horarum fudit, ipsumque vulneratum cepit, cùm omnes boni Ducis ac militis partes strenuè obiisset. Captus est cum eo quoque Ernestus Brunswicensis, & ambo dati in custodiam, Saxo etiam nonnihil duriùs à Cæsare acceptus. Multa de hac victoriâ narrantur, ac memorabile imprimis illud, castra Cæsaris grandem aquilam supervolitâsse, & nebulam adventum Caroli Saxonibus velâsse sole omninò pallido. Victoriâ factâ dixit Cæsar: *Veni, vidi, & Christus vicit.* Pronunciata est postmodùm à Cæsare sententia capitis in Saxonem, quam tamen remisit, Electore Brandeburgico & Clivensi pro affine suo deprecantibus. Exutus tamen est Electoratu suo Saxo, isque datus Mauritio fratri ejus, arcibus insuper

Wit-

Wittenbergâ & Gothâ ſpoliatus, indictâ etiam grandi pecuniâ, & bonis ejus inter Ferdinandum & Mauritium diviſis. Tot tamen malis afflictus & attritus Saxo nunquam Concilio Tridentino acquieſcere voluit, quæ cauſa potiſſima erat belli Smalkaldici.

Hac victoriâ laureatus Imperator triumphans & armatus Auguſtam præcipuam Smalkaldici fœderis urbem ingreſſus, Comitia inchoavit, in quibus Catholica fides erecta, & hæreſis depreſſa eſt.

Coloniæ quoque ſuffectus eſt in locum Hermanni hæretici Archi-Ebiſcopi Adolphus. Tandem etiam Landgravio Haſſiæ iiſdem deprecatoribus venia à Cæſare impertita eſt.

Quinto Kal. Februarii obiit Henricus VIII. Angliæ Rex, anno ætatis 57. regni 39. ex nimiâ pinguedine. Statuerat Eccleſiæ reconciliari, ſed paraſitorum & aulicorum turba, quos ſacris bonis locupletârat, impedivit; ſumpſit tamen Catholico more Euchariſtiam, hæredeſque inſtituit, primò Eduardum ex Semeirâ filium, deinde Mariam ex Catharinâ, denique Eliſabetham ex Annâ Bolenâ; filio autem adjunxit 15. tutores, omnes ferè Catholicos, & hunc in Catholicâ fide voluit

luit erudiri, sed Primatum Ecclesiæ retinere: At enim ex iis tutoribus Eduardus Herefordiæ Comes, frater Semeiræ Zwinglianus jus omne sibi arrogavit, & hinc favente Granmero Archi-Episcopo Cantuariensi inducta est hæresis in Angliam per Hugonem Latimerum Anglum, facetum concionatorem, Petrum Vermilium Martyrem, Bernardinum Ochinum, Capuccinorũ quondam Generalem, tunc nequissimum apostatam. Et quidem his hominibus debet Anglicana Pseudo-Religio sua exordia: Porrò Henricus moribundus vinum ciatho inverso effundens ingemuit, & dixit: *Amici! omnia perdidimus: vitam, existimationem, animam, & cœlum.* Post quæ verba expiravit.

Mortuus est eodem anno Franciscus I. Galliarum Rex ex febri continuâ, omnibus Ecclesiæ Sacramentis præmunitus, anno vitæ 52. regni 32. *Litterarum Parens* vulgò appellatus. Vir sine dubio magnanimus, sed ineptis simul amoribus implicatus, quibus subinde magis, quàm regno attendit & concessit, unde etiam magnas clades expertus. Successit ei filius Henricus II. annos natus duodetriginta.

Mortuus est quoque Constantinopoli Hariadenus Ænobarbus, seu Barbarossa.

Tur-

Turcicarum navium Præfectus, & Algerii Rex, ſucceſſorem relinquens filium Haſanem, patre tantùm fortitudine, quantùm ætate inferiorem.

Obiit etiam in novo Orbe Ferdinandus CorteſiusMexici domitor,& conditor novæ Hiſpaniæ.

✲(1548.)✲ Moritur Sigiſmundus Rex Poloniæ octuagenario major, ſuccedit eidem Sigiſmundus Auguſtus, filius ultimus ex familiâ Jagellorum.

Maria Regina Scotiæ ſexennis, invitis Anglis ducitur in Galliam, deſponſanda Delphino, propter quam bellum ortum inter Anglos & Scotos, illis Mariam pro Eduardo ſuo uxorem volentibus.

In Angliâ ſævitur in Catholicos, abolitâ Miſſâ,inductâ Calvini ſectâ, quæ poſtmodùm in alias varias diviſa eſt.

Moſchus per Legatum ad Auguſtana Comitia miſſum, fœdus init cum Cæſare contra Turcas. Eòdem venit Muleaſſes à Præfecto Golettæ Franciſco Thouvarro Hiſpano gazâ ſuâ ſpoliatus, mortalium infortunatiſſimus, cui Barbaroſſa regnum, Amida filius viſum, Thouvarrus bona eripuerat. Remiſit eum Cæſar in Siciliam, ut publicis ibi ſumptibus aleretur, & de Rege fieret nobilis mendicus. In iiſdem Comitiis

mitiis Augustanis Mauritius creatus est Elector, & in loco, unde ceremonias spectare posset è fenestrâ Joannes Fridericus exauctoratus, quas tamen sine ullo animi motu aspexit.

Maximilianus filius Ferdinandi fratris Caroli V. uxorem ducit Mariam filiam Caroli.

Burdegalæ horribilis excitatâ est seditio propter vectigal impositum salinis, quam dum comprimere nititur Tristanus Monenius Vicarius Henrici Regis Navarræ, unguibus populi laceratus & sale conditus est miserabilis salinator. Missus eò statim ab Henrico II. Annæus Comestabilis cum Guisio & exercitu, per muri labefactati partem subiit, auctores sustulit, urbis omnia privilegia extinxit, cadaver Monenii unguibus præcipuorum civium effodiendum curavit, & sepeliendum ab universo populo cum facibus, vociferante coram Comestabilis domo, *improbè se fecisse.*

Condita est Augustæ nova formula quædam, quâ 26. capita continebantur de modo vivendi circa religionem usq; ad Concilii definitionem, dicta *Interim*, nec à Catholicis probata, nec ab hæreticis omnibus sed tantùm aliquibus recepta; unde triplicis generis Interimistæ mox orti: Cæsarei

rei Catholici, Lipsici Lutherani, & Franci Calviniani, omnes adiaphoristis meritò adnumerandi. Sic contingit, quando Principes sæculares de Ecclesiastica potestate plùs æquo sibi arrogant.

✲(1549.)✲ Agitatur Anglia intestinis tumultibus ob violatam avitam religionem hæreticis in eam ingressis, Paulo Fagio, Martino Bucero, & Petro Martyre, ut ibi perfidiæ suæ sementem facerent.

Theodorus Beza Clericus libidinosus, & omni turpitudine infamis Genevam ad Calvinum profugit.

Moritur Paulus III. annos natus 82. egregiè suo Pontificatu perfunctus annis quindecim, quibus sedit: Vacavit post hunc Sedes ferè tribus mensibus.

Franciscus Xaverius penetrat in Japoniam.

✲(1550.)✲ Die 7. mensis Februarii Summus Pontifex renunciatus est ex Episcopo Cardinali Prænestino Joannes Maria de Monte, ex Diœcesi Aretinâ oriundus, sed natus Romæ, qui nomen suscepit Julii III. & mox Jubilæum celebravit, totusque in Concilium celebrandum incubuit.

Imperator Carolus Comitia celebrat Augustæ, & Philippo filio ibidem præsenti

Imperium asserere cupiens, reluctantes sensit tum cæteros Electores, tum ipsum fratrem Ferdinandum, jam Regem Romanorum renunciatum, & in filium Maximilianum ex Hispaniâ reducem jam Bohemiæ Regem charitate propensiorem. Actum præterea his Comitiis de bello contra Protestantes iterum parere recusantes. Mauritius quoque ab Imperatore nihil jam ultrà exspectans, invidiam omnem in hunc derivare conabatur.

In Anglia morbus pestilens, & incognitus Medicis grassatur.

In Carinthia inter Villacum & Clagenfurtum frumento pluit, ex quo panis optimus confectus est, ac ipsi Cæsari oblatus.

Tolosæ crematur quidam ex Novatoribus, qui se S. Joannis Evangelistæ spiritum habere jactabat: Visus est etiam Parisiis ac Basileæ alius, qui se ab Angelo S. Petri dirigi dictitabat: Et alius ab Angelo Mosis; Adeò hoc sæculum spiritûs privati vertigine agitabatur.

DE PETRO MARTYRE.

PEtrus Virmillius Florentinus, qui Martyris sibi nomen arrogavit, ex Canonico Regulari factus est Sathanæ tubicen anno 1549. Cujus errores fuêre præcipui:

1. *Non posse Deum efficere, ut JEsu Christi corpus*

corpus in pluribus simul locis existeret. Cæterùm Sacramentarius quidem fuit, fide tamen à Calvinismo discrepabat, quia auditis in Possiacensi colloquio Calvini ministris asserentibus, JEsu Christi corpus realiter in Eucharistiâ sumi, licèt realiter in eâ non existat, contrarium cum exclamatione testatus, scilicet neq; illud in Eucharistiâ esse realiter, neq; in eâ realiter accipi: Hinc putant multi, propinato veneno à Calvinistis fuisse extinctum eo ipso tempore, quo se ad Brentium Ubiquetariorum Parentem, & ad prædictam realem absq; reali existentiâ susceptionem ab Hugonosticis invectam refutandam accingebat, quod factum est anno 1562. mense Novembri.

DE SEBASTIANO CASTELLIONE.

LUdimagistrum Genevæ egit, qui teste ipso Bezâ rem indifferentem ducebat, eam religionem sequi, quam quisque voluerit.

Prætereà sentiebat cum Anabaptistis, Canticum canticorum ajebat esse colloquium vel cantilenam profanè amatoriam atque impudicam Salomonis cum quadam suâ amasiâ, adeò ut teste eodem Bezâ palàm illud jusserit ex Canone eradi non sine atrocibus in eos convitiis, qui obnitebantur.

DE JOANNE ALASCO, ALASCANORUM PROGENITORE.

JOannes Alasco Polonus, ex Barone & Episcopo factus est Lutheranus, & ex Lutherano

Sacramentarius Zwinglianus anno circiter 1549 Duos præcipuè errores sparsit.

1. Sacramentalia augustissimæ Eucharistiæ verba: Hoc est Corpus meum, per duodecim falsas expositiones corrupit.

2. Baptismum prorsùs rejecit causatus, in idololatriam eum conversum esse

In Angliam aufugit circa annum 1555. ubi ab Eduardo Rege illud obtinuit, ut peregrinorum Ecclesiæ præesset; animam efflavit mense Januario, anno 1560.

DE HENRICO BULLINGERO,

Circa eundem annum 1549. fœtidos suos errores sparsit Bullingerus Zwinglianus, qui inter alia mendacia fortissime tuitus est, non alium Antichristum in mundum venturum, quàm qui de facto sit Pontifex Romànus.

2. Incusavit idololatriæ S. Joannem Evangelistam, quòd ille Angelum honorâsset, ùt scribit in Apocalypsi. Obiit anno 1575.

DE GUILIELMO POSTELLO.

Gulielmus Postellus Barentonius disciplinarum linguarum exoticarum ad miraculum usque peritissimus, inanes ex Rabbinorum & Thalmudistarum somniis nænias invenit, quas propè indignum est revelare.

1. Dixit SS. Trinitatem mundum quoddam corpus habere & animam: ineptissima quædam de Virgine Venetâ, de Christo intoxicato,

de

de matrice mundi evomuit, quæ nequidem proferre convenit.

2. Scripsit Clavem absconditorum à sæculo, ubi ait, se declaraturum, quæ nequidem Christus, neque Apostoli, neq; Ecclesia usq; ad hanc horam portare valuit.

3. In Elia Pandochæo universas omnis generis hominum sectas à Christo salvandas esse fabulabatur.

4. Scripsit de nativitate mediatoris ultimâ futurâ, cujus operis auctorem disertè in titulo libri scribit Spiritum Christi: imò in fine præfationis disertè ait, hæc scripta non esse sua, sed Christi sensibiliter in nobis suum Evangelium exponentis.

5. Jactat, Angelum Razaël multa sibi mysteria revelâsse, hujus autem præcursorem fuisse Schwenckfeldium.

6. In suâ Parthenosiâ docet, sex esse Sacramenta.

Scribit de hoc Postello Nicolaus Orlandinus in Historiâ Societatis JEsu, num. 3. Erat Gallus egregiè litteratus, & doctus mathematicis præsertim litteris & varietate linguarum Guilielmus postellus, qui non exigua in speciem pietatis documenta præbens ad Tyrocinium admissus est, sed brevi deprehendit Ignatius, hominem non prophetico, ut ipse somniabat, spiritu

ritu afflatum, sed potiùs spiritu erroris inflatum esse. Itaque nullam contumacis doctrinæ, quæ cum verâ sapientiâ pugnaret, rationem ducendam ratus, maturè è Societate Mathematicum hunc ita secrevit, ut usu & colloquio ejus universos Socios interdiceret, qui demùm fertur ætate decrepitâ Catholicus obiisse Parisiis.

Hujus etiam Catholici Postelli meminit Bellarminus, item Marquisius, qui scribit, Postellum centenarium, & multarum linguarum peritum Lutetiæ obiisse, ubi magno accurrentium numero tanquam redivivus inusitatæ ætatis Doctor auditus est, admirabili multiplicis doctrinæ ac memoriæ demonstratione, ut vix credi possit; dixeritque Maldonatus, vir acri ingenio illum allocutus, mirari se talem in mundo virum existere, cujus quot verba, tot essent apophthegmata.

DE THEODORO BEZA, BEZANITARUM ANTESIGNANO.

Theodorus Beza Calviniſta Vetzelii in Burgundiâ natus, Eccleſiam impugnare cœpit anno 1550. qui impudentiam ſuam palàm omnibus manifeſtavit fœditate epigrammatum, quæ ſcripſit, & alia ſcelera, quæ illum Prioratum ſuum Longanæum vendere, & Galliâ excedere compulerunt; nec immeritò Epicurus & blaſphe-

mus

mus scurra à Tilmanno Heshusio Lutherano appellatur.

1. Omnipotentiam Dei in constituendo eodem corpore in diversis locis negavit.

2. Negavit orandum esse pro reprobis.

3. Electos nullo peccato mortali coinquinari posse, reprobos verò nullo veniali.

4. Deum non esse omnipotentem, nisi simul omnis peccati impulsor & auctor sit.

5. Capitalis fuit hostis B. Mariæ Virginis & honoris Sanctorum.

Sathanam, ait, præsedisse Conciliis Ecclesiæ.

7. Sathanam posuisse fundamenta cultûs Sanctorum.

Genevæ impiam animam egit anno 1603.

DE JUSTO JONA.

JOnas fuit coquus Lutheri, seq; Justum Jonam vocandum curavit anno 1550. non secùs ac Osiander se ipsum secundum Henoch vocabat.

DE VALENTINO CRATOALDO.

SAcramentarius fuit, & novam adinvenit illorum verborum explicationem: Hoc est Corpus meum. Docens, illa sic esse disponenda: Corpus meum est hoc, videlicet, Panis & cibus spiritualis & vivus, qui de cœlo descendit.

DE ANDREA OSIANDRO.

AUdiri cœpit anno 1551. Postquam autem Lutheranum aliquamdiu egit, altare suum seorsum erexit, secundum Henoch *se esse jactans, ac speciatim docens, hominem non justificari per fidem, sed per essentialem Dei justitiam, & formalem nostræ justificationis causam esse illam ipsam justitiam, quâ Deus essentialiter justus est.*

DE STANGARIANIS, SIVE ANTIOSIANDRIANIS, AUCTORE FRANCISCO STANGARO.

FRanciscus Stangarus Mantuanus tueri capiens, ut Osiandro obsisteret, JEsu Christi humanitatem esse nostræ justificationis causam, in extremum oppositum se præcipitem dedit, nimirùm JEsu Christi Divinitatem Arianorum more oppugnando; ajebat enim Christum esse justificatorem nostrum secundùm solam humanitatem, exclusâ Divinâ naturâ.

Docebant prætereà Stangariani, Eucharistiam datam esse tanquam pignus Corporis Christi.

DE MUSCULANIS, SIVE ANTISTANGARIANIS, AUTHORE ANDREA MUSCULO.

CUm Andreas Musculus utramque opinionem refellere conaretur, Osiandri scilicet & Stangari, tueriq́, JEsum Christum secundùm utramqeu naturam esse justificatorem, eò progressus est, ut

ut doceret, Divinam JEsu Christi naturam esse in cruce unà cum humanâ naturâ mortuam. Est autem alius hic Andreas Musculus à Wolffgango Musculo Sacramentario, qui circa annum 1549. etiam impia dogmata sparsit.

DE SEMI-OSIANDRIANIS.

INditum est hoc nomen Pseudo-Theologis Tubingensibus, eoquod pugnent contra Osiandrum pro Anti-Osiandrianis, contendentes, hominem imputatione justum in hac vitâ appellari; ex alterâ verò parte pro Osiandro decertant contra Anti-Osiandrianos, asserentes: necesse esse, ut in alterâ vitâ homo justus fiat, eâ ipsâ justitiâ, quâ Deus essentialiter justus est.

DECAS VI.

(*Ab anno Christi 1550. ad 1560.*)

1551. REsumptum est hoc anno Tridenti Concilium, sed pauci interfuêre, ob Parmensis belli metum, tum enim Octavius videns se imparem Ferdinando Gonzagæ in urbem commeatum inferre prohibenti, & opem negante Pontifice confugit ad Francos, quorum præsidium Rex suscepit. Id ut Julius Pontifex improbaret, Francum bello cum Cæsare junctis

ctis armis aggredi decrevit, bellum igitur inchoatum potentissimos duos Principes collisit, multis Provinciis hoc incendio correptis. Dictumque est bellum Parmense.

Interea Protestantes in Germania Carolo V. Landgravium Hassiæ libertati restituere recusante quamvis id Electores & Daniæ & Hungariæ Reges flagitarent, fœdus inierunt cum Henrico II. contra Carolum.

Nec otiatus est Solymannus Christianis Principibus se se bellis mutuis lacerantibus, & Pontifice communi Patre filiorum contentionibus implicante, Ducibus Sinane Bassâ & Dragute, Hungariam invadit, diripit Siciliam, tentat Melitam, & occupat Insulam Gozo, omnibus indigenis abductis aut necatis. Quorum malorum causa in Francos quasi incentores à Cæsarianis derivata est.

Cæsus est hoc tempore Georgius Monachus Cardinalis per Sicarios operâ Castadi Ducis Ferdinandi ejus divitiis inhiantis, sed inventæ sunt opinione minores, & qui ea spolia attigerunt, omnes malè periêrunt, quodque dolendum maximè post ejus cædem hæresis in Hungariam & Transylvaniam penetravit, quam hactenus

nus induſtriâ ſuâ ab his regionibus arcebat.

Henricus II. propter inimicitias cum Pontifice multùm impedit Concilium Tridentinum, & ab eodem Helvetos & Rhætos avertit.

✲(1552.)✲ Mauritius Saxoniæ Elector bellum infert Imperatori, quod tamen Ferdinandus Caroli frater tantiſper componit, per Friderici Saxonis & Landgravii Haſſiæ eliberationem promiſſam, & factam ſimul in Conventu Paſſavienſi promiſſionem, quòd nemini impoſterùm Religionis cauſâ facienda ſit moleſtia.

S. Franciſcus Xaverius dum Evangelium Chriſti in Sinas inferre laborat, in Inſula Sanciano ſanctiſſimè moritur.

Siun Patriarcha Neſtorianorum Romam venit, & Romano Pontifice agnito pro univerſali Paſtore Neſtorianam hæreſin abjurat.

Lutheranorum cum Zwinglianis bellum à Joanne Weſtphalo reſtauratur, qui librum ſcripſit, in quo Sacramentariorum opiniones, non minùs confunduntur, quàm ipſi diſſidentes inter ſe cribrantur.

✲(1553.)✲ Bellum Proteſtantium adverſùs Carolum V. & Ferdinandum magno ardore erumpit. Mauritius enim Saxo-

niæ

niæ Elector & Albertus Marchio Brandenburgicus cum Guilielmo Landgravii majore natu copias suas conjunxêre, & Augustam Vindelicorum quatriduo obsessam occupant, inde versùs Ænipontem movent & Ereberga capta magnas curas injiciunt Cæsari Villacum Carinthiæ se recipienti, qui etiam tum Joannem Fridericum Saxonem, quem secum captivum ducebat, libertati suæ restituit; Ænipontem autem Protestantes cœperunt. Alibi etiam Henricus Franciæ Rex Lotharingiam ingressus cum magno exercitu eam totam sibi subjecit, & Principem Carolum novennem in Franciam cum suo Delphino nutriendum misit, pollicitus ei Claudiam filiam suam, totiqúe Regioni Nicolaum Valdemontium pueri patruum præfecit. Occupavit quoqúe Tullum, Virodunum, & Metas sibi ex fœdere concessas quo minùs autem Argentorato potiretur, effecit civium prudentia, qui rebus omnibus bene instructi & bene animati sui juris esse perrexerunt. Ulteriùs tunc in Germaniam Henricus Rex Galliæ progressus esset, nisi Germani Principes confœderati ultra progredi inhibuissent, suâ jam libertate potiti æquè parum Henrico Galliæ quam Carolo Imperat. addicti, sed suis tan-

tantùm commodis intenti. Pax itaque confecta, & dicta Mauritiana pax, per illam *Interim* abolitum est, concessumque Protestantibus ut arbitratu suo viverent, quam pacem ægrè tulit Henricus, qui se à Principibus Germaniæ deceptum & illusum dicebat, mox enim Carolus ad recuperandas Urbes Imperii adjecit animum, & ingenti parato exercitu cum Alberto Brandenburgico Metas XI. Kal: Octobris obsedit centum peditum millibus & duodecim Equitum, fossorum septem millibus majoris tormentis bellicis centum & quatuordecim. Sed hanc urbem ingressus Franciscus Guisius cum manu magna nobilium, sic tutatus est, ut Caroli gloriæ posuerit metas. Ferunt Imperatorem in hac infortunatâ expeditione Germanorum 40. millia perdidisse, relictis in castris multis ægrotantibus & peregrinis, quos omni diligentia Guisius fovit, & sanitati restitutos ad sua remisit in patriam pecuniâ etiam in viaticum suppeditatâ.

Dum Christiani bellis se se atterunt in Germaniâ, Solymannus in Hungariâ multis urbibus captis magnis passibus & viribus progreditur, donec Agria civitas impetum cohibuit & duobus Stephanis Dobone & Nescutio contra viginti quinque

que assultus fortissimè propugnata est, & pax inter Ferdinandum & Solymannum inita.

Posthæc Solymannus filium suum Mustapham & filium ejus ex amore Roxolanæ uxoris strangulari jubet, cujus cadavere viso Glangires frater gibbosus, sibi pugionem defixit in pectore funus fratris suo funere cumulaturus.

Servetus novorum Arianorum auctor Genevæ vivus comburitur, cujus tamen sectam Valentinus Gentilis & Georgius Blandrata in Transylvania & Polonia postmodùm disseminârunt.

Eduardus Rex Angliæ moritur, anno ætatis 17. cui favore populi & magnatum successit Maria filia Henrici ex Catharina prima legitimâ. Hæc mox fidem Catholicam in regnum restituit, & Titulum Capitis Ecclesiæ Anglicanæ rejecit, ac pro Legato Apostolico Reginaldum Polum accersivit Pulsis-Pseudo ministris hæreticis, quorum supra triginta millia mox exulare jussi sunt.

✲(1554.)✲ Maria Regina Angliæ nubit Philippo Caroli V. filio, & Reginaldus Polus Legatus Apostolicus Regio sanguine, pietate & doctrinâ conspicuus totam Angliam Ecclesiæ reconciliat.

Joan-

Joannes Basilius Moschorum Dux regnum Astracanum Tartaris eripit, Astracanenses verò omnes aut sacro baptismo abluti, aut aquis submersi sunt.

A Carolo V. & Henrico II. Franciæ Rege vario exitu pugnatur in Italia & in Belgio, non destitit etiam à motu civili propter nuptias Mariæ cum Philippo initas, Ducibus rebellionis Thoma Viato & Suffoluo, qui mox Londinensi populo à Regina Maria prudente & elegante oratione Sedato, proscripti & capti cum Joanna Pseudo Regina publico supplicio necati sunt cum Octoginta aliis complicibus. Dati quoque in carcerem Elisabetha & Curtenæus hujus Conjurationis postulati, hic emissus abiit in Italiam, illa in carcereMariæ mortem & regnum expectavit.

✲(1555.)✲ Julius III. Pontifex obit, eique substituitur Marcellus Cervinus II. Politianus vir laudatissimis moribus, sed intra 22. dies elatus est & tenui pompâ sed lacrymisRomanorum & dolore omnium bonorum sepultus. Huic successit Joannes Petrus Caraffa Neapolitanus pene Octuogenarius, dictusque est Paulus IV. qui mox fœdus cum Henrico II. iniit, pro Regno Neapolitanooccupando, erat enim animo satis aversо Paulus & tota Caraffianorum familia à Carolo V. In

In Anglia ferìò in hæreticos animadversum eſt, quando etiam Thomas Cranmerus Pſeudo-Archi-Epiſcopus Cantuarienſis, cum convictus Palinodiam recinuiſſet, impœnitens, & multa in Eccleſiam deblaterans vivus combuſtus eſt. In ejus locum ſuffectus eſt Reginaldus Polus hoc honore digniſſimus.

Carolus V. mortuâ Joanna parente ſuâ in manibus Franciſci Borgiæ olim Gandiæ Ducis, tum Societatis JEſu Sacerdotis 8. Kal: Novembris Bruxellis abdicat ſe ſe ſtatibus ſuis filio ſuo Philippo traditis, repetiturus Hiſpaniam & privatam vitam ibi traducturus, reſervavit ſibi duntaxat centum millium aureorum annuos redditus; Ferdinando admonito, ut provideret Imperio. Anno proximo in Hiſpaniam navigans in Monaſterium S. Juſti fratrum Hieronymitanorum in finibus Caſtellæ ſeceſſit, ibique reliquum vitæ tempus tranſegit Deo, ſibique vacans, contempto quàm geſto Imperio mirabilior.

In Germania Petrus Caniſius Societatis JEſu tot tamque diverſis hæreticorum Catechiſmis, opponit Catechiſmum Catholicæ religionis, qui non ſolùm tum multis in Germania profuit, ſed etiam deinceps ſparſus per Orbem uni-

ver-

versum propositus est, tauquam purissimam doctrinam Christianitatis complectens.

Andreas Oviedus Patriarcha Æthiopiæ à Pontifice designatur, in qua impigrè usque ad obitum laboravit, in vita & post mortem miraculis clarus, & eo redactus inopiæ in sua dignitate & Apostolatu, ut bubulcum agere & terram aratro proscindere cogeretur, merito nascentis Ecclesiæ præsulibus adnumerandus.

Brasilia hoc anno detegitur per Nicolaum Durandum cognomento Villagnonium Equitem Melitensem.

Thomas de Villa nova Archi-Episcopus multis pauperum lacrymis in cœlum è vivis migrat.

✲(1556.)✲ Inducias quinquennales Philippus & Henricus curaverunt, sed has dissidia Columnarum & Pontificis contraxerunt, cum huic Henricus, & illis Albanus opem tulisset: Missus est igitur in Italiam cum validis copiis Franciscus Guisius, & varia commissa sunt certamina, inter duas partes cunctantibus Venetis, & quò fortuna vergeret circumspicientibus.

Turcæ hoc anno duas clades accipiunt, unam ad Oranum Africæ, unde repulsi sunt, & alteram ad Zigetum in Hungaria

unde

unde rejecti sunt, sed felicius in Transylvania opitulati sunt Isabellæ, & omnes Ferdinandi copias expulerunt, plùs tamen damni ipsis incolis, quam Cæsariano militi inferentes.

S. Ignatius Societatis JEsu Fundator anno ætatis 63. cùm per universum orbem filios suos in collegia centum, & Provincias duodecim distribuisset, migrat ad Domini gloriam, quam in terris magno conatu propagare intendebat.

✲(1557.)✲ Obiit hoc anno Joannes III. Lusitaniæ Rex, omnibus quidem virtutibus, sed vel maximè pietate & zelo Catholicæ fidei inter barbaras gentes propagandæ excellens; eidem successit Sebastianus ex filio Joanne priùs defuncto nepos posthumus, tunc trimulus, sub tutela aviæ Catharinæ piissimæ fæminæ.

Fame Germaniam affligente, Rex Catholicus Philippus aluit 30. millia pauperum.

Franciscus Dux Guisius ducto in regnum Neapolitanum exercitu, multa loca occupat, feliciorem successum Duce Albano impediente. Obsidente vero Sanquintinum in Veromondanis Philippo Hispaniarum Rege Galli subsidio accurentes, ingenti clade afficiuntur, die 10. Augusti

capto

capto etiam cum multis aliis Mommorantio Comestabili.

✲(1558.)✲ Maria Scotiæ Regina & hæres nubit Delphino, Maria autem Angliæ Regina ex hydrope moritur anno ætatis 44. post cujus mortem statim Maria Scotiæ se quoque Angliæ Reginam dixit, & jubente socero usurpavit insignia regni, ab Anglis autem electa est Elisabetha filia Henrici VIII. ex Anna Bolena mulier ingeniosa & solers, & hæresin tantùm professa ne natales ejus Ecclesia damnaret, verè nullius religionis, sed de regno tantùm solicita: unicuique initio sui regni liberam religionem reliquit. Audita Mariæ mortè sedecim horis pòst Reginaldus Polus ex quartanâ febri decumbens diem quoque obiit.

Guisius acerrimâ tormentorum verberatione intra septem dies Calisium ad deditionem cogit, quod jam ab annis ducentis & decem Anglicum jugum sustinebat. Sic Anglis erepta est Franciæ clavis, quam è zonâ Regis sui pendere jactabant. Eâdem victoriâ aliæ quoque urbes occupatæ & Anglis ereptæ, quæ in Franciâ sitæ erant, ut jam non invenirent Angli amplius, ubi pedem in Francia figere possent.

Selimo & Bajazethe de Imperio certan-

tibus vivo adhuc patre, victus Bajazethe ad Techmanem Persarum Regem confugit, sed Solymanno instante, ibidem cum filiis suffocatur.

Francofurti Ferdinandus à Principibus pro vero & legitimo Imperatore agnoscitur, quanquam id Pontifex improbaret, & ut Imperio renunciaret, quamdiu vixit, expeteret.

Mortuus est hoc anno XI. Kal. Octobr. Carolus V. cùm vixisset annis sexaginta duobus, & mensibus 7. Cujus mortem cometes insignis sub comâ Berenices prænunciâsse putabatur. Vir magnæ prudentiæ, futurus totius Europæ Dominus, nisi Franciæ Reges impedivissent, à quibus multùm damni accepit, & sæpe plùs reposuit. Mortuus est pientissimè, qualis etiam inter tot regnorum negotia, inter curas & bella, vixisse visus est; Si paucas quasdam labes nomini ejus adhærentes excipere vel Benevole, uti aliquæ possunt, excusare libuerit. Filium unum reliquit legitimum Philippum, & filias duas Mariam Maximiliani, & Joannam Principis Lusitani conjugem: ante conjugium Margaritham Octavii Parmensis uxorem, & in viduitate ex Ratisbonensi fœminâ Joannem Austrium, bellicosum Ducem

susce-

suscepit. Quas noxas contractas inter tam obvias labendi occasiones plurimùm postmodùm in monasterio erubuit, in quo retentis solùm duodecim domesticis, & uno equulo, quo interdum animi gratiâ ad vicinas sylvas ferebatur, ita piè vixit, ut nihil agere videretur, quàm ad mortem pientissimè obeundam se præparare, continuis precibus expugnare cœlum, frequenter mundare animam, cibo cœlesti reficere, & vivere frugalissimè, ut ex centum millibus ducatorum (qui annuus ejus census erant) vix quatuor millia insumeret, parte reliquâ in usus pauperum distributâ, quin & flagris senile corpus cædere, ut erubesceret ad noxas juventutis: extat adhuc flagellum respersum sanguine Caroli, quod filius ejus Philippus morti proximus tradidit Philippo III. filio avitæ virtutis commendatione. Tandem etiam vitæ impatiens ipse, mortem quasi provocans, jussit sibi adhuc vivo celebrari exequias funebres, quibus ipse tenerrimo sensu mortalitatis interesset; nec videbatur vanè vocata mors, venit enim mox alterno ab exequiis die, immissâ febri, quâ, Sacramentis omnibus expiatus & instructus, inter illa verba: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*, placidissimè animam Creatori suo reddidit.

Hoc anno Herbipoli à quindecim Equitibus cæsus est Melchior Zobell, Episcopus Herbipolitanus, jussu Grumbachii, qui demùm detectus, & post aliquot annos captus, ipse sui miserandus tortor extitit, sibiq́ue, custodibus sopitis, laqueo gulam infregit.

HÆRESIS VERGERII.

Circa annum 1558. hic Catholicis in Polonia molestus fuit, fuitq; insignis Lutheri ac Brentii fautor, & singulari in Sedem Apostolicam odio flagravit.

DE NICOLAO AMBSDORPHIO.

Fuit ex numero rigidorum Confessionistarum, qui bona opera saluti hominis pernitiosa esse arbitrantur; fuit adeò in hoc errore pervicax, ut librum de eo scripserit, cui titulus, Propositio vera, quòd bona opera pernicioſa sint ad salutem.

DE MAJORISTIS, DUCE GEORGIO MAJORE.

Majoristæ sive Majorani cohortẽ unam componunt Mollium Confessionistarum, docentes contra Ambsdorphianos, bona opera esse ad salutem necessaria etiam infantibus, adeo ut ex eorum sententiâ nemo unquam salvus fuerit, aut justificari possit absq; bonis operibus antecedentibus

DE ANTINOMIS.

RAmus hic est Lutheranismi, & hoc nomine ideò appellati sunt, quod ad extollendum Evangelium legem usq; adeò deprimant, ut inutilem prædicent, & neq; ante justificationem, neq; post, modo ullo necessariam, contendantq;, homines Evangelicos minimè obstrictos teneri ad exequenda Legis Divinæ bona opera, sic à Luthero & Lutheri discipulo Joanne Agricolâ edocti.

DE MANSFELDENSIBUS.

ALius est hic Lutheranismi ramus, nomen hoc inde sortitus, quòd juniorum Comitum de Mansfeld confessionem sequatur, quâ sectas alias Lutheranorum complures rejecerunt, videlicet Adiaphoristarum liberum arbitrium, & bona opera defendentium Osiandrianorum, Stancarianorum, & alias nonnullas.

✲(1559.)✲ Elisabetha Angliæ Regina declarata sævire incipit in Catholicos, & novam religionis formam inducit, ut se Ecclesiæ Anglicanæ Caput ostende et.

Pax inter Philippum Hispaniæ, & Henricum II. Galliæ Reges in Agro Cameracensi toti Orbi gratissima concluditur.

Paulus IV. Pontifex in nepotes suos severè animadvertit, submovendo eos à præcipuis, quæ gerebant, officiis, & omnes relegando.

Parisiis, dum celebrantur nuptiæ Elisabethæ filiæ Henrici II. cum Philippo II. Hispaniæ Rege, Rex Henricus in ludicro hasti-ludio hastæ confractæ frusto per occiput ad sinciput penetrante à Mongomerico Lorgii filio vulneratur, & relatus in palatium, moritur, magno luctu Catholicorum, & gaudio hæreticorum. Successit patri Franciscus II. primogenitus, annum agens 18. qui mox uxorem Mariam Scotiæ, Hyberniæ, & Angliæ Reginam (Elisabethâ indignante) renunciari curat.

In Galliâ Calvinianæ sectæ seriò quidem, sed serò obviam itur. Philippus autem Hispaniæ Rex, Gallorum exemplo doctus, initiis statim ejusmodi hominum insaniæ providet, & severè animadvertere jubet adversùs hæreticos in Hispaniam sese insinuantes.

Moritur Paulus IV. Pontifex, & Joannes Angelus Medicenus subrogatur, dictus Pius IV.

✠(1560.)✠ Nepotes Pauli IV. Pontificis, quos ipse Paulus urbe ejecerat, Pius IV. Pontifex carceribus mancipari jubet, qui & anno sequenti de criminibus convicti supplicio affecti sunt, & Carolus quidem Cardinalis Majestatis læsæ reus strangulatus est: Joannes ejus frater cum

Comi-

Comite Allisano uxoris fratre capite plexi, & capita illorum mox in Ælio ponte ad terrorem exposita; Alphonsus mitioris vir ingenii mitiùs etiam habitus, grandi ære & Cameræ Præfecturâ ademptâ mulctatus vitam obtinuit. Ita Pius IV. Pauli IV. inchoatam duntaxat in nepotes austeritatem absolvit, & legitimam illam fuisse demonstravit. Tum autem idem Pius IV. sororum suarum filios ad se evocatos evexit & ditavit omnes, in quibus si peccavit, ex uno tamen obtinuit veniam, Carolo scilicet Borromæo Mediolanensi, sororis Margarithæ filio, quem annos natum viginti & unum Cardinalem creavit, & posteà Archi-Episcopum Mediolanensem: qui ita vixit, ut Purpuram & Insulas præstantissimis virtutibus illustraret.

Hæretici in Gallia contra Regem & Guisios, auctoribus (ùt creditum est) Calvino & Bezâ conspirant, sed conjuratione detectâ, plurimi ex complicibus jugulantur, capite mulctantur, suspenduntur.

In Scotiâ etiam Galli rem Catholicam fortiter tuentur contra sectarios rebellantes favore Anglorum.

Rex Mauritaniæ in urbe Fessâ cum plurimis baptizatur.

Franciscus II. Rex Galliæ apostemate ad

nares enato anno ætatis suæ vigesimo secundo moritur, cui Carolus IX. frater successit anno ætatis decimo.

Classis Hispanica propè Insulam Zerbi à Turcis profligatur, perditis viginti millibus Christianorum, & triremibus 28. onerariis 14. cum multis minoribus navigiis: fugêre turpiter Christiani Duces, & vix ipse Medina Cæli in Siciliam salvus evasit. Capta est arx Zerbensis, Turcis de Christianorum calamitate triumphantibus.

Moritur Gustavus Rex Sveciæ Lutheranus, cui succedit Ericus XIV.

Centuriatores Magdenburgenses, quorum caput erat Mathias Flaccius Illyricus rigidorum Lutheranorum antesignanus, hoc anno centurias suas emittere parârunt, tomos numero tredecim, refertissimos mendaciis, *Aureum Opus* ab hæreticis dictum, sed à Cardinali Baronio *Stramineum* esse, abundè probatum.

DECAS VII.

(*Ab anno Christi 1560. ad 1570.*)

1561. MAria Regina Scotiæ uno tempore orbata matre & marito, in Sco-

Scotiam revertitur, & in suâ navigatione sex dierum caligine veluti nube tecta, hostes insidiatores mirabiliter incolumis evadit.

Protestantes in Germaniâ Namburgum Thuringiæ conveniunt, & de Concilio disceptant, sed statim parùm concordes inter se discedunt.

In Livonia fides Catholica magnum detrimentum patitur, Livonico Ordine extincto, & bonis Ecclesiasticis inter nobiles distractis, atque Lutheranismo introducto.

Gonsalvus Sylveria è Societate JEsu in regnum Monomotapæ Catholicam fidem invehit, & Regem ac Reginam ad eam amplectendam inducit, & baptizat, indito illi nomine Sebastiani, & huic Mariæ: sed paulò pòst insidiis Mahometanorum martyrio afficitur.

In Scotiâ ita hæresis invalescit, ut vix Reginæ sua religionis libertas relinqueretur. In Vallibus quoque Sabaudiæ Waldensium reliquiæ caput erexerunt: Similiter in Galliâ Hugonottæ à Rege ac matre Reginâ templa in usum suæ prætentæ religionis impudenter postulant, & id extorquent, ut permissum illis fuerit, suos agere conventus, sed extra urbium mœnia, idque duntaxat usque ad Concilii Tridentini determinationem.

Prima Congregatio Beatissimæ Mariæ Virginis in Romano Collegio Societatis Jesu instituitur, à quâ derivatæ sunt postmodùm per universum Orbem similes Congregationes.

DE LUCA STERNBERGERO HÆRETICO.

Emersit hoc anno in Omolucensi Moraviæ oppido, Lutheri ac Melanchtonis discipulum se professus; docuit sequentes errores:

1. *Eum, qui nomen SS. Trinitatis profiteretur, tres Deos comminisci.*

2. *JEsum Christum non esse verum Deum, sed simplicem hominem.*

3. *Spiritum Sanctum irridebat, columbam tantùm esse causatus.*

4. *Beatissimam Virginem, ajebat, virginitatem perdidisse, & tres filios ante Christum genuisse.*

5. *Laborandum esse die Dominico, die autem Sabbathi esse abstinendum.*

6. *Baptismum rejiciebat, vocans institutionem diabolicam.*

7. *A probris in Eucharistiam conjiciendis nunquam destitit, addens inter alia nefanda, Judæos Agnum Paschalem jam pridem devorâsse, & si quid reliquum fuerit, igne cremâsse.*

† † †

DE

DE BERNARDINO OKINO, POLYGAMISTARUM ANTESIGNANO.

Polygamistarum Antesignanus Bernardinus appellatur, non quòd ipse fuerit primus, qui polygamiam defenderit, sed quòd is specialem librum in lucem ediderit, & polygamiam, seu licitam uxorum multitudinem prædicaverit.

DE VALENTINISTIS, à JOANNE VALENTINO GENTILE PROGENITIS.

Joannes Valentinus Gentilis Neapolitanus fugâ Genevam petens, multiplicem ex Calvini scholâ impietatem hausit, quamvis Calvinus contra hunc suum discipulum satis acerbè scripserit.

1. *Censebat eos falli, qui tres Personas in Essentiâ Divinâ statuerent, quoniam (ajebat) Dei Essentia non est, nisi in Patre, adeò ut contenderet, non nisi Patrem esse verum Deum, Deiq; nomen non nisi precariò convenire Filio, utpote essentiato à Patre.*

2. *Sophisticum appellabat S. Athanasii Symbolum, qnoniam quartum Deum introducit, eâque de causâ S. Athanasium Præstigiatorem sacrilegum appellabat.*

3. *Substantiam Patris & substantiam Filii esse duas substantias.*

4. *Ad confirmandas suas blasphemias Mahometis Alcoranum cum veteri ac novo Testamento*

commiscebat. Unde & Paulus Alciatus unus ex præcipuis ejus commilitonibus ex Calviniſtâ Mahometanus factus eſt.

✲(1562.)✲ Seriò hoc anno reſumitur Concilium Tridentinum, quo tempore maximè turbatur Gallia ab Hugonottis hæreticis, qui multas urbes in Gallia vi occupant, & crudeliter in Catholicos ſæviunt. Tum quoque præter templa diruta, cadavera effoſſa etiam Regum defunctorum, Bibliotheca Cluniacenſis à Poſenaco Duce Hugonottorum inflammata magno rei litterariæ detrimento, cujus jacturam nulla vel ætas vel pecunia reſarciet. Demum graſſatores hæretici memorabili prælio ad urbem Druidum cum Catholicis conflixerunt, ex parte horum ſtante victoria, quâ inſolentia illorum domita, & ferocia cohibita eſt.

Maximilianus filius Ferdinandi coronatur Pragæ in Regem Bohemiæ, ac deinde in Regem Romanorum Francofurti.

Hoc anno Ordo militaris S. Stephani Papæ à Coſma Medicæo Florentiæ Duce inſtitutus, à Pio IV. Pontifice approbatur.

✲(1563.)✲ Franciſcus Guiſius Regii Galliarum exercitûs adverſus Hugonottas Ductor inſigni religione & militari peritia clariſſimus dum Aureliam ab hæreticis occupa-

cupatam obsidet, proditoriè à Joanne Poltrotto hæretico submisso parricida, tribus sclopeti glandibus ictus moritur: Parricida captus in tormentis Bezam inter suasores facinoris nominavit, ipseque à quatuor equis Lutetiæ discerptus periit. Post quæ dimissis è custodia hinc inde Condæo & Comestabili pax sectariis data est a Rege, licèt non satis decorè, tamen ut videbatur pro necessitate temporum utiliter.

Joannes Moschoviæ Dux ob receptos Livones Equites Polotiam urbem Lithuanis eripit.

Cùm Concilium Tridentinum vehementioribus Ferrerii Legati Franci orationibus turbaretur, suasione Lotharingi Cardinalis finis Concilio impositus est, quem omnes pariter optabant, & nemo magis quàm Pontifex. Breviato igitur deinceps sessionum tempore & capitibus de reformatione Principum (quæ plùs negotii facessebat) ad unum revocatis, quod nemo improbare possit, finis impositus est, pridie Idus Decemb: post ejus sessiones 25. huic subscripsêre Legati & duo alii Cardinales, 3 Patriarchæ, 25 Archi-Episcopi, 168 Episcopi, 7 Abbates, 39 Procuratores, absentium & septem Generales Ordinum.

In hoc Concilium maximè debacchantur hæretici, quia non præsentibus tantum sed etiam futuris hæresibus per illud provisum est.

✲(1564.)✲ Concilium Tridentinum obsistentibus licèt ministris curiæ Romanæ à Pontifice confirmatur & congregatio octo Cardinalium instituitur pro ejus executione. Mittitur etiam legatio ad Carolum II. Regem Galliæ pro acceptando Concilio, cujus confirmatio valde displicuit Gallis, & verendum erat, ne juvenis Rex ab Ecclesia fieret alienus, si illud obtruderetur, sed præter spem honorificè & benevolè valde Legatos excepit & verè Christianissimum atque ad servanda Ecclesiæ jura cæteris Principibus paratiorem se ostendit. Edidit nihilominùs consultationem Carolus Molinæus magni nominis Jurisconsultus, ideoque jussu Parisiensis Senatûs in carcerem datus est, unde tamen postea regis jussu emissus, qui sine dubio hæreticus fuit, ùt ejus Epistola ad Joannam Navarræam luculenter arguit: utrùm autem resipuerit incertum est.

Ferdinandus I. Imperator moritur, Princeps religiosissimus & Ecclesiæ amantissimus.

Scotia valde turbatur ab hæreticis, Regina

gina tamen Maria nubit Henrico Stuardo Duci Lenoxio Catholico, & ex sanguine Regio.

DE DEISTIS SIVE TRINITARIIS, QUI & NOVI ARIANI DICTI.

PEstis hæc ex Lutheranismo profecta Poloniam hoc anno vastare cœpit, & postea Lugdunum irrepsit anno 1566. cujus se caput esse profitebatur Gregorius Paulus Cracovienſis minister, præcipui ejus articuli sunt sequentes.

1. *Patrem Filium & Spiritum S. negat esse tres personas.*

2. *Unam esse naturam sive Deitatem omnibus tribus communem, non tamen esse unam Essentiam.*

3. *Unum esse Deum, sed solum Patrem esse verum illum Deum, filium autem & Spiritum S. non esse verum illum Deum.*

4. *Essentiam Divinam neque ab Angelis, neque ab hominibus videri aut videndam esse.*

5. *Malum Angelum à primo puncto suæ creationis malum fuisse, & nunquam bonum extitisse.*

6. *Diabolum non potuisse stare in gratia, neq; Adamum in statu innocentiæ.*

7 *Intellectum humanum esse æternum, quoniam ejus causa esset immutabilis, essetq; ipse expers ejus materiæ, quæ possit à potentia transire ad actum.*

8. Li-

8. *Liberum arbitrium esse potentiam passivam & non activam, moverique ad actum ab appetitu necessariò*

9. *Naturam illam, quæ est principium motûs, in corporibus cœlestibus esse ab Intelligentiâ movente.*

10. *Omnes qui peccant, conformare suam voluntatem ad voluntatem Divinam, adeò ut talis sit eorum voluntas, qualem Deus esse vult.*

11. *Hominem liberi arbitrii usu præditum, si tentatione victus cum alienâ uxore commisceatur, non esse adulterii reum. Et idem judicium est de reliquis tentationibus ac peccatis.*

12. *Deum esse causam modorum omnium, & circumstantiarum actionis, quod perinde est, ac facere Deum peccati auctorem.*

13. *Non esse credendum, nisi quod ex se cognitum est, vel declarari potest ex rebus, quæ ex se ipsis certæ sunt.*

14. *Corpus corruptum non idem ipsum resurgere.*

15. *Nullam esse suæ sepulturæ curam gerendam*

16. *Animam, quæ est hominis, ùt homo est, forma corrumpi unà cum corpore.*

17. *Animam separatam à corpore ignem corporeum non pati.*

18. *Deniq; Deum, cum sit spiritus, non esse verbis invocandum, sed tantùm corde.*

DE

DE ANTI-TRINITARIIS, SIVE ANTITHEANIS, AUT NOVIS SABELLIANIS.

HOc nomine appellati sunt quidam ministri Calvini, qui Trinitarios impugnare volentes, non potuerunt cum Arianismo bellum gerere, quin se in oppositum Sabelliani erroris extremum præcipitarent.

DE PURITANIS.

CAlvinistarum surculus hic est in Angliâ ortus, ita dictus, quòd cæteris purior æstimari velit, Cui ea de causâ non placet convenire, orare, vel baptizare in iis locis, quæ fuerunt aliàs Catholico ritu consecrata, adeò ut Sampson hujus sectæ Caput, cùm unius Puritanorum Ecclesiæ minister esset, mille annui reditûs nummos acceptare renuerit potiùs, quàm vel Sacerdotali habitu indui, vel etiam pileo quadrato uti.

Hi Puritani sunt, in quorum gratiam anno 1591. edicto Regio promulgatæ fuerunt quadraginta duæ leges crudelissimæ contra Catholicos.

DE LUDOVICO ALEMANNI.

FUlit natione Italus, professione Calvinista, cœpit Lugduni Calvini doctrinam apertè insectari, circa receptionem substantiæ JEsu Christi in cœnâ per fidem, voluitque purum Zwinglianismum inducere, videlicet substantiam nullo modo recipi, ne fide quidem; deniq; in cœ-

nâ

nâ non recipi nisi spiritualiter corpus & sanguinem JEsu Christi inde abesse causatus.

DE GOODMANNO.

CHristophorus Goodmannus Anglus Calvinista cum ex Angliâ Genevæ exularet, regnante Mariâ Reginâ Catholicâ edito libro divulgavit, non licere fœminis ullam rempublicam administrare, posteà verò Elisabethâ Mariæ defunctæ succedente, longè aliter locutus est.

DE NOVIS SAMOSATENIS.

HOrum error in eo versatur, quòd pernegent, in Evangelio S. Joannis per vocem illam Verbum secundam Personam designari.

DE ILLYRICANIS, SIVE FLACCIANIS, AUCTORE MATHIA FLACCO ILLYRICO.

SEcta hæc est Rigidorum Lutheranorum, Mollibus Lutheranis, sive Melanchtonicis inimica.

1. Bonorum operum necessitatem hæc secta longissimè relegat.

2. Arianismum instaurat.

3e Phreneticum Manichæorum de peccati causâ & essentiâ commentum renovat.

DE FUNCTIO.

INter alios errores hunc speciatim propugnavit, S. Petrum nunquam Romæ fuisse.

DE

DE DAVIDE CYTHRÆO.

Hujus insanus error præter alios fuit, Antichristum jam apparuisse in Gregorio M.

DE UNCTIS ANGLICANIS.

Hoc sibi nomen assumpsit secta quædam Calviniana, Duce quodam Writo, cujus symbolum ex tribus articulis conflatum erat.

1. *Ajebat, neminem peccare, nisi eos, qui suam doctrinam non reciperent, quam veritatem appellabat.*

2. *Novum Testamentum totum esse rerum novarum prædictionem, quare licèt JEsum Christum jam semel venisse concederet, eum nihilominùs ante diem judicii rediturum expectabat.*

3. *Eum, cui semel remissa sunt peccata, non amplius peccare.*

Fuit præterea unum ex præcipuis ejus axiomatis, fidem viris doctis nullo modo habendam esse.

✲(1565.)✲ Celebrantur multa Concilia Provincialia pro recipiendo Concilio Tridentino.

Pius IV. Papa moritur.

Turcæ à Melitâ Insulâ magnâ strage repelluntur à Parisoto fortissimo propugnatore, qui rebus desperatissimis animum tamen non despondit, & adjutus à Garsia auxiliaribus copiis, quamvis valde serò advenientibus, vel negligentiâ, vel invidiâ

diâ Garsiæ, vim Turcarum ita retudit, ut desideratis suorum quindecim armatorum millibus, & octo nautarum millibus, globorum è majoribus tormentis frustrà ejaculatis obsidionem solvere coacti fuerint; Garsias autem ob præposteram cunctationem exauctoratus est.

Hæretici in Galliâ occultè parant arma contra suum Regem Carolum IX. Similiter Belgæ Acatholici Francorum exemplo incitantur ad conjurandum contra Philippum II. Hispaniæ Regem & Belgarum Principem, & principio quidem egerunt libellis supplicibus, ut obtinerent libertatem suæ religionis, & hanc quidem extorquent à Rege Galliæ, at Philippus sapienter tergiversationibus illorum petitiones elusit, & Concilii Tridentini decreta accuratè servari jussit.

Dum Europæi deficiunt, plurimi in Indiis operâ Religiosorum Ordinum ad Ecclesiam reducuntur.

✲(1566.)✲ Eligitur in Pontificē Michaël Chisterius Cardinalis Alexandrinus, nihil tale cogitans, & nequidem aliis de illo simile quid cogitantibus, & consequenter divinitùs, dictusque est Pius V. Qui statim exemplo suo novam faciem urbi Romanæ induxit, & contra hæreticos & Turcas defensio-

fensionem Ecclesiæ susceptit : Contra illos quidem jubendo sedulò inquirere, an essent in fide suspecti ; contra Turcas verò omnes Principes Christianos in armorum societatem invitando.

In Comitiis Augustanis Maximiliano Imperatori auxilia copiosa decernuntur contra Turcas.

Solymannus per Bialim Bassam Insulam Chio occupat, ipse verò Hungariam ingreditur, sed in obsidione Zigethianâ extinguitur, Selymo filio eidem succedente.

In Belgio erumpit Geusiorum in Regem Philippum vesania ac rebellio. Fœdus hoc Geusii inîerunt ad S. Gertrudem non longè ab Antverpiâ. Præcipua capita fuerunt Henricus Bradenrodius, Guilhelmus Nassovius, Guilhelmi Arausicani Principis frater, aliique viri nobiles ad 400. Nonis Aprilis Bruxellis ex ædibus Comitis Culembergii prodeuntes quaterni aut quini magno silentio ; quasi mimos agerent, in vestibus cinericiis, cum ligneis scutellis ex zonâ pendentibus, ad Margaritham pervenerunt, libertatem petituri. Ex singulorum collo numisma pendebat, cujus pars antica repræsentabat Philippum, postica duas manus conjunctas & manticæ superpositas : Margaritham perterritam ut firma-

firmaret Carolus Comes Barlæmontius exclamavit Gallicè: *Que veulent ces Gueux!* hoc est, *Mendici.* Unde iis adnatum nomen, ut qui in Franciâ Hugonotti, in Belgio Geusii dicerentur. Primò placidè porrectis libellis petiêrunt libertatem religionis, cùm verò in Hispaniam remissi essent, & ibi arma pararentur, rebellare inceperunt, exclamantes palam: *Vivant Geusii!* Qui mox sacra & profana omnia commiscent, & infinita patrant sacrilegia.

Similiter in Scotiâ per hæresin omnia turbantur, & Reginæ insidiæ struuntur; interea tamen Regina filium parit, quem, ægrè licèt, ritu tamen Catholico baptizari curavit, Carolum Jacobum dictum, qui postea omisso primo nomine, dictus est tantùm Jacobus.

Romæ baptizatur Synagogæ præfectus cum plùs quàm 300. Judæis.

✲(1567.)✲ Henricus Scotiæ Rex à perduellibus cæditur, & Regina Maria per calumniam in custodiam traditur, & ad regni resignationem adigitur.

In Belgio Geusiorum ferociam Dux Albanus frangit, & per Belgium severas religionis & perduellionis quæstiones moveri curat, quarum metu malè sibi conscii triginta & amplius millia in Angliam, Francian & Germaniam profugiunt.

Hu-

Hugonottæ in Galliâ Regem & Reginam intercipere ſtatuunt, Duce Condæo & Colinio, & hac machinâ non ſuccedente eundem Pariſiis obſident, ac tandem etiam prælio cum eo confligere præſumunt, in quo ex parte Regis ſtetit victoria, ſed Cadmæa, plures ſiquidem ex Regiis, quàm ex parte rebellium ceciderunt.

✲(1568.)✲ Pax octennis componitur inter Maximilianum Romanorum & Selymum Turcarum Imperatores.

Carolus Princeps Hiſpaniæ à Philippo Patre in vincula conjectus moritur, ferunt eum de Patris nece cogitâſſe, & de regno occupando.

Maria Regina Scotiæ elapſa ex carceribus, in quibus detinebatur in arce Levini, fugit in Angliam ad Eliſabetham: ſed ubi fugæ præſidium quærebat, ibi in duriores incidit carceres, ab Eliſabetha detenta.

Dux Albanus in Belgio Comitem Ægmontium & Hornanum alioſque plures & præcipuos rebelles ſecuri percuti jubet, & Ludovicum Naſſovium, ac Guilhelmum Naſſovium majoribus cladibus vexatos, toto Belgio exturbat.

Ericus Sveciæ Rex uxori legitimæ concubinâ ſuperinductâ & coronata à Joanne & Carolo fratribus datur in cuſtodiam, & Joannes à Proceribus Rex declaratur.

Hugo-

Hugonotti iterum in Gallia contra Regem insurgunt, cujus copiis præfuit Henricus Dux Andegavensis tunc etiam Odetus Cardinalis Castellonæus supplicii metu cum sua pellice transivit in Angliam, ut suorum causam apud Elisabetham cui gratiosissimus erat, accuratiùs promoveret. Parum etiam fuit hæreticis Franciæ, ab Anglis & Germanis sectariis auxilia postulare, siquidem etiam ad Selymum Turcam confugerunt, à quo tamen rejecti sunt.

✲(1569.)✲ Dira fames vexat Italiam. Henricus frater Regis Galliarum & Ductor Catholicorum acie sectarios ad Jarnacum vincit & profligat. 94. vexilla in hoc prælio obtenta & a Rege transmissa ad Pium V. in Templo S. Petri suspensa sunt. Idem Pius V. auxiliares Catholicis mittit equites bis mille, pedites quatuor mille, qui juncti copiis Henrici fratris Regis, iterum Sectarios majori strage, quam priùs affecerunt, cæsis Hugonottorum duobus de viginti millibus.

In Anglia quoque res Catholicorum graviter perturbantur, dum pugnare potiùs quàm pati maluerunt Catholici.

Rebellant etiam Mauri in Hispaniâ, sed hæ turbæ Ducis Acocosi sapientiâ brevi compositæ sunt.

Cosmas

Coſmas Medicæus Florentiæ Dux ob præclara ſua merita de fide Catholicâ à Pio V. Magnus Hetruriæ Dux denominatur, & Coronâ Regali donatur.

✲(1570.)✲ Maximilianus Imperator duas filias nuptui tradit, Eliſabetham Carolo Galliarum, & Annam Philippo Hiſpaniarum Regi, contra hanc Catholicorum Principum conjunctionem frementibus hæreticis.

Jacobus Nothus Moraviæ in Scotiâ Comes ſceleratus tot in regno tumultuum excitator & promotor cæditur à Jacobo Hammiltonio, cujus familiam perſequebatur, & trajectus glande plumbeâ inter blaſphemas voces animam impiam efflavit. Fugit proinde Hammiltonius in Galliam, ubi Catholicus factus, egregiam Carolo Regi operam præſtitit.

In Gallia hæretici modò victi & modò victores pacem cum Rege ineunt.

Selymus Nicoſiam Cypri Metropolim expugnat, & Famã Auguſtam obſidet, dum interim Pius V. ſacrum fœdus cum Philippo Hiſpaniarum Rege & Venetis promovet.

Ignatius Acebedius cum aliis 38. de Societate JEſu in Braſiliæ converſionem pergentibus à piratis Calviniſtis odio fidei occiditur.

DECAS VIII.

(*Ab anno Christi 1570. ad 1580.*)

1571. FAma Augusta post obsidionem undecimestrem Turcis deditur certis conditionibus, quas tamen Turcæ irritati ob 80. millia suorum in illa obsidione amissa servare recusârunt, Christianis in suam potestatem redactis, aut trucidatis, vel ad triremes relegatis. M. Antonius Bragadinus frustrá tentatus ad ejurandam religionem vivus excoriatus est. Sævitum deinde in reliquos Duces ac milites atrociter.

Interea Pius V. Pontifex concluserat & promulgaverat fœdus Christianorum Principum contra Turcas, electusque est in Generalem classis Imperatorem Joannes Austriacus filius naturalis Caroli V. & frater Philippi Regis. Hic igitur ad Echinadas Insulas cum Turcicâ classe magno ardore congressus per quatuor horas prælium acerrimum committit, & tandem patrocinio Beatissimæ Virginis, quam Pius V. in Patronam hujus expeditionis elegerat, mutato derepentè vento & tormen-

torum

torum fumo in oculos Turcarum relato, memorabilem de iis victoriam reportat: In cujus perpetuam memoriam diem hunc annuâ solennitate Pontifex celebrare decrevit, sub nomine *S. Mariæ de Victoriâ*. Turcarum cæsi sunt 30 millia, capti tria millia & quingenti, & Duces ferè omnes periêrunt: captæ naves Turcicæ 17, triremes 15, biremes 13, quinquaginta tantùm evaserunt, cæteris aut ad scopulos allisis, aut inflammatis: Quindecim millia subducti sunt remo, & res Christiana erecta est; quâ victoriâ si usi fuissent Christiani, vires Turcarũ penitùs attrivissent: enim verò jam Turcæ de relinquendâ Constantinopoli cogitabant, tantum hæc Naupactina victoria metum incusserat.

Tyberis insanâ exundatione urbem deterret: jussit proinde Pius Pontifex per quendam Archi-Episcopum Agnum Dei cereum in flumen projici, quo facto flumen statim detumuit, & retrocessit.

In Scotia crudeliter sævitur in amicos Mariæ Reginæ, quos inter Joannes Hamiltonius Archi-Episcopus Sant-Andreanus è patibulo suspensus est, non aliâ de causâ, quàm quòd in Reginam & religionem bene affectus esset.

✠(1572.)✠ Pius V. piè, ut vixerat,

moritur, anno ætatis suæ 68. post gravissimos calculi dolores patienter toleratos: Cui sufficitur Hugo Boncampagnanus, Bononiensis, dictusque est Gregorius XIII. qui expeditionem Principum Christianorum contra Turcas magno quoque conatu prosecutus est, ejusque adhortatione ingens classis Christianorum parata est, sed hæc cunctatione fœderatorum optato effectu caruit.

Parisiis nuptiæ Henrici Regis Navarræ cum Margarithâ sorore Caroli IX. Regis Galliarum celebrantur, quarum occasione præcipui Calvinianæ sectæ fautores è medio sublati sunt jussu Regis, & ipse Rex Navarræ, & Princeps Condæus periculo erepti fidem Catholicam postea amplexi sunt. Occisi sunt illis diebus 3000 Hugonottorum intra Parisios, cœpit autem cædes die Dominico, festo S. Bartholomæi, ex condicto ad sonum Sancti Germani Antisiodorensis inchoata, unde dicta est cædes illa *Matutinæ Parisienses*, quia summo manè incepta est. Primus cæsus est Colinius Archithalassus, tractus à pueris per plateas, & in Sequanam fluvium projectus: eundem casum subiêrunt alii præcipui plures ex Calvinistis, multi tamen effugêre. Excusavit autem Carolus hoc factum

suo

ſuo edicto, negavitque, eos ùt hæreticos mulctatos eſſe, ſed ùt rebelles.

Rudolphus primogenitus Maximiliani Cæſaris eligitnr in Regem Hungariæ.

In Galliâ Hugonotti iterum arma capeſſunt, & Regem compellunt ad obſidendam Rupellam Montalbanum, & alias urbes hæreticorum, quæ Regis jugum inſolenter & ferociter excuſſerant, & auxilia ab externis Principibus & potiſſimùm ab Eliſabetha poſtulaverant. Præmiſit priùs Rex Rupellam Lanovium, ut eam ad obſequium revocaret, ſed hic cùm videret obſtinatam, ex ſequeſtro factus eſt propugnator, & eandem defendendam ſuſcepit contra Regem, prævaricatione apud perfidos hæreticos non adeò turpi.

Godefridus à Valle ex Calviniſta Atheus Pariſiis exuritur, qui in libro *De Arte nihil credendi* dixerat, oportere eum priùs Calviniſtam fieri, qui Atheus eſſe velit.

In Belgio occaſione indictæ ab Albano Duce in belli ſumptus partim decimæ omnium rerum mobilium, & vigeſimæ iñobilium, multæ urbes ab Imperio regio deficiunt, præcipuè Duce Guilhelmo Aurantio, atq; imprimis Holandia & Zelandia alienatæ munitiſſimæ duæ Provinciæ, confluentibus in auxilium rebelliũ ex Angliâ, Ger-

maniâ, & Galliâ sectariis; sed Albanus copias pariter ex Germaniâ evocans, urbes aliquot recepit, & clades multiplices rebellibus intulit.

✲(1573.)✲ Henricus Caroli Regis Galliarum frater Rupellas, nidum hæreticorum oppugnat, sed nuncio accepto de sui electione in Regem Poloniæ, solvit obsidionem, & è Galliâ facto itinere per Germaniam in Poloniam venit, & Cracoviæ in Regem coronatur. Pax interim data hæreticis in Galliâ, exceptâ Sancerrâ, quæ tamen ipsa post diriſſimam toleratam famem Regi tandem se se submisit.

Joannes Austriacus regnum Tunetanum in Africâ aliàs à Carolo V. occupatum, & posteà deperditum iterùm occupat.

✲(1574.)✲ Cùm Dux Albanus etiam malè audiret in Hispaniâ, & ejus jussu in Belgio carnifices jam decem millia hominum cecîdissent, revocatus est in Hispaniam, eique substitutus in gubernio Ludovicus Zuringa Requesenius, Dux Cesanus, qui egregiam in bellis Granatensi & Tunetano operam navârat, & nuper in Africa Joannis Austrii Legatus fuerat, qui sectarios iterùm tumultuantes fortiter quidem profligavit, Lugdunum autem Batavorum frustrà oppugnavit.

Sinan

Sinan Bassa cum classe Turcicâ Tunetum appellit, & expugnato propugnaculo Tunetano, cæsoque Hispanico præsidio regnum illud recipit.

Joannes Moldaviæ Waiwoda perfidè à Turcis cæditur. Selymus autem, cùm ulteriores progressus in Europam animo volvit, apoplexiâ tactus occumbit, cui filius ejus natu maximus successit, Amurathes III. dictus, annorum 27. Qui à nece quinque juniorum fratrum Imperium auspicatus est.

Carolus IX. Galliarum Rex moritur, quo audito frater ejus Henricus Rex Poloniæ clam noctu cum paucis Gallis Cracoviâ evasit, & citatis equis per Moraviam, Austriam, Venetias in Galliam venit.

✲(1575.)✲ Jubilæum celeberrimum Romæ magnâ pietate, prudentiâ & charitate Gregorii XIII. Pontificis celebratur, tanto accursu, ut à Natalitiis Christi ad Pentecosten in Xenodochio SS. Trinitatis excepti, & aliqnot diebus honestè refecti peregrini 96348. Et cùm in Italia atque Siciliâ pestis grassaretur, nullus est in urbe repertus, qui eâ afflaretur.

Henricus III. Rhemis in Regem Galliarum inauguratur, Polonis in locum Henrici eligentibus aliis Maximilianum Imperatorem

ratorem, aliis Stephanum Bathorium, Transylvaniæ Principem; dum Maximilianus in conditione præstandi juramenti cunctatur, Stephanus celeriter potitur regno, ductâ in uxorem Annâ Sigismundi Augusti sorore.

Rudolphus filius Maximiliani coronatur Pragæ in Regem Bohemiæ & deinde in Regem Romanorum Ratisbonæ.

Congregatio Oratorii Ordinis à S. Philippo Nerio instituitur Romæ.

Maximilianus Princeps in Belgio frustrà tentat pacem cum Geusiis, tam absurda illis petentibus, ut quævis potiùs bella & damna subeunda viderentur.

Turcæ Russiam, Tartari Podoliam, Cosacci Tartariam Procopensem vastant.

Hæretici Belgæ confœderati auxilium Elisabethæ Reginæ Angliæ implorant & impetrant.

✲(1576.)✲ Pestis atrociſſima per Italiam grassatur, quo tempore singularis S. Caroli Borromæi pietas eluxit, qui suis Mediolanensibus & in peste servivit, & pauperiores bonis adjuvit, & precibus à multis pestem avertit.

Dux Alenzonius ex Germaniâ in Galliam exercitum ducit, cum quo Henricus Rex mediante matre Catharinâ turpem

pacem

pacem init, per eam enim hæretici obtinuerunt, quæ hactenùs in Gallia extorquere non poterant. Unde hæc pax vehementer displicuit Catholicis, qui proinde inter se fœdus ineunt pro tuendâ Orthodoxâ religione, cujus fœderis ipse Rex posteà se caput professus est.

In Belgio sub Requensenio, mitioris ingenii viro res magis turbantur, quàm turbatæ fuerunt sub Duce Albano; unde Philippus Rex didicit, adversùs hæreticos mollibus & inermibus conciliis nihil esse deteriùs. Intereà mortuo ex peste Requensenio venit in Belgium Joannes Austriacus ad illarum Provinciarum gubernationem, sed hic quoque spretus est: eo enim invito fœderati Gandavum convenerunt, & Hispanos hostes Belgii declarârunt, Ordinibus administrationem commiserunt, Arausicano Zelandiæ & Holandiæ Præfecturam, sub nomine tamen Philippi, & religione Catholicâ ubique stabilitâ sublatis tantùm pœnis ab Albano in heterodoxos statutis; His conditionibus delusi Belgæ nullo negotio sese fœderatis adjunxerunt, etiam Ecclesiasticis huic fœderi initio turpiter subscribentibus.

Maximilianus Imperator ferò nimis Poloniam sibi vendicare cupiens, ex dolore

calculi & palpitatione cordis obiit Ratisbonæ, cui filius ejus Rubolphus II. succeſſit, annos natus 25, & jam Imperii Candidatus.

✲(1577.)✲ Joannes Auſtriacus in Belgio ſummâ uſus comitate arces aliquot præſidiis evacuat, & Hiſpanos amandat in Italiam, pacemque edicit, ſed fruſtrà: quamvis enim his Belgæ contenti eſſe viderentur, milites tamen iterum conſcribunt, & Mathiam Archi-Ducem Auſtriæ, Rudolphi Imperatoris fratrem ad ſuſcipiendum regimen evocant, eique Antwerpiam venienti juramentum præſtant, ſed creato Legato Principe Aurantio, ut nudo Principatûs nomine Mathiæ relicto, Aurantius ad libitum omnia diſponeret: quin & Joannem Auſtrium comprehendere conſtituerant ſectarii, unde fugâ Namurcum ſe recepit, & inde evocatis ex Italiâ copiis ad bellum ſe paravit.

In Gallia quoque hæretici ſtare recuſantes ſtatutis Comitiorum Bleſenſium, res novas contra Regem moliuntur, & ad arma convolant, evocato Caſimiro, & externis auxiliis imploratis; brevi autem Rex immiſſis ſuis Ducibus in rebelles, ad pacem eos coëgit, quam pacem ſuam eſſe, Henric⁹ dicere ſolebat, quia Catholicis magis profucua fuit, quàm hæreticis. Ste-

Stephano Rege Poloniæ Dantiscum obsidente (urbs enim illa propter nova portorii onera imposita rebellabat) Moschus Livoniam vastat.

✲(1578.)✲ In Belgio Joannes Austriacus corroboratus jam auxiliaribus copiis Duce Octavio Parmensi insignem de Geusiis victoriam reportat, cæsis illorum propè decem millibus, captis plurimis urbibus, etiam quibusdam in Brabantiâ deditionem facientibus. Verùm vires resumentes Geusii Ambsdelodamum intercipiunt, ibique in res sacras ac sacerdotes crudeliter sæviunt, omnibus Catholicæ religionis insignibus dirutis & exterminatis. Geusiorum deinde rem pleniùs restituit Alenzonius Dux, qui Belgio inhians, iisdem mille equites, & octo millia pedítum obtulit: sed & Joannes Casimirus excitatus Elisabethæ Reginæ Angliæ pecuniis plurimùm Hispanis nocuit: Sic Arausicani & Genfiorum crevit potentia, qui exinde templa Catholicorum ubique destruunt, & carceres Catholicis implent. Tunc autem injecta est aliqua mentio pacis, ad quam tractandam Cæsar Rudolphus, Henricus III. Galliæ Rex, & Elisabetha Angliæ Regina suos Legatos misêre. Cum verò Joannes Austriacus nollet aliam reli-

gionem in Belgii Provinciis admittere, re infectâ discessum est. Nec multò pòst Joannes Austriacus in castris propè Namurcum intempestivâ morte extinguitur, eique in officio succedit Alexander Farnesius Dux Parmensis, inter Belli-Duces sui sæculi facilè Princeps.

Sebastianus Rex Lusitaniæ, dum zelo Christiani nominis promovendi regna Fessæ & Marocii Mahometi, quem Abdelmuchus expulerat, restituere instituit, & in Africam trajicit, exponensque militem suum in campis Tunetensibus cum hoste congreditur, hostium Maurorum numero obrutus ac cæsus cum flore nobilitatis Lusitanicæ perit.

Hoc eodem anno in Japoniâ à Patribus Societatis JEsu baptizatus est Rex Bungi, voluitque ex devotione erga S. Franciscum Xaverium dici Franciscus.

✲(1579.✲ Gregorius XIII. Romæ ac Rhemis Anglorum collegia fundat.

Henricus III. Galliæ Rex in memoriam, quòd in festo Pentecostes duo regna adiisset, Polonorum & Francorum, instituit Ordinem S. Spiritûs.

Viget bellum inter Stephanum Bartorium Regem Poloniæ, & Joannem Magnum Ducem Moschoviæ,

Alexan-

Alexander Farneſius ſectariorum equitatum proſternit, & magnâ clade expugnat Trajectum, multis poſt hoc aliis urbibus deditionem facientibus.

Eliſabetha Regina Angliæ crudeliſſima in Catholicos & Sacerdotes præcipuè edicta divulgat.

Perſæ Amurathis & Tartarorum auxiliantium exercitum delent.

In Sicilia mons Æthna per quinque apertos crateres, poſt graves terræ concuſſiones ac fremitus quinque, igneos rivos eructavit, jactis lapidibus ignitis prægrandibus, qui ultra viſum ferebantur in ſublime, & magno impetu decidebant.

Poſt mortem Sebaſtiani Luſitaniæ Regis Henricus Cardinalis Presbyter, frater Joannis III. filius Emmanuelis, annos natus 66 ſucceſſit; ſed cum infirma valetudo huic paucos annos ſponderet, de hoc regno varii agere cœperunt, & lis inter competitores regni Luſitanici adhibitis præſtantiſſimis quibuſque Legulejis agitata, Philippus autem Hiſpaniæ Rex jus ſuum in armis quærere & tueri inſtituebat, validis copiis conſcriptis, quæ omnibus Juriſtarum diſputationibus fortiores & efficaciores eſſent.

✲(1580.)✲ Henricus Cardinalis Rex

Lusitaniæ moritur, igitur nunc vehementissimè de regno litigatur. Antonius Emmanuelis nepos & Ludovici fratris Henrici filius Nothus Crati Prior favore plebis regia sumit insignia, sed Philippus Rex Hispaniæ duplici misso in Lusitaniam exercitu Antonium gemino prælio vincit & fugat, regnoque Lusitaniæ potitur. Cum Antonio stetêre multi monachi manus ei & arma conferentes, sanctiùs in suis templis & cellis oraturi. Victus porrò à Duce Albano Antonius quocunque diffugeret nuspiam tutus fuit, cum in caput ejus octuaginta millia aureorum pronunciata essent, tot ergo militibus ad eum quærendum intentis nunquam tamen inventus est, apud monachos & nobiles subinde mutatis vicibus absconditus.

In Belgio Guilhelmus Princeps Aurantius à Rege Philippo proscribitur, in caput ejus 25. millibus aureorum constitutis. Igitur sectarii Belgæ rebus suis consulturi Alenzonium fratrem Regis Henrici & Regem ipsum contra Hispanum sollicitant, quæ cùm videret Mathias Austriæ Archi-Dux de Belgio deserendo cogitavit, repetitis tamen sumptibus, quos impenderat, qui etiam eidem, quamvis malignè, suffecti sunt, assignatis pensionibus in bona

Eccle-

Ecclesiasticorum, ut disceret hæreticis & rebellibus famulari, quorum præmia essent sacrilegia. Interim Farnesius complures urbes Sectariis eripit, hostibus variis victoriis cæsis.

Hispani cum Italis in favorem Catholicorum Hiberniam occupant sed ab exercitu Anglicano profligantur & toto regno expelluntur.

Hoc anno missus est Lovanium Franciscus Tolettus è Societ. JEsu postea Cardinalis, vir magni ingenii & prudentiæ, ut ageret cum Michaële Bajo Academiæ Lovaniensis Decano, qui multa fidei non satis consona asseruerat, & à Pio V. & à Gregorio jam damnata, hunc hominem doctissimum licèt ita Franciscus convicit, ut daret manus, adeo ut Bajus potiùs errâsse, quam hæreticus fuisse dicendus sit, cujus primi magistri sui (fuit enim Bajus Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi Præceptor) si exemplum secuti essent Janseniani non tantas in Ecclesia Dei tempestates & toties excitâssent.

Stephanus Bathorius Poloniæ Rex feliciter contra Moschum pugnat & multas arces Livoniæ occupat.

Rediit hoc anno in Angliam Franciscus Dracus qui anno 1577. Plimutho cum 5. navi-

navibus ſolvens Braſiliam, & inde tranſito Magellanico freto Peruviæ & Mexici littora ut pirata vexârat. Adeo dives erat, ut navim ſuam unicam ex reliquis ſuperſtitem argento ſaburrârit. Creatus eſt Eques a Regina, & navis ejus ad memoriam juxta Depfordiam ad Tameſin fluvium ſervata eſt, nimirum orbis circumnavigati illuſtre monumentum.

DE JOANNE STURMIO.

ANno 1578. Argentinæ conatus eſt novam Sectam inducere, quam vocabat viam mediam eamque novam ſine Catholicorum & Proteſtantium offenſione, *& ea de cauſa petiit ex ſingulis decem Imperii Provinciis ſeptenos convocari ex eorum numero qui ſine partium offenſione ſcripſerunt, ut à ſeptuaginta convocatis ſtatueretur concordia admittendo ex Concilio Tridentino quod illi probarent, & hominibus gratum futurum eſſe judicarent, cætera autem rejiciendo.*

RAMI DIVERSI EX LUTHERI SECTA PULLULANTIUM SECTARIORUM.

JENENSES. *Eſt Secta Lutheranorum quæ Ducum Wimarienſium Confeſſionem amplectitur.*

JUSTIFICATORII. *Lutherani ſunt qui juſtificationem noſtram conſtituunt tantùm in remiſſio-*

missione peccatorum & reconciliatione cum Deo, sunt autem circa hoc caput de justificatione teste Osiandro supra viginti opiniones Lutheranorum, ita ut fere omnes dici possent Justificatorij.

PASTILLARII. *Sic vocati sunt quatuordecim ministri Sveviæ qui in commune adversus Oecolampadium scripserunt: sic dicti quia docebant Christum in Eucharistiæ præsentem esse eo ferè modo quo farina est in Pastillo, aut pilulæ in ovo reconditæ.*

INTERIMISTÆ. *Ii sunt qui Augustanum* Interim *cum Lutheranismo copulârunt.*

ADIAPHORISTÆ. *Qui cum Lutheranismo conjunxerunt* Interim *Lipsiense, & docuerunt rem esse indifferentem Ecclesiæ Ceremonias & Constitutiones Conciliorum observare.*

ANTIAPHORISTÆ. *Neque Pontifici ullam jurisdictionem neque Conciliis tribuebant & Ceremonias prorsus aversabantur.*

ANTI-LUTHERANI. *Omnes illi dicuntur, qui Lutheri doctrinâ seducti illum tamen deseruerunt, & opiniones contrarias docuerunt, ut sunt omnes Sacramentarii in varias quoque sectas divisi.*

SEMI-LUTHERANI, LUTHERO-PAPISTÆ, LUTHERO-ZWINGLIANI, LUTHERO-CALVINIANI & LUTHERO-OSIANDRIANI. *Hæc nomina illis communia sunt, qui cum Lutheri dogmate alia dog-*

mata

mata falsa consuerunt, & eorum quidem quorum nomina exprimuntur in harum sectarum nomenclatura.

BELLIANI. *Hos Bellius Montfortius progenuit, qui præter alios tum Calvini tum Lutheri errores scripsit, hæreticos contra Calvini doctrinam non esse occidendos.*

HESHUSIANI sive HESHUSII. *Sic dicti à Tilmanno Heshusio, qui partim Calvinismum, partim Arianismum sectabatur.*

BOCQUINII sive BOCQUINIANI. *Horum parens Bocquinus fuit, qui docuit* JEsum Christum *non esse pro omnibus hominibus crucifixum, sed tantùm pro fidelibus & probis & hos solos ipsius corpus manducare.*

RICHERIANI. *Horum Dux Petrus Richerius ex Carmelita factus minister Calvinianus, cum à Calvino missus esset in Floridam prædicavit, & propugnavit* JEsum Christum in carne sua humana non esse adorandum, ne terrenum elementum adoretur, licere illum adorare ut Deum non autem ut hominem. *Itaque nec Christum orandum esse, sed solum Patrem divinum orari debere.*

CAMPANISTÆ. *Ita dicti auctore Joanne Campano, qui Personam Filii & Spiritûs S. non distinxit à Persona Patris & circa cœnam Dominicam non solùm à Luthero, sed etiam à cæteris Sacramentariis diversum errorem docebat.*

HAM-

HAMSTEDII. *Sic dicti ab Adriano Hamstedio ex Zelandia in Angliam profugo, putabat hic cuique liberum esse infantes per aliquot annos absque baptismo servare, & non esse fundamentum religionis Christianæ sed tantum fundamenti circumstantiam credere* JEsum *Christum ex semine fœminæ natum, ac nostræ carnis ac humanitatis factum esse participem.*

SCHWENCKFELDIANI. *Sic dicti auctore Caspare Schwenckfeldio, cujus præcipua hæc fuerunt somnia, primò verba illa Sacramentalia per mirabilem transpositionē carnificabat, ut sensus esset* Hoc est Corpus meum, meum Corpus est hoc, vel hic panis. *Secundò fidem ajebat non scripturæ sed scripturam fidei accommodandam esse. Tertiò* JEsum *Christum suum corpus attulisse de cœlo. Quartò humanam Christi naturam non esse creaturam Dei, sed genituram Spiritûs Sancti, ita ut inter Creatorem & creaturam fuerit medium quid, post ascensionem autem Christi eadem natura effecta fuerit Deus. Quintò dicebat homines formaliter virtutibus præditos aut virtuosos esse eisdem essentialibus virtutibus quibus Deus virtuosus est, adeoque esse Deos & divinam habere naturam. Sextò energiam quæ in verbo Dei prædicato inest, esse ipsum Filium Dei & Verbum.*

ANTI-SCHWENCKFELDIANI. *Hæc Secta in omnibus contraria Schwenckfeldianis, uni-*

universum fidei Christiani negotium constituebat in ministerio verbali suorum ministrorum.

NUDIPEDES QUI ET SPIRITUALES AC SEPARATI. *Sic appellati ob suum vivendi modum, cum enim in Moravia haberi vellent vitæ Apostolicæ sectatores omnia reliquerunt & omnibus communia faciebant, relictisque domibus, liberis & negotiis suis per agros vagabantur, à calceis abhorrebant, & populi æstimationem cum cibis & armis detestabantur.*

MENNONITÆ QUI ET TIBBÆ AC MALIAPI DICTI. *Nomen habent à Menno-ne Simonis Frisio, qui præter errores circa baptismum docebat JEsum Christum non sumpsisse carnem ex virgine, sed corpus suum de cœlo, hoc est de Substantia Patris æterni attulisse.*

LIBERI. *Anti-Lætherani sunt & Anabaptistæ, dicunt se emancipatos esse ex Principum potestate decimis & censibus, & matrimonia inter fratres dicunt esse spiritualia, adeo ut uxores haberent communes, neque permitterent conjugale debitum maritis reddere, si non eidem sectæ nomen darent, dicunt post baptismum neminem peccare posse, sed solam carnem esse, quæ peccet, tantæ sunt superbiæ ut non solum similes se Deo, sed etiam Deificatos nuncupent.*

HUTITÆ SATORE JOANNE HUTO. *Dicebant se corporaliter etiam esse populum Israëliticum, & Chananæorum exterminatores*

tores, somniabant prope esse diem judicii & ideo omnia in epulas expenderunt, ad incitas & stipem redacti, frustra venturum Judicem præstituto die expectantes.

AMBROSIANI sive PNEVMATICI. Dicti ab aliquo Ambrosio qui sui spiritus suggestiones super utrumque testamentum jactabat.

AUGUSTINIANI. Sic dicti à quodam Sacramentario Augustino Qui inter alia mendacia effutiebat, cœlum nondum esse apertum illud hominibus usque ad ultimum judicii diem clausum manere.

MELCHIORITÆ. Horum parens est Melchior Hofmannus, tam projectæ audaciæ ut blasphemaret JEsum Christum ex Virgine carnem non sumpsisse, sed traxisse ex seipso & unam tantum esse in Christo naturam. 2. eum qui acceptâ gratiâ voluntariè peccat, nunquam recipi in gratiam. 3. Salutem in nostris viribus sitam esse. 4. Corporeum JEsu Christi Regnum fuisse.

MONASTERIENSES. Ii sunt qui Joannem Bockeldi Leidensem ex sartore ac sordido institore creatum Regem Monasterii in rebellione secuti sunt, quam urbem novam Sion aut Jerusalem novam nuncupârunt, seque cœlestis Hierosolymæ cives jactârunt. Verba Christi Domini **Hoc est Corpus meum** in sua cœna

in

in hæc verba commutârunt. Accipe frater, Ede, memento Domini.

CLANCULARII SIVE FRATRES HORTENSES. *Sunt Anabaptistæ qui licere sibi putant, si interrogentur de sua fide, eam negare, & satis esse quod ipsi privatim & Clanculum sciant, quid ipsi credant: in Ecclesias non conveniunt, plerumque in hortis unde fratres Hortenses dicti, & sunt ex illis aliqui ita secreti,* ut occulti occultorum nominentur.

MANIFESTARII. *Sunt oppositi Clanculariis & omnibus modis quærunt se manifestare quòd sint Anabaptistæ.*

BACULARII SEU STEBLERI. *Nefas existimant accusare quenquam in judicio, & præter baculum arma alia ferre, cum scriptura prohibeat ne gladium aut peram portemus.*

SCRIPTURARII. *Solam scripturam profitentur & clamant omnia alia scripta rejicientes, aliqui se* Paulinos *vocant, qui Epistolis S. Pauli tenacius adhærent, & studium suum in illis collocant.*

OLLARII. *Illi Anabaptistæ sunt, qui non conveniunt inter se nisi ad mensas epulis instructas, quâ consuetudine citò consumuntur & dissipantur.*

BATEMBURGICI. *Dicti à quodam milite vago Batemburges cognominato, à quo edocti sunt plus omnibus aliis in res sacras sævire & Sacrilegiis omnia replere.*

PA-

PACIFICI VEL PACIFICATORES. *Sunt qui se pacis amatores jactant, & tam diu eam servant, donec potestatem in aliorum bona aut corpora acquisiverint, & suam Cabalam vocant* Dominum pacis.

PASTORICIDÆ. *Quæ aliis Anabaptistis crudeliores in presbyterorum & pastorum Ecclesiæ vitam conspirant & in neces trahunt.*

SANGUINARII. *Bibunt humanum sanguinem ut se obstringant ad sua sacrilegia exequenda.*

ÆGIDIANI. *Dicti à quodam Ægidio Aquensi qui ex rebaptizatione questum faciebat, ideoque ab aliis Anabaptistis excommunicatus & supplicio affectus est.*

ANTI-CHRISTIANI. *Illi Anabaptistæ sunt qui audacius blasphemant in Christum, quorum Dux Præmonstratensis quidam apostata, qui ajebat JEsum Christum damnatum esse, eo quod in cruce desperaverit, insaniebat etiam alium Messiam cum Judæis expectandum esse, cum ille Messias qui Christus erat, damnatus sit, & quidem illi qui huic nebuloni adhærebant, expectantes alium Messiam, meretricem Lovaniensem nudam adorabant, Anti-Christum ex ea nasciturum buccinantes.*

DÆMONIACI. *Fingunt Dæmones in fine mundi esse salvandos, ideo Satanam adorant, & decies in die invocant.*

ANTI-

ANTI-DÆMONIACI. *Hi negant ullum esse dæmonem aut malignum spiritum, aut præstigias vel maleficia ulla, quod sensisse scribitur Georgius David & Andreas Osiander.*

SABBATHARII. *Hi neglecto die Dominico more Judaico diem Sabbathi colunt, & solum Deum Patrem invocant, neque filium neque Spiritum Sanctum adorantes.*

COMMUNIA HABENTES. *Anabaptistæ sunt quibus uxores & liberi & omnia inter se communia sunt. Platonis aut Nicolaitarum rempublicam instaurantes.*

CONDORMIENTES. *Anabaptistæ sunt qui suæ turpitudini Charitatem Evangelicam prætexentes, pueros & Puellas & fœminas & viros indiscriminatim in eodem cubili condormire jubebant seque mutua hac Charitate fovere.*

EJULANTES. *Anabaptistæ sunt, qui hanc Deo gratissimam dicunt adorationem esse & devotionem semper lacrymari & ejulare.*

SIGNIFICATIVI. *Sunt ii Sacramentarii qui in Eucharistia dicunt nihil esse corporis & sanguinis Christi nisi per signum.*

TROPISTÆ. *Sacramentarii sunt qui dicunt Christi corpus & sanguinem non esse in Eucharistia nisi figuratè, & docent Verbum divinum esse in carnem conversum.*

ENER-

ENERGICI. *Inter Sacramentarios illi sunt qui docent in Eucharistia non esse Corpus Christi Domini nisi per Energiam sive virtutem.*

ARRHABONARII. *Hi credunt Eucharistiam sibi dari tantum ut Arrhabonem seu pignus corporis & sanguinis Christi, & quasi investituram donati prædii alicujus aut domûs.*

ADESSENARII. *Dicunt Corpus Christi esse in pane, alii dicunt circa panem, & deniq; esse cum pane.*

METAMORPHISTÆ SEU TRANSFORMATORES. *Dicunt Corpus Christi post ascensionem ejus in cœlum Deum esse factum. Unde communis illis hæc propositio.* Corpus Christi est Deus.

ISCARIOTITÆ. *Negant Judam in ultima cœna sumpsisse corpus Christi.*

LAICOCEPHALI. *Horum denominatio orta est à Schismate Anglicano, in Anglia enim carceris primùm pœnæ, deinde bonorum omnium publicationi, ac demum morti adjudicatus est, qui confiteri noluisset Regem aut Reginam regnum administrantem esse caput Ecclesiæ immediatè post JEsum Christum, tam in causis spiritualibus quàm in temporalibus; præcipui hujus hæresis defensores fuerunt Samson & Morisonus.*

NEUTRALISTÆ. *Sacramentariorum classis est, quæ sibi persuadet, non esse necesse*

communicare sub una vel sub utraque specie, sed satis esse fidem habere, quin imo si decerneret Concilium sub utraq; specie communicandum esse, tunc debere Laicos sub altera tantùm communicare. Unde factum est ut eorum multi per decennium imo etiam per totam vitam à communione abstinuerint.

MANUSIMPOSITORII. Sic dicti sunt Rigidi Confessionistæ ex eo quòd putant impositionem manuum à Laicis factam esse Sacramentum.

BISSACRAMENTALES, TRISSACRAMENTALES, QUADRISACRAMENTALES. Prima sic nominatorum secta docet esse tantùm duo Sacramenta, Baptismum & Eucharistiam, sic multi Calvinistæ & Rigidi Confessionistæ. Secunda admittit præter baptismum & Eucharistiam Sacramentum absolutionis. Sic multi molles Confessionistæ ac præcipuè Lipsienses. Tertia secta his tribus Sacramentis quartum adjungit nempe Presbyteratum, sic molles Confessionistæ, Wittenbergenses præsertim.

SEPULCHRALES. Hi negant descensum Christi ad inferos secundùm animam, & dicunt tantùm descendisse secundùm corpus, quiescendo in sepulchro, inferni nomine sepulchrum interpretantes. Sic interpretatus est Beza.

INFERNALES. Hoc nomen impositum est

iis,

iis, qui tuentur JEsum Christum descendisse, usque ad locum damnatorum & ibi pœnas inferni tolerâsse, sic Smidelini & multi Calvinistæ.

INVISIBILES. *Crediderunt nullam esse Ecclesiam Visibilem, sic Illyricani, Osiandriani, Schwenckfeldiani.*

BIBLISTÆ. *Hi in Scholis, templis, domi nihil prælegendũ & discendum esse dicunt præter nudum textum scripturæ, nec opus esse ullâ alterius cujusvis doctoris explicatione, cum omnes simus à Deo edocti.*

POENITENTIARII. *Sunt molles Confessionistæ qui circa pœnitentiæ Sacramentum varios errores sectantur.*

ATHEI & EPICUREI. *Hic scopus est ultimus quem Satan spectat dum hæreses disseminat, ut tandem vel in Epicureorum vel in Atheorum abyssum dejiciat animas cæcæ distractionis ac luxûs pondere gravatas, sic Hedion de suis prætentis Evangelicis queritur, & scribit.* Satanam Callidum huc multos agitare, ut dum summâ inconstantiâ jam hoc jam illud credunt cæcâ quadam distractione posthæc nihil prorsus credant, & in populum Asotiorum evadant. *Asotii autem sunt apud Græcos iidem qui apud Latinos decoctores, & homines nihili ac nullius frugis qui luxu ganeâq; studio perditi omnia sua abligurierunt.*

DECAS IX.

(Ab anno Christi 1580. ad 1590.)

1581. ALenzonius ab Ordinibus confœderatis vocatus, Cameracum venit, & præsidio firmat: quod ab Alenzonio Henricus Rex Galliæ se invito factum esse Pontifici & Regi Philippo scripsit. Petiit deinde Alenzonius Angliam spe conjugii cum Elisabetha ineundi. Verùm illa sicut Alenzonium sic & alios multos Principes hac spe illusit, non ferens supra se virum dominari tanquam caput mulieris, quæ per extremam arrogantiam Caput Ecclesiæ se jactitabat, & supra omnem potestatem extollebat.

Joannes Basilius Magnus Dux Moschoviæ Stephano Barthorio Regi Poloniæ non valens resistere Pontificem Romanum implorat, ut arbitrum pacis se interponat. Mittit proinde Pontifex ad eum Antonium Possevinum è Societate JEsu virum eruditum, & rei gerendæ gnarum, cujus operâ inter Polonum & Moschum pax concluſa est iis conditionibus, quæ à prudentibus laudem, & à Pontifice confirmationem

tionem merebantur. Verùm Moschus admonitus ut juxta promissa fidem Romanam ex Synodo Tridentina profiteretur, jam extra periculum constitutus dissimulavit,& Græcâ fide usus Græcum Schisma confirmavit. Idem Joannes Basilius Joannem filium suum ex iracundia baculo ferrato interemit.

In Belgio alternant victoriæ inter Regios & confœderatos Geusios, nunc his nunc illis vincentibus & victis. Demum Belgæ confœderati in Comitiis Hagæ Comitis Philippo suo legitimo Principi omnem fidem ejurant, & Franciscum Andegavensem Ducem,sibi Principem constituunt.

✲(1582.)✲ Franciscus Alenzonius ex Anglia rediens magno, applausu Antverpiæ excipitur, & Dux Brabantiæ ac Marchio Romani Imperii renunciatur, sed verè inani nominis umbrâ, quia reipsâ Aurantius omnia obtinebat. Contigit tunc eidem Aurantio, ut remotis à prandio mensis, à juvene Cantabro, qui eum occidere intendebat, aberrante sclopi ictu utramque maxillam trajiceretur, quod totum Alenzonio imputatum est, donec conscii facinoris rem astu cujusdam mercatoris peractam esse demonstrâssent.

Juvenis autem è vestigio discerptus fuit, & consciis supplicia irrogata. Interea non destitit Parmensis ut aliquot levibus præliis urbes nonnullas recuperaret.

Antonius Nothus Emmanuelis Regis Lusitaniæ nepos Gallicis auxiliis conatur juris sui facere Lusitaniam, & quidem primo impetu occupavit insulam S. Michaëlis, ibique Rex acclamatus est, sed supervenit Marchio Sanctæ Crucis, & eundem navali prælio victum fugere ac in Galliam repetere compulit.

Scoti conspirant in Regem suum Jacobum eundemque in castro Rutheno detinent.

S. Theresia Virgo Ordinis Carmelitarum tam virorum, quàm fæminarum reformatrix ex hac vita ad cœlestem migrat.

Gregorius XIII. Pontifex adhibitis mathematicorum consiliis & demonstrationibus ex Octobri mense dies 10. à quarto usque ad 14. detrahit, & æquinoctium vernum ab undecimo Martii transfert ad vigesimum primum ut solstitia & æquinoctia ad veteres rationes, sedesque redirent, ac præterea in locum aurei numeri majorem numerum substituit, quem *Epactas* appellant, quo & Bissextis certis annis omissis lunæ ortus absque ullo erro-

re

re perpetuò indicetur, sic emendatum cum Catholicorum Principum consensu promulgavit.

✠(1583.)✠ Franciscus Alenzonius, aliàs etiam Dux Andegavensis dictus, cùm videret se precariò tantùm apud Belgas imperare, occupat Dunkerkam, aliaque minora quædam loca, & præsidiis Gallicis ea firmat. Brugis autem excluditur, & Antverpiâ repellitur magnâ clade magnoque damno, mille & quingentis suorum trucidatis, multis captis cum universa sua supellectile & inglorius Belgio elicto in Galliam revertitur, quâ occasione usus Farnesius totam Flandriam, vi aut deditione confœderatis eripit.

In Germania Gebhardus Truckſius Archi-Episcopus Colonienſis homo impius & impurus Confessionem Augustanam amplectitur, & connubium init cum Agnete Mansfeldicâ, sed à Gregorio Papa excommunicatus ac depositus expellitur, & in ejus locum à Capitulo eligitur Ernestus Bavarus, qui obnitente aliquamdiu pro Gebhardo Casimiro armatâ manu, tandem diœcesim pacificè possidet.

Jacobus Rex Scotiæ captivus evolat ex rebellium manibus, & complures rebellionis mulctat.

In Anglia Eliſabetha non tantùm ſævit in Catholicos, quos inter inſignis fuit Edmundus Campianus è Societate JEſu cum aliquot aliis Sacerdotibus, ſed etiam in Puritanos, denegantes fœminam dici caput Eccleſiæ.

Eodem anno in inſulis Salſetanis Rudolphus Aquaviva cum aliis quatuor de Societate JEſu ab infidelibus martyrio afficitur.

Matthæus Riccius è Societate JEſu primus in Sinas Evangelium infert.

✲(1584.)✲ Franciſcus Alenzonius ex Belgio redux, ſalutato Pariſiis fratre Henrico Rege, moritur ad caſtrum Theodorici non abſque ſuſpicione veneni.

Wilhelmus Aurantius Delphis ſclopi ictu à Balthaſare quodam Burgundo, paulò antè in ejus familiam adſcripto, occiditur, & in ejus locum ab Ordinibus confœderatis ſubſtituitur Mauritius ejus filius, annorum circiter 18. quem ex Annâ Saxonicâ ſecundâ conjuge ſuſceperat. Parmenſis autem ex Flandriâ in Brabantiam progreſſus, Antwerpiam memorabili obſidione cingit, quâ ut commeatum prohiberet, Scaldim illabentem urbi fluvium, junctis catenâ navibus ſtravit ſuperimpoſito ponte, qui 400. pedes latus firma

firma propugnacula excipiebat, licèt hanc molem hostes variis artibus & machinis conati sint evertere.

In Anglia Dux Nortfolcius accusatus de procuratâ liberatione Reginæ Scotiæ, capite plectitur.

Inter Rudolphum Imperatorem & Turcas induciæ ad novem annos renovantur.

S. Carolus Borromæus splendor sacræ Purpuræ & speculum Antistitum Ecclesiæ sanctissimè, uti vixerat, moritur.

✲(1585.)✲ Trium Regum Japoniæ, videlicet Francisci Regis Bungi, Protasii Regis Arimæ, & Bartholomæi Omuræ Legati Romam veniunt ad Gregorium Pontificem post trium annorum navigationem, confectis milliaribus 21000, eumq; ùt cõmunem totius Christianitatis Parentem, & Universalis Ecclesiæ Caput venerantur, quos Gregorius humanissimè ac splendidissimè excepit, sed non diu pòst moritur, anno ætatis suæ 83. Pontifex verè Maximus, pientissimus, & gloriæ Dei zelantissimus, & qui vicies centena aureorum millia (ùt ex publicis tabulis constat) in pauperes erogavit. In ejus locum suffectus est Felix Baretus Cardinalis, dictusque est Sixtus V.

In Gallia Catholici Principes & Proce-

res ligam & fœdus sacrum ineunt, protuendâ religione Catholicâ adversùs acatholicorum conatus.

In Belgio Parmensis Antwerpiam toto anno obsessam ad deditionem compulit, quare Geusii ad extrema redacti, Belgii dominium obtulerunt Elisabethæ, si eis opitularetur: Elisabetha auxilium promisit, sed dominium recusavit, eò quòd illorum non esset dare. Misit igitur Regina Comitem Linceſtriæ cum magno apparatu.

Contigit hoc anno Franci Draci in Americam excursio cum classe 21 navium, quâ ille Insulam S. Jacobi diripuit, in Hispaniolâ urbem S. Dominici in continente Carthagenam, editis ubique sacrilegæ crudelitatis exemplis: legit & Floridæ littora, lustravit Virginiam, quæ Insula sic dicta erat in gratiam Elisabethæ Reginæ suæ innuptæ ab Equite Anglo Rikardo Greinvillâ.

In Anglia præter horribiles persecutiones Philippus quoque Hauvardus Comes Arundeliæ, primogenitus Ducis Norfolciæ, dum Angliam parat relinquere, Reginâ Scotiæ per litteras salutatâ, interceptus & in carcerem conjectus est, ter judicatus, bis addictus neci, demùm bonis omnibus spoliatus est. Rex quoque Jacobus

cobus adnitente Elisabethâ iterùm à conjuratis Sterlini obsessus & captus est.

Lapicida quidam fingens se anachoretam, dixit se Sebastianum Lusitanum esse, & adscivit sibi ad septingentos fautores. Tandem autem captus ab Austriaco Cardinali Pro-Rege, è furca pependit, & ne Rex mimicus absque comitatu moreretur, habuit multos sui sectatores, ùt fraudis, ita & pœnæ socios.

✲(1586.)✲ Franciscus Dracus ab Angliæ Reginâ missus ad intercipiendam classem Peruanam, post Insulas aliquas depopulatas, & feroces per Archipelagus vagationes, prædâ magnâ onustus redit in Angliam.

Multi nobiles Catholici supplicio afficiuntur in Anglia ex falsa suspicione conjurationis contra Reginam: eoque prætextu Regina Scotiæ arctiore custodiâ detinetur, & judicium de eâ instituitur,

Stephanus Bathorius Rex Poloniæ glorioſissimus moritur ex epilepticis paroxismis ortis ex iracundia propter Gregorianum Calendarium repudiatum, & Jesuitas à Rigensibus malè tractatos, accedente etiam medici acatholici perfidiâ.

Cambacondonus in regno Bungensi diram persecutionem in Christianos excitat.

Constantinopoli mense Junio manè exorta est nebula quædam obscura, quâ desinente locustis pluit, quæ omnes ejus anni fructus absumpserunt, eodemque anno pestis grassata est in Turcia, Hungaria & Austria, & fames Italiam ac Belgium graviter pressit.

Romæ repertus est obeliscus pyropæcilus ex uno lapide 107 pedum longitudinis, olim delatus ex Thebaide, consecratus primùm Soli, deinde Augusto & Tiberio Imperatoribus, à Totila dejectus, & in loco sordido Vaticani absconditus, jussu Sixti V. in aream S. Petri translatus est, & ei crux aurata imposita, de cujus translatione ipse Architectus Dominicus Fontæna Novocomensis librum edidit.

✲(1587.)✲ Obiit Rex Bungi, relictis in regno suo Christianis plusquam 70000,

In Polonia electus est in Regem Sigismundus Svecus, juvenis viginti annorum: erat autem Catholicus, & in vera fide enutritus, cujus parens Joannes privatim in manibus Antonii Possevini Jesuitæ Lutheri sectam ejuravit: Catholici igitur parentis filius Catholicus, factus est gloria & propugnaculum Christianitatis.

Hoc anno Maria Regina Scotiæ coram judicibus, qui sententiam mortis jam formârant

mârant animo, antequam accusationem aut defensionem audirent, rea acta, morti addicitur: quâ sententiâ auditâ versipellis Furia Elisabetha quasi renitens & invita multùm horroris simulans, & quasi cogi ad hæc juribus regni volens, subscripsit, Maria autem mortis sententiam accepit, ut quondam sub Diocletiano Martyres, tria tantùm postulans, primò ut Catholico ritu sepeliretur: secundò, ut moreretur coram suis domesticis, & tertiò ut ipsi posteà cum suis reculis dimitterentur. Itaque 22 Kalend: Martii ad supplicium se comptiùs quàm ad nuptias paravit, crucemque ac rosarium manu tenens ad Martyrii locum perrexit, hîc se Catholicam mori professa, datis ad filium Jacobum sanctissimis monitis, caput supposuit ferro, quod ei altero ictu rescissum est, & statim omnia supplicii instrumenta aut flammis absumpta, aut aquis eluta. Sic periit in Anglia Maria Stuarta, non alterius criminis rea, quàm propter fidem Catholicam, multas in hac vitâ ærumnas perpessa, ut æternum regnum consequeretur. Elisabetha fecit omnia, quæcunque potuit excogitare callida & vafra mulier, ut dolorem suum de hac morte testaretur; nam & lugubria sumpsit, & eum, qui judicium ursebria sumpsit, & eum, qui judicium ursebria sumpsit, & eum, qui judicium urseb

rat, in carcerem compegit, & pecuniâ mulctavit, adeò mimicè, ut ipsa rideret sese, & risum vix sinu suo contineret. Excusavit se quoque apud Jacobum Mariæ filium, & coactus est miser adolescens acceptare excusationem, ne fato suo matris fatum cumularet.

E Belgio tantùm non ejectus à confœderatis Ordinibus Dudlæus, quòd rem non ad eorum voluntatem gereret, redit in Angliam, & Mauritius Nassovius renunciatur unicus Ordinum Gubernator. Parmensis autem Geldriam & Davendriam recuperat,

Franciscus Dracus Anglus in Hispaniam cum 24. navibus adnavigans Gades ex improviso adortus 30 naves omni apparatu bellico instructas in portu repertas diripit, & partem incendit ac deprimit, partem in Angliam deducit.

✲(1588.)✲ In Gallia inter familias regias seditiones maximæ vigent. Nancæi inter Lotharingiæ Duces, Guisios, alioscque fœderatos inita est conspiratio in Ecclesiæ commodum, sed simul in Henrici perniciem, ejuscque successoris. Hoc fœdus se probare simulavit Rex Henricus, sed metu majoris mali, cùm videret concionatores Parisiis addictos hisce fœderatis,

tis, & ad plebem incitandam comparatos eſſe. Aberat Lutetiâ Guiſius, & ab ardentioribus Catholicis petebatur, ſed eò venire prohibebatur à Rege, qui in eum iracundiam ſuam non ſatis occultabat; tandem igitur Guiſius amicos ſuos, à quibus petebatur, prætulit Regi, & Pariſios venit, atque ut oſtenderet, nihil ſe timere, venit cum octo duntaxat comitibus, ſtatim adiit Catharinam, quam verbis ita demulſit, ut hunc illa ad Regem deduceret: quem cùm Rex iratus excepiſſet, eum ſic affatus eſt, ut ſaltem in ſpeciem iram ſuam omnem poſuiſſe videretur. Adventu tamen Guiſii animata multitudo civium, quæ nullo negotio reprimi potuit, Helvetiis & Prætorianis Francis per urbem univerſam ſcitè diſperſis à civibus catenæ extenſæ, doliis & curribus impeditæ viæ, ad feneſtras lapides comportati, & non jam Henricus Rex agnoſci, ſed Guiſius acclamari cœpit: cúmque jam Rex timidior audiviſſet, pulſis regiis militibus eſſe ſcholaſticis arma quoque diſtributa, veritus, ne obſideretur aut detineretur, pedes ipſe cum paucis peditibus aulicis, dum fingit deambulationem, urbe excedit, eidem perniciem interminatus, quâ tamen mox ipſe graviorem ſibi accerſivit. Scribit poſthæc

ad

ad omnes Provincias Henricus, iisque debitum Principi suo obsequium inculcat, sed Guisius scribit fidem Catholicam personans, & ad ejus defensionem adhortatus, cujus hostibus Rex adhæreret,

Interea, quæ hæserat Parisiis, Catharina mater Regis effecit, ut Senatus Legatos mitteret ad Regem, quos ille ita recepit, ut læta omnia sperarentur, cùmque flagraret odio apud populum Espernonius, ejusque ab aulâ recessus peteretur, prævenit ille decretum Regis, & aulâ excessit pro reconcilianda regni tranquillitate. Sixtus quoque Summus Pontifex inter hos tumultus litteras misit ad Guisium, quibus eum Machabæis pro lege Dei zelantibus adæquat. Henricus verò Rex aliunde demulcebat Cardinalem Borbonium, quem fœderati Catholici Navarræo ùt larvam ostentabant. Hunc autem supra modum afflixit Henrici Condæi Principis minimè exspectata nex inter summos cruciatus demortui ex veneno, ùt credebatur: ideo qui curam domûs ejus gerebat, quatuor equis discerptus est vivus. Cùm rebus suis spem nullam affulgere vidisset Henricus III. Comitia Blesensia indixit, ex omnium judicio pacem compositurus, in his autem Comitiis deprehendit Rex,

Gui-

Guisios omnia posse, & Navarræum incredibili flagrare odio, quod in se quoque redundaret : Itaque capto consilio pleno desperationis Henricus Guisium ad se evocatum per suos satellites confodi jubet, & fratrem ejus Cardinalem includi, quem postridie etiam sustulit : multos quoque Guisiorum amicos inclusit, & inter eos Meduanum, in quo mox Guisium revixisse deprehendit & agnovit infortunatus Princeps se inchoâsse fabulam, sed non absolvisse. In iisdem Comitiis renunciatum est, Ducem Sabaudiæ occupâsse Principatum Salutiarum, ejusque urbem Carmaniolam cum quadringentis tormentis bellicis & ampliùs, quæ hîc ad Italica bella reservabantur. Statim ergo huic bellum indici placuit, cùm autem hic prætexuisset, se hanc ditionem occupâsse, ne veniret in hæreticorum manus, accepta est excusatio, quia id faciliùs erat credere, quàm Principatum extorquere.

Maximilianus Austriacus victus & captus à Zamoscio in Pononiam deducitur, & inde vix agente Imperatore & Summo Pontifice dimittitur, tandem tamen libertati restituitur, & simul pax inter Polonos & Austriacos sancitur.

Classis Philippi Hispaniarum Regis toto

to triennio parata, & ingenti hominum, armorum, commeatuum, & rerum neceſſariarum copiâ inſtructiſſima, & longè amplior futura conjunctione claſſis Parmenſis in Belgio comparatæ, in menſe Julio Olyſippone Angliam occupatura ſolvens, ſævis continuò procellis jactata, ſed & ab Anglica claſſe continuò inſequente labefactata vix tandem in menſe Septembri ad littus Caleti pervenit, ubi dum fruſtra claſſem Parmenſem expectat (quam Hollandi in apertum mare exire prohibebant) & nocte quâdam ab immiſſis in eam à Draco Anglo navigiis incenſis ad flammas evitandas reſciſſis rudentibus in altum ſe dare conatur, ſimul & ab Anglis & à ventis diriſſimè agitata, tota fermè periit, cujus reliquiæ circumnavigatâ univerſâ majoris Britanniæ Inſulâ poſt longiſſimam navigationem cum pauciſſimis militibus in Hiſpania appulerunt.

In Hungaria Chriſtiani menſe Octobri Turcas magnâ clade afficiunt.

In Japonia Cambacondonus ſubactis in ampliſſima illa Inſula plurimis regnis Chriſtianos crudeliſſimè perſequitur.

✲(1589.)✲ Inter Perſas & Turcas decennales induciæ concluduntur.

In Gallia moritur Catharina Medicæa, Hen-

Henrici II. Francorum Regis conjux, & trium ſubſequentium Regum mater, ex mærore potiſſimum ab necẽ Guiſiorum & tumultum regni, cui ſedando filium imparem judicabat, ideoque ab eo deſpiciebatur.

Poſt Guiſiorum cædem Pariſiis concionatores cœperunt non dicere, ſed debachari. Nec illis ſapientiores fuêre Magiſtri Sorbonæ, qui decreverunt ſervandam non eſſe datam Henrico Regi fidem, ejus Sacramento populos exolutos eſſe, fas eſſe armari plebem contra Regem, præterea preces pro Rege fundi ſolitas in miſſæ ſacrificio expunxerunt, & alias ſubſtituerunt, quæ omnia cum ad vim & cædem ſpectarent Pariſienſes ſeditioſi in cuſtodiam conjecerunt Achillem Harlæum Senatûs Principem & cum eo 50. Senatores, expreſſum quoque tunc eſt ab omnibus juramentum de fide & Henotico, Meduanus quoque Henotico præfectus eſt ac Gubernator Urbis, tanquam populo charior conſtitutus, ſimulq; regni vicarius declaratus, qui Sigilla Regia mox mutavit, & alia cum throno vacuo ſubſtituit: Pariſienſium audaciam aliæ pleræque urbes ſecutæ ſunt. Quod cùm videret Henricus & Lutetiam deſperaret, hujus urbis Sena-

Senatum Turonas transfert, & Navarræum ad se evocat, evocatis quoque auxiliis Germaniæ & Helvitiis exercitum 35. millium peditum & quinque Equitum conficit, atque ad fanum S. Clotvaldi castra locat, obsessurus seditiosam urbem, ad quem etiam confluxit pænè universa Franciæ nobilitas animo quidem triumphum adornatura, reipsâ exequias sui Regis cohoneſtatura. Nam Kal. Augusti Jacobus Clemens Ordinis cujusdam Monachus 24. annorum, illiteratus & rudis, fanaticis concionatorum vocibus excitatus, & fortasse etiam privatis quorundam, quasi ab Harlæo litteras afferret ad Regem admissus, venenatum ei cultrum in alvo defixit ac reliquit. Monstrum hoc statim à regiis satellitibus trucidatum, & cadaver quatuor equis est distractum, flammisque absumptum, projectis cineribus ad abolendam infamis parricidii memoriam. Vixit Rex vulneratus adhuc duos dies, datâque inimicis veniâ, piè mortuus est. Factum hujus sicarii quidam etiâ probare & laudare ausi, Clementem pro martyre coluerunt; imò & Prior ejus factum cum Judithæ facinore comparavit, qui deinde in obsidione Parisinâ captus, & aliunde tam scelerati consilii suspectus, vi-

vus

vus quatuor equis decussatis atrocissimas pœnas persolvit, vel sui sceleris, vel suæ imprudentiæ.

Desiit in Henrico III. regnare Valesiorum familia, & ex lege Salica succedente familiâ Borboniâ, Henricus Navarræus ejus familiæ Princeps, qui tunc aderat, confestim post Valesii obitum Rex proclamatus est, ejus nominis IV. solenni priùs juramento præstito de Catholicæ religionis conservatione, & regni ex avitâ consuetudine administratione: repugnârunt tamen pleræque civitates cum Carolo Duce Menio, Guisii occisi fratre, aliisque ejusdem familiæ Principibus, ac non pauci Proceres. Multa ideò prælia inita, plures urbes obsessæ, captæ, direptæ, omnia cædibus, ignibus, stragibus, mortibus & ruinis plena, variæ natæ divisiones, simulationes, simultates, fraudes, tanta facta rerum perturbatio, quanta fuit ab ortu monarchiæ, quam solus demùm ille potuit componere, cujus occasione sumpserat originem.

In Lusitania iterum Antonius Nothus regnum affectat, classe adjutus ab Elisabethâ Reginâ Angliæ, qui tamen ab Olysippone repulsus est, & multis suorum amissis in Angliam redire cum Draco coactus est:

est: non tamen absque damnis gravibus mari infictis, aliquot enim naves Hispanæ in Draci manus devenêre. Alibi etiam, ut plùs Philippo noceret, adversùs eum fœdus iniit cum Turcarum Imperatore.

Constantinopoli Legionarii ex Persîde reversi junctis sibi Janitzaris ob non soluta stipendia, ingentem seditionem excitant, & Amurathen Imperatorem eò compellunt, ut Beglerbegum Græciæ, & regium quæstorem iis dimiserit crudeliter dissecandos: in quâ seditione ignis in vicum Judæorum injectus, flante vento, supra 12. millia ædium absumpsit: Posthæc Amurathes fessus jam bello Persico, pacem cum iis composuit.

Pax quoque composita inter Turcas & Polonos interveniente Elisabethâ Reginâ Angliæ.

Sixtus V. ad componendas turbas Francicas mitttit Cardinalem Cajetanum cum viris aliquot eruditis, quos inter fuerat Bellarminus Societatis JEsu, posteà Cardinalis.

✠(1590.)✠ Proceres Galliæ Romam mittunt ad Sixtum Pontificem, Lucemburgium Pinci Ducem, ut factum eorum circa electionem Henrici Navarræ excusaret cum cautione pro Catholica religione,

ne,

ne, quoniam id regni jus & publica tranquillitas exigeret. Interim fœderati Catholici res suas contra Henricum Navarræ necdum verè Catholicum, quibus viribus possunt, promovent, & Meduanus quidem ad Parmensem in Belgium excurrit, atque ab eo auxilia sub Philippo Egmontio Comite accepit, & his fretus movit in Henricum, Drocas obsidentem: Henricus autem fortiter occurrit hosti, & ad Utriacum prælium conserit, atque post diuturnum certamen victor evadit, ipse manu suâ supra humanas ferè vires pugnans. Cæsi tunc 800 equites, & ipse Egmondanus, & Brunsvicensis Nothus, Germanus & Helveticus equitatus se dedidit, Gallicus omnis, armis abjectis auffugit, capta sunt omnia tormenta, omnia impedimenta, & ægrè Meduntam receptus est Meduanus, unde Santdyonisium venit, vix ausus se Parisiis ostendere. Henricus econtra hoc successu elatus, iterum Parisios obsidet, quam etiam deditione accepisset, nisi eidem Alexander Farnesius cum suo exercitu succurrisset, ante cujus adventum habitæ sunt in urbe supplicationes, una religiosorum omnis generis & coloris, qui arma vix non ridiculè superinduerant, altera; autem infesto die ascensionis

sionis, sed illa religiosiùs processit, & Deum precibus placare conata est. Nemorosius Gubernator urbis nihil omisit, quo cives ad omnia toleranda invitaret non tantùm fortiter, sed & ingeniosè, unde hi quotidiè erumpebant cum magno damno Regiorum, parati vincere vel pro religione mori: accedebant concionatorum exhortationes, discursationes religiosorum per domos, largæ eleemosynæ, quibus divites continebant & alebant inopes; verùm fame tandem prævalente in urbe facienda fuisset deditio, nisi Parmensis quasi DEUS auxiliator adfuisset, Venit enim ille Meldas 12. Kalend. Septembris, junctisque copiis, captoque, inspectante ipso Rege, Latiniaco urbe, ad Parisios tendit, cui pugnandi copiam Rex Henricus nequidem fecit: unde Parmensis liberaturus urbem, & non pugnaturus accessisse videbatur. Subeunte igitur in urbem Farnesio cum auxiliis (cujus ingressum Henricus vel impedire non potuit, vel non voluit, ùt aliqui excusant, quia maluit divitem & intactam urbem, quàm depopulatam & egentem accipere, Regius exercitus obsidione solutâ abiit in hyberna, sed & Parmensis munere jam suo quasi defunctus, & capto præterea Corbolio

bolio, ubi magnam stragem edidit, recessit in Belgium, quò evocabatur, Ordinibus Belgii jam Philippo Hispaniæ Regi iterum insultantibus.

Sixtus V. Papa in hoc negotio ita se gessit, ut à Principibus negaret consilium ullum accipere, sed expectaret à Spiritu Sancto, multa à Parisinis facta approbando, & non pauca etiam improbando, laudans eos Principes, præsertim Philippum Hispaniæ Regem, qui in Parisinorum partes sub prætextu religionis Pontificem totum pertrahere contra Henricum nitebantur, sed alia multa iterum bono publico adversantia perpendens, quasi sibi soli hujus causæ arbitrium reservavit, nec sensum suum manifestavit, & demùm hoc ipso anno moritur, vir ingenio magnus, & animo major, & ad res magnas gerendas aptissimus & providissimus, qui in arce S. Angeli ad subitos casus ad quinquagies centena aureorum millia seposuerat, cùm tamen jam egregiè exornâsset urbem, & rerum omnium copiam in Pontificiam ditionem induxisset. Huic suffectus est Joannes Baptista Castanea, dictus Clemens VII, qui 13. die ab electione obiit, in cujus locum statim electus est Nicolaus Sfondratus, dictusq; est Gregorius XIV.

DECAS X.

(*Ab anno Christi 1590. ad 1600.*)

ANNO 1591. Gregorius XIV Parisinos & Catholicos invitat ad resistendum fortiter Navarræo, pollicitus 15. aureorum millia quolibet mense ex Pontificio ærario, negavit tamen tam Philippo, quam Meduano alienationem bonorum Ecclesiæ, quia hanc fieri majori Principum, quàm Ecclesiæ utilitate, jam compertum habebat. Posthæc dubio Marte pugnatur inter Regios & Confœderatos Franciæ. Vicini Principes paulatim Franciam discerpere instituebant, jamque partem sibi quilibet suam designabat, præsertim cùm pars tertia jam pro regiâ coronâ sese erigeret, unde oriri paulatim diffidentia inter confœderatos, & magna rerum eorum fieri inclinatio; accedebat, quòd Parisiis per sexdecim viros, homines improbos, & qui ex sanguine sordibusque concreti erant, omnia agerentur, unde etiam ab iis sibi metuens Cardinalis Contius Episcopus reliquit urbem, illi autem Barnabam Brissonium munus primi Præsidis obeuntem, & prudenter Decem-

viris

viris obsistentem, cum duobus senatoribus per servum publicum suspenderunt, facinore indignissimo & impudentissimo. Quare Meduanus Sedecimvirûm audaciâ aut insaniâ revocatus, Parisios advolavit, & quatuor, eorum in Lupara comprehensis gulam frangi jussit, quo supplicio ita reliquos duodecim repressit, ut ex eo tempore, quantùm bonis antea metûs, tantundem nunc contemptûs sui ingererent.

Evasio etiam è carcere Turonensi Ducis junioris Guisii non profuit, sed obfuit Confœderatis: in illum enim multorum animi inclinare cœperunt proRege eligendo: inde magna diffidentia. His tamen ita constitutis, nihilominùs Gregorius Pontifex Henricum Regio nomine indignum pronunciavit, & exercitum adversùs eum in Galliam misit. Henricus econtra acceptis magnis è Germania & ex Anglia copiis corroboratur, & Rothomagum obsidet, verùm secundo adventu Parmensis iterùm ex Belgio cum copiis auxiliaribus celeriter advolantis, obsidionem eâdem celeritate solvit.

Alexander Farnesius Dux Parmensis ardenti Galliæ dum opitulatur, in Belgio fermè fædiùs & sæviùs grassaturo incendio fomenta & tempus concedit: eo enim negotia Franciæ curante, Confœderati

Belgæ artibus & armis Mauritii multa loca Hiſpaniæ Regis occupant.

Gregorius XIV ex calculo inter magnos dolores patientiſſimè toleratos obit, & in locum ejus eligitur Joannes Antonius Fachonetus Bonnonienſis, dictus Innocentius IX qui duobus tantùm menſibus Eccleſiæ præfuit, mortuus hoc eodem anno die 20 Decembris.

Magna hoc anno fames & peſtilentia vexat Europam, ac potiſſimùm Italiam.

Turcæ per horrendas excurſiones in Hungariam, ſed præſertim in Illyricum & Croatiam, pacem cum Rudolpho initam turbant, quarum turbarum auctor nefandus fuit Haſſanes Baſſa Boſniæ, qui, quantùm potuit, Hungaros vexavit, & clades intulit, & paſſus eſt, queſtuſque de violatâ à Cæſarianis pace effecit Conſtantinopoli, ut bellum rupto fœdere in Rudolphum decerneretur.

✲(1592.)✲ Eligitur in Summum Pontificem Hyppolitus Aldobrandinus Florentinus, dictus Clemens VIII. qui ſtatim initio ſui Pontificatûs judicavit alium Franciæ Regem, excluſo Henrico Navarræo, eligendum eſſe, ſed dubiâ utrimque tum Regiorum, tum Confœderatorum fortunâ hoc negotium ſuſpenſum tenuit, potuit

tuit sanè Regia fortuna videri jam succisa penitùs & eversa, sic in extremas sæpe angustias Henricus compulsus est, sed mox iterum valentior sese erexit, & hostibus se opposuit. Pro Rege fecit plurimùm mors insperata Alexandri Farnesii Ducis Parmensis, quam obiit anno ætatis 47. Antverpiæ 4. Non. Decembris, dum novam jam expeditionem in Franciam pararet; obiit autem pientissimè, rebus Belgii ritè ordinatis, Princeps fortissimus, experientissimus, & Græcis ac Romanis Ducibus adæquandus, & eorum plerisque felicior, quòd rerum à se gestarum scriptorem nactus sit Famianum Stradam, antiquis historicis nequaquam inferiorem. Reliquit filios duos Ranucium Parmensem Ducem, & Odoardum Cardinalem. Successit ei in Belgio Ernestus Austrius, Rudolphi Cæsaris frater; interim dum adveniret Ernestus, Mansfeldio rerum administrationem suscipiente, ne Ordines ex Parmensis morte aliquid supra vires auderent.

Moritur Joannes III. Rex Sveciæ, succedit eidem filius Sigismundus jam Rex Poloniæ.

Germania turbatur morte Joannis Episcopi Argentoratensis, dum eidem pro-

testantes substituere volunt unum ex heterodoxis, reclamantibus Catholicis.

In Saxonia quoque & Palatinatu exoriuntur turbæ inter Calvinianos & Lutheranos, sed hîc Catholici, illic Lutherani prævalent.

Turcæ ruptis ex improviso induciis, quas cum Imperatore aliquamdiu observârant, Croatiam invadunt, Wihitium occupant, multa hominum millia cædunt, & multa in servitutem abducunt, & omnia direptionibus & incendiis vastant, dum in Germania tardè delectus habetur.

Hispani profligant iterùm classem Anglicam in Atlantico Oceano, captis navibus 27, aliisque depressis.

✲(1593.)✲ Confœderati Catholici Galliæ acceptâ potestate à Pontifice eligendi alium Regem Catholicæ fidei, de eodem eligendo seriò cogitant, & Parisiis Comitia celebrant, sed magnâ confusione, cùm & Hispani & exteri plurimi competerent pro corona: quæ res dum Henrico Navarræo nunciata esset per Schombergium natione Germanum, affectu & animo Gallum, & illi oblatum regnum, si conditionem hanc subiret, & fidem Catholicam amplecteretur ac seriò profiteretur: Henricus ad suos conversus ministros

ſtros interrogâſſe fertur, utrùm eſſet in Catholica Religione ſalus? & affirmantibus ipſis, ille, ùt erat ingenio ſolers & acuto, ergò, inquit, ſatiùs eſt me Franciæ Regem adire cœlum. Petiit exinde de articulis controverſis Catholicè edoceri, quod eruditi deinde Epiſcopi præſtitêre, quorum inſtitutioni Rex avidiſſimè & ſtudioſiſſimè ſeſe impendit, aliquando per ſex continuas horas, quibus auditis Pariſienſes alios vultus & animos induerunt, & multorum in Comitiis ſpes eluſa eſt.

Igitur die Dominico 8. Kalend. Auguſti Santdyoniſii Henricus Navarræ hæreſin publicè ejuravit, ſeque filium Eccleſiæ obſequentem profeſſus, factâ peccatorum exomologeſi abſolutus eſt ab Archi-Epiſcopo Bituricenſi, ac religiosè Montis Martyrum inviſit Eccleſiam, ut omnibus Pariſinis ejus religio eſſet teſtatior. Pro abſolutione Pontificia impetranda miſſus erat Dux Nivernenſis, cui abſolutionem aliquamdiu quidem diſtulit Clemens, câuſantibus adverſariis ſimulatam converſionem, luculenter tamen conteſtatâ Regis in fide ſinceritate & conſtantiâ, cum gaudio poſteà impertivit.

Muleius Xequus Feſſæ & Marochi Regis filius datus olim obſes Sebaſtiano Lu-

sitano & posteà educatus in Philippi tutela baptizatur mense Novembri in cœnobio S.Laurentii Escuriali cum aliquot aliis nobilibus.

Turcæ ad Sisechium in Croatia cæde 18. millium profligantur à Cæsarianis mense Junio, qui nihilominùs, reparato exercitu, Septembri Sisechium expugnant aliasque urbes, sed iterùm ad Albam-Regalem cæduntur mense Novembri, & multa loca amittunt.

✠(1594.)✠ Urbibus certatim à fœderatis ad Henricum deficientibus, haud dubiè omnibus quantocyùs defecturis, si Henricus Rex inunctus fuerit, cùm visum esset, nihil opus esse inunctione Rhemensi S. Martini sacra ampulla Turonibus allata est, & hac inauguratus est Henricus IV. Carnuti, ab Episcopo urbis Nicolao, à quo & Ordinem S. Spiritûs recepit, ac pro S. Marculphi peregrinatione perrexit Sanclodoaldum, ut inde rebus suis ac Parisinis prospiceret. Egit igitur Rex cum Brissaco Lutetiæ Præfecto, ut urbe reciperetur, sed obstitêre Sedecimviri, & concionatores passim ex sacris pulpitis in Politicos (sic appellabant fautores Regis) intonabant; adhuc enim Pontifex, potenter contranitentibus Henrici adversariis, du-

dubius pendebat, quid de conversione Henrici sentiendum, ac de regno ejus statuendum. Verùm cùm hi omnes edictis Senatûs, & Meduani Ducis auctoritate repressi essent, idemque Dux auxiliorum causâ profectus esset, Brissacus ad Regias partes mercatorum Præpositum, ædiles duos, tribunos aliquot & Centuriones pertraxit: His subnixus quatuor militum Regiorum millia delectorum per varias portas in urbem immisit, qui eâ potiti cum levi cæde Germanorum eandem mox patentem Regi submisêre, cum palatio Luparæ: & Rex Henricus IV. armatus ingressus est eâdem ipsâ portâ, quâ Henricus III. ejus decessor Parisiis profugus exiêrat: Eaq; dies deinceps solenni processione celebratur à Parisiensibus. Cùm Rex jam Luparæ palatium teneret, dimissi sunt per urbem feciales, qui amnistiam proclamarent, quibus respondit populus, vitam Regi suo accinens. Dimissi deinde ex urbe Hispani, Belgæ, Neapolitani milites cum Duce Feria, & actæ Deo in majori Basilicâ gratiæ: intra tres ab ingressu Regis in urbem horas apertis tabernis commercia restituta, quasi in tanta urbe nulla belli suspicio viguisset. Invitatus benignè ad Luparam & Regem Placentinus Cardinalis, ho-

honestè recusavit accedere: Itaque jussu Regis à Davitio Perronio deductus est Montargium; Pellevæus verò Cardinalis, cujus maximè industriâ steterat Henetico, audito Regis in urbem ingressu, cùm in lecto jaceret ægrotus, conversò ad parietem vultu, loqui & vivere desiit.

Posthæc ad studia pacis omnia sunt conversa, vetita præteritorum recordatio, abolita Senatûs consulta, scripta utrimque emissa ignibus addicta: Academia quoq; contra Henricum edita, irrita esse jussit, eique parendum esse, sanctè decrevit, huic tamen decreto non statim paruêre Religiosi, propter Pontificis sententiam nondum manifestatam, propterea reliquis Ordinibus omnibus omissis, tantùm tempestas in Jesuitas concitata est ab Academiæ Rectore, homine turbulento & denunciato hoste Jesuitarum: ejus, & sociorum ex omni genere calumniarum consarcinatæ & maledicentiæ veneno intoxicatæ orationi modestè & facundè respondit Claudius Duretus, cui etiam Antonius Sequerius Cognitor Regius suam orationem moderationis & ingenii pleniſſimam pro Patribus Societatis JEsu addidit; unde inimici jurati Jesuitarum tunc tantisper quidem repressi sunt, sed eodem anno nacti occa-

occasionem novam maledicendi & criminandi virus suum conceptum fætidissimo ac spurcissimo mendaciorum ac calumniarum vomitu eructárunt contra innocentes. Accidit enim, ut Henricus IV. Parisiis 6. Kalend. Januarii magnum vitæ periculum adiret à Joanne Castello perdidissimo adolescente, & ad insaniam usque scelerato, cultro vulneratus in facie, qui captus confessus est, se id criminis suscepisse, ut peccatorum suorum veniam consequeretur, si tyrannum & rebellem Ecclesiæ Principem sustulisset. Is, quoniam fuerat anteà Jesuitarum discipulus, quanquam alium posteà magistrum audiîsset, miseros Patres, qui jam tum satis apud hæreticos in hac rerum turbatione valentes omnia, malo loco, & ùt spina in oculo amarulento animo abominabiles visi erant, suo parricidio involvit: Eorum igitur scripta ad apicem excussa, in quibus cùm inventa essent aliquot epigrammata adversùs Beneharnensem (sic tumultûs tempore Henricus IV. dicebatur) in scrinio Joannis Guignardi Sacerdotis, patriâ Carnotensis, magnam eis perniciem creavêre: maturè ergò peracto, in re tanti momenti, negotio, Castellus forcipibus candentibus concerptus, manuque cum cultro, resinâ ac sulphure

plumboque cremata, vivus ab equis quatuor laceratus est, corpus incensum, projecti cineres, pater ejus exulare jussus; Jesuitæ omnes regno ejecti, & Guignardus, cui tam immane crimen per vitam suam in mentem non venit, publicè suspensus, & Gueretus (quæ planè hæretica furendi libido & sacrilega insania fuit) propterea tantùm, quòd parricidæ aliquando confitenti aures præbuisset, immaniter tortus est, domus denique Castelli diruta, ejusque loco erecta pyramis, quæ sententiam in eum & in Patres Societatis JEsu latam contineret, cum atrocibus multis versibus, quos hæretici & Academici Catholici, sed improbi & virulenti hostes Societatis scripserunt, laxatis tunc sui furoris habenis, toti effusi ad maledicendum. Eos abeuntes multi boni viri cum lacrymis prosecuti sunt, & miseros innocentes scelerati quondam discipuli sui desperationem & insaniam luere doluerunt.

In Belgio in locum Alexandri Farnesii successit Ernestus Archi-Dux Austriæ, frater Imperatoris, qui frustrà Belgos cum Hispanis reconciliare conatus est, Mauritio Cröningam urbem potentem ac firmam duorum mensium obsidione expugnante, & in ea Dominationis Hispanicæ, ac simul reli-

religionis Catholicæ monimenta dejicien-te. Alter frater Imperatoris Mathias Archi-Dux in Hungaria contra Turcas pugnat, & Neogradum occupat, sed Jaurinum amittit, turpi Comitis Hardechii deditione, qui eâ de causâ ab Imperatore capite cæsus est. Sigismundus verò Battorius Transylvaniæ Princeps, detectâ in se conspiratione à Turcis deficiens, in societatem Imperatoris transit.

Sigismundus Poloniæ Rex anno superiori ad accipiendum Sveciæ regnum hæreditarium evocatus, hoc anno (cæsis priùs 30. Tartarorum millibus, qui per Poloniæ fines in Hungariam perrumpere, & cum ducentis equitum millibus, Turcis se conjungere adnitebantur) Upsaliam proficiscitur, & Rex ibi Sveciæ coronatur, sed frustrà ad fidem Catholicam regnum revocare conatus est. relicto igitur Pro Rege Carolo Sudermanniæ Principe, rediit in Poloniam.

Gabriel Patriarcha Alexandrinus Legatum Romam pro communione Sedis Apostolicæ, & obedientiâ illi præstandâ mittit.

In Italia classis Turcica Rhegium Calabriæ diripit, sed à triremibus Pontificiis & Hispanicis repellitur.

✲(1595.)✲ Hispanos inter & Gallos bellum

bellum magno utrimque ardore suscipitur & geritur.

Henricus IV. Rex Galliarum solenniter a Clemente VIII. Pontifice ab hæresi absolvitur, magno gaudio totius urbis Romæ: egregiam hoc in negotio operam navavit Gallis Franciscus Toletus, primus è Societate JEsu Cardinalis, qui popularium suorum conatus suo ingenio & eloquentiâ discussit, quare in eum deinceps optimè, & in Societatem JEsu melius affici cœpit Henricus, & nunquam postea immemor extitit beneficiorum, quod viri magnanimi solent. Factâ absolutione Pontificiâ omnes ferè contra eum confœderati eidem se submiserunt.

Amurathes III. Imperator Turcarum moritur Constantinopoli, eique succedit filius Mahometes III. qui ab octodecim fratrum, & viginti septem sororum nece Imperium suum auspicatus est.

Obit Ernestus Archi-Dux Austriæ, Gubernator Belgii.

S. Philippus Nerius Congregationis Oratorii Fundator in cœlum migrat.

In Transylvania Sigismundus Battorius adscitis in societatem belli Walachiæ & Moldaviæ Principibus contra Turcas feliciter pugnat.

Anto-

Antonius inane nomen Regis Lusitaniæ gerens, Parisiis omnium rerum inops finem vivendi facit.

Romam veniunt ad obsequium fidei Legati Episcoporum Ruthenorum, item Legati Ægyptiorum ad Christianam religionem conversorum, qui etiam fidei professionem coram Clemente VIII. emittunt. Item & Archi-Episcopus Livoniæ, qui simul Lutheri hæresin ibidem abjurat.

✠(1596.)✠ Sigismundus Battorius Transylvaniæ Princeps Pragam ad Cæsarem Rudolphum venit, cui Cæsar amplissima auxilia contra Turcas promittit, & Pontificius Legatus in singulos menses 40. millia aureorum pollicetur.

Mahometes III. Turcarum Imperator Hungariam aggreditur, & Agriam capit.

Albertus Cardinalis Austriacus frater Rudolphi Imperatoris à Philippo II. Rege Hispaniarum avunculo, ad Belgii gubernationem adhibetur.

Moritur Cardinalis Franciscus Toletus de Ecclesia Catholica optimè meritus.

Classis Anglica ab Hispanis versùs Americam profligatur, & Dracus ejus Ductor, hujus sæculi pirata famosissimus ex dysenteriâ moritur.

Classis

Classis Anglica Hispanicam ad navigationem novi orbis paratam ad Gades incendit, ipsasque Gades capit & diripit.

✻(1597.)✻ Mauritius Belgicorum Ordinum Ductor Alberti Austrii copias ad Tonnahutum profligat.

Carolus Sveciæ Gubernator Lutheranus legitimum Regem ac hæredem Sigismundum è regno excludit, sibique illud usurpat. Sicque Svecia Catholicam fidem cum Rege Catholico ejuravit.

Mortuo Alphonso Ferrariæ Duce sine liberis, Clemens Pontifex Ferrariam prætendit.

In Japonia tres è Societate JEsu, & alii ex S. Francisci Ordine Religiosi martyrio afficiuntur.

Hoc anno Ferdinandus Tellius Portocarrerus Dulendii Præfectus, admonitus à Dumolino exule, interdiu servari negligentiùs Ambianum, id magnâ audaciâ & pænè temeritate occupavit. Usus est carris, quos pomis & nucibus oneravit, & hos fortissimi milites aurigarum loco deducebant, eorum unum supponunt pensili clathro, loris equorum rescissis, alterius effundunt nuces & poma, quæ dum colligunt præsidiarii, trucidati sunt ab aurigis probè armatis, & portam patentem sequenti-

quentibus copiis reliquerunt. Sic capta est ab Hispanis urbs nobilis, in cujus suburbio Helvetii plurimi, & quæ supra 14. armatorum civium millia continebat, per tria equitum peditumque millia: vix octuaginta cives repugnantes cæsi sunt, & sex tantùm Hispani. Res tantâ inertiâ, tantoque metu peracta est, ut fidem superet. Perturbatus est hoc casu Rex Henricus cum totâ Lutetiâ, quæ hostem jam adesse putabat ad portas. Debuit postmodùm urbs hæc magno labore à Francis recuperari, & reddita est, cùm Hispanica auxilia intromitti non possent, aditu sæpiùs frustrà tentato ab Hieronymo Caraffa Marchione Montis nigri, qui Portocarrero Præfectus equitum successerat, & Hispani gloriosè iterum emissi, qui antè fraudulenter intraverant, urbique præpositus est Dominus Vicus, arx ædificata, ut eâ tuti essent cives, qui sua privilegia causati, ab Helvetiis Regiis defendi noluerant per superbiam, & à suis per ignaviam propugnari non potuissent.

✲(1598.)✲ Clemens VIII. Pontifex Ferrariæ Principatum Pontificiis ditionibus adjungit.

Philippus II. Rex Hispaniæ impetratâ à Pontifice dispensatione consanguinitatis

& or-

& Ordinis Cardinali Alberto Auſtriaco Iſabellam primogenitam cum dote Provinciarum Belgii deſponſat, & Vervini adnitente Alexandro Cardinali Legato Pontificis in Galliâ pacem cum Henrico IV. Galliæ Rege ſancit, ac demùm poſt diutiſſimos dolores patientiſſimè toleratos in monaſterio Eſcuriali anno ætatis ſuæ 72. pientiſſimè moritur. Magnus ſanè Princeps, & in paucis prudentiâ & pietate clariſſimus. In hoc Monarcha potuit omnis mundi faſtus detumeſcere, quando videre fuit erumpentes ex ejus adhuc viventis corpore vermes & pediculos tantâ copiâ, ut per duos famulos ſibi per vices ſuccedentes abſtergi vix poſſent. Succeſſorem reliquit filium ſuum Philippum III. & Eugeniæ Claræ Auſtrio nuptiis jungendæ reliquit Belgium.

Sigiſmundus Rex Poloniæ in Sveciam navigans, vix effugit Caroli patrui ſui inſidias, & calliditate illius regno ſuo hæreditario exauctoratus, damno ſuo expertus eſt, quàm periculosè hæreticis, quamvis ſanguine proximis, regnorum adminiſtratio concedatur.

Hoc anno in Hungaria Javarinum, ſive Raba vocatum, munitiſſimum fortalitium recuperatur menſe Martio virtute Adolphi Schwar-

Schwarzenbergii, fractâ portâ per tubum catapultorium, dubiâ tamen diu victoriâ quingentis Cæsarianis interfectis, mille sexcentis Mahumetanis jugulatis, intra urbem certamine quatuor horarum. Mox à Schwarzenbergio Cæsarianorum Duce obsessa Buda, & pars ejus inferior capta, sed obsidionem solvere propugnatorum virtus, anniqúe tempestas sævior compulerunt.

Sigismundus Battorius Transylvaniæ Princeps post plurima contra Turcas & hæreticos præclarè gesta, nescitur quo morbo veluti fascinatus, mutato vitæ instituto, mense Aprili, uxorem Christiernam Caroli Archi-Ducis filiam relinquit, & ditionem de consensu Ordinum Rudolpho Imperatori cedit, acceptâ Silesiâ cum annuâ pensione 50. millium aureorum. Sed paulò pòst pœnitentiâ ductus Claudiopolim redit.

✲(1599.)✲ Constantinopoli agitur à Turcis de adimendo Christianis sepulchro Christi Domini, & donariis, quæ ibi liberalitate Principum Christianorum habentur, auferendis; sed hoc consilium auctoritate suâ & rationibus discutiunt Legati Venetorum & Regis Galliarum.

Sigismundus Battorius rescisso contractu

cum

cum Rudolpho Imperatore Principatum Transylvaniæ transfert in Cardinalem Andream Battorium, Patruelem suum: sed hic statim à Michaële Walachiæ Waiwoda appetitus profligatur, in fugâ à rusticis interimitur, & Transylvania in fide Imperatoris confirmatur.

Albertus & Isabella Principes Belgii ex Hispaniâ veniunt in Belgium, exeunte Augusto, ducto etiam Philippo Nassovio Aurantio Principe, cui bona paterna restituta sunt,

Carolus Sigismundi patruus universam ferè Sveciam in potestatem suam redigit, & habitis Regni Comitiis procurat Sigismundo regnum abrogari, electo tamen specie tenus Ladislao ejus filio adhuc puerulo, eâ conditione, ut mitteretur in Sveciam in Lutheranismo instituendus. Et inde Carolus Finnonios à Sigismundo stantes subigit.

Celebratur mense Junio in civitate Diamper Indiæ Orientalis ab Alexio Archi-Episcopo Goënsi, Ordinis S. Augustini, Concilium de reformatione Ecclesiæ S. Thomæ, quæ à Nestorianis inficiebatur, ubi Georgius eorundem Nestorianorum Archi-Diaconus, qui Patriarchæ Babylonis adhærebat, & 153. Presbyteri, atque depu-

deputati 671. fidem Catholicam sunt professi, quos uuiversus populus secutus est.

Romæ hoc anno creati sunt 12. Cardinales, inter quos numeratus est Robertus Bellarminus è Societate JEsu, vir doctrinæ incomparabilis, à quo editum opus in hæreticos à viris sapientissimis *Ecclesiæ Armamentarium & Turris David* appellatum, eò dignior sacrâ purpurâ, quò majore curâ & solicitudine eam subterfugit.

Tentata pax inter Turcam & Cæsarem coalescere non potuit: disjecto itaque consilio pacis Turcæ ac Tartari Christianorum terras diripuêre, ac innumerabilem captivorum multitudinem abduxêre cum pecoribus & armentis, Christiano exercitu cum segni Duce suo tantas clades in castris suis fermè otiosè spectante.

Batavi navigationem suscipiunt in novum Orbem, quæ Hispanis non potuit, non summoperè displicere, sed classis illa ex octuaginta navibus infelix fuit, exscensione enim factâ ad Canariam Insulam, & vicinas adjacentes, in eas flammâ ferroque sævièrunt. In reditu autem classis magnâ ex parte tempestate periit, milites & navicularii morbis absumpti, aliquo tempore ne quid auderent ejusmodi popularibus suis injecêre desperationem.

Actum

Actum est hoc anno de matrimonio Henrici IV. cum Margaritha Valesia, quod plerique volebant esse irritum, & re accuratè discussâ pronunciatum est, has nuptias nullas esse, Regique concessum, aliam uxorem ducere. Ferebatur tunc, eum propendere in Gabrielem Estræam, ex quâ jam duos filios susceperat; verùm hoc matrimonium Deus avertit, mortuâ Estræâ ex violentissimis apoplexiæ paroxismis, vultu in tergum detorto, tantâ deformitate, ut hæc dæmoni, quàm mulieri similior esse videretur. Rex certè auditâ ejus morte tam miserabili & deformi, ad se & Deum rediit, eumque casûs hujus, & mortis auctorem in Franciæ commodum agnovit & veneratus est.

✠(1600.)✠ Celebratur hoc anno maximo concursu Jubilæum Romæ, ad quod 1300. millia hominũ scribuntur confluxisse, quâ occasione Clemens VIII. multa pietatis & liberalitatis exhibuit argumenta, peregrinos pecuniis adjuvando, iisdem accumbentibus ministrando, pedes lavando, confessiones audiendo, omnes consolando, & ad eadem pietatis exercitia & opera charitatis Cardinales quoq; & alios Prælatos verbo & exemplo invitando: quibus visis multi ex hæreticis, qui curiositatis

fitatis causâ advenerant, ejuratâ hæresi, fidem Catholicam amplexi sunt.

In Gallia apud Fontenobleum habita est celebris inter Jacobum Perronium, tunc Episcopum Ebroicensem, & posteà Cardinalem & Archi-Episcopum Sennonensem, & Philippum Mornæum, Plessium Marlium Calvinistas, concertatio de falsis assertationibus circa Eucharistiam; cùm enim Perronius conquestus esset de libro à Mornæo edito, in quo plusquam 500. corrupta S. Scripturæ loca vel sanctorum Patrum reperissent, Plessius provocavit ad publicum certamen coram Rege ineundum: Assignati sunt igitur à Rege tres judices Catholici, & tres Calviniani, qui de calumnia vel veritate statuerent; dictâ ergò die convenêre actores coram Rege, Cancellario, atque judicibus, excussisque locis novem, sex horis continuis pronunciatum est omnium judicio, omnia corrupta & truncata esse, ac certamen in diem sequentem rejectum est, sed noctu illâ ægrotavit Plessius, & Parisios deferri permissus, insalutato Rege Salmurium profugit: unus ex tribus heterodoxis judicibus hæresim ejuravit, & Rex in fide confirmatus, ejus deinceps laudator ac zelator fuit, hæretici autem hanc collationem magno emptam voluissent.

Idem

Idem Rex Christianissimus, cùm jam anno superiore Clemens matrimonium, quod inter Regem & Margaritham Valesiam sub Carolo IX. initum erat, nullum esse declarâsset, tum propter consanguinitatem, tum alias ob causas, ideo uxorem nunc accipit aliam Mariam Medicæam, Francisci olim magni Etruriæ Ducis filiam, quæ mense Novembri Massiliam appellens, regio comitatu Lugdunum ad Henricum deducitur, ibique anno exeunte nuptiæ conficiuntur, solennia celebrante Legato Aldrovantino.

Jacobum Regem Scotiæ Comites Gaurienses insidiosè in arcem suam specie thesaurum indicandi deductum, & ad interiora conclavia solum & inermem allectum interficere moliuntur, sed Rex haud tanto periculo despondens animum & voce & manu vim avertens, accurrentibus ad tumultum è suis aliquibus à morte liberatus est, & eadem proditoribus inflicta, in quorum cadavera ita sævitum est, ut detestandi parricidii gravitas omnibus innotesceret.

In Belgio dum pars militum Hispanorum secessionem ob non soluta stipendia faciunt, Mauritius nonnulla loca munita Archi-Duci eripit, & dum Neoportum in Flan-

Flandria obsidet, invasus ab Archi-Duce post aliquam cladem acceptam suos recolligens Archi-Ducis exercitum 2. Julii profligat cæsis multis millibus hostium, sed iterum novis exurgentibus in eum copiis, suos in Holandiam & Brabantiam reducit.

In Hungaria Turcæ Canissium mense Septembri obsidione cingunt cum ducentis millibus armatorum, ac licèt in auxilium veniisset Philippus, Emmanuel Dux Mercurianus à Domo Lotharingica (qui post extincta in Galliâ bella civilia ad Imperatorem profectus, exercitûs ejus administrationem susceperat) tamen, quòd commeatu destitueretur, post crebras velitationes cum Turcis factas, & aditum in urbem frustrà multoties tentatum vigesimâ Octobris, quæ erat quadragesima quinta obsidionis dies, cum ingenti damno Christianitatis deditione Turcis traditur. Quo tempore Sigismundus Battorius rursùs Transylvaniæ Principatum resumpsit, sed à Michaële Waiwoda Walachiæ, qui tunc Cæsaris partes sequebatur, magnâ clade afficitur, ac paulò pòst idem Michaël, quòd eam Provinciam sibi ac filio firmare cuperet, & propterea clandestina cum Turcis & Tartaris consilia iniret, revocatur ab Imperatore, & in locum ejus mit-

titur Georgius Basta, qui Transylvaniam in fide Imperatoris retinuit, & demùm Sigismundus, interveniente Clemente Pontifice, receptus in gratiam ab Imperatore, Pragam se recipiens, ibi tandem mortuus est.

DE PSEUDO-PROPHETA PERUANO.

NArrat Josephus à Costa Societatis Jesu Theologus *Lib. 2. de novissimis cap. 11.* inventum esse circa hunc annum insignem quendam Theologiæ Professorem illic pro miraculo habitum, qui cùm fœminæ cujusdam diabolicâ extasi mundo illudentis familiaritati sese addixisset, eamq; de profundissimis Theologiæ quæstionibus consuluisset, ab eâ usque adeò dementatus fuit, ut in mentem sibi induceret, se miracula patrare, quam ob causam & ob erroneas propositiones ab eo enunciatas, homines inquisitionis judices comprehensum, & per quinquennium auditum atque examinatum, extremæ tandem atque insolentissimæ superbiæ convicerunt.

1. *Dicebat, datum sibi esse à Deo Angelum, à quo, quidquid vellet, addisceret.*

2. *Se singulari Dei familiaritate gaudere, & cum illo immediatè colloqui.*

3. *Futurum se Regem ac Summum Pontifi-*

cem

cem, translatâ in eas regiones Sede Apostolicâ

4. Se obtinuisse sanctitatem, Angelorum, & Apostolorum sanctitate superiorem.

5. Oblatam sibi fuisse à Deo unionem hypostaticam, se verò illam recusâsse.

6. Se mundi Redemptorem constitutum esse secundùm efficaciam, cùm Christus JEsus tantùm sit secundùm sufficientiam

7. Universum statum Ecclesiasticum abrogatum iri cum omnibus legibus, se verò alias leges faciles & claras conditurum, quibus Clericorum cœlibatus tollendus esset, uxorum multitudo concedenda & confitendi necessitas excludenda.

Denique consideratâ ejus vivendi ratione, observatisque plùs centum ac decem propositionibus erroneis, ad disputationem vocatus est ab ipsomet Josepho Acosta, qui mirari satis non poterat hominis libertatem & eloquentiam. Profitebatur miser, non posse doctrinam suam, nisi Scripturâ & miraculis, demonstrari, utpote omni ratione humanâ superiorem; illam se apertiùs & efficaciùs comprobâsse, quàm S. Paulus Jesum Christum esse verum Messiam comprobâsset: se edidisse miracula non pauca, eaque tanta, ut JEsu Christi resurrectionem adæquent: se quoque mortuum esse, ac redivivum factum, paratum se esse, ajebat, ad patrandum miracula, si vellent, qui aderant. Ad extremum,

cùm Josephus Acosta per biduum disputando nihil cum pervicaci homine efficeret, adjudicatus est igni, & dum ad supplicium educeretur, cœlum semper intuebatur, expectans desuper ignem in inquisitores ac cæteros omnes, prout ei dæmon promiserat, descensurum; verùm illæsis intactisq; omnibus assistentibus, solus ille, qui Regem, qui Pontificem, qui Redemptorem, qui Legislatorem se dicebat, solus, inquam, in ignem conjicitur, & in cineres redigitur.

SÆ-

SÆCULUM DECIMUM SEPTIMUM,

Continens res memorabiles, quæ contigerunt ab anno Christi 1600. ad 1700.

DECAS I.

(Ab anno Christi 1600. ad 1610.)

(1601.)

EUROPA, licèt magnitudine cæteris partibus sit minor (utpotè cujus summa longitudo est milliarium Germanicorum circiter 900, latitudo verò 550.) amœnitate tamen, fertilitate, religione, scientiarum & artium gloriâ, divitiis, urbium copiâ, fortitudine & hominum industriâ omnes reliquas longè superat. Continet ea duo Imperia, Occidentale Romanorum, & Orientale Græcorum olim,

nunc Turcarum: Habet regna plurima ac potentissima, Hispaniæ, Galliæ, Angliæ, Poloniæ Hungariæ, Bohemiæ, Neapolis, Siciliæ, Scotiæ, Hiberniæ, Norwegiæ, Sveciæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Bosniæ, Serviæ, Bulgariæ, Tartariæ minoris, sive Præcopensis, & alia: Sunt in eâ unus Archi-Ducatus Austriæ, & tres magni Ducatus Moschoviæ, Lithuaniæ, Hetruriæ: Respublicæ potentiores quatuor, Venetorum, Genuensium, Helvetiorum & Hollandorum: Ducatus, Principatus, & Comitatus innumeri. Quorum omnium res memorabiles nostro sæculo gestas hoc compendium repræsentabit, à Prietio, Zentiphanio potissimùm & aliis quibusdam fide dignis & approbatis collectum.

ANno post inceptum sæculum primum Clemens instituit Canonizationem S. Raymundi Pennaforti ex Ordine S. Dominici die 29. Aprilis: quo eodem mense venerunt Romam Legati Regis Persarum, in Hispaniam navigaturi, ut Christianos Principes solicitent contra Turcas.

Hispani Hibernos Catholicos classe missâ contra hæreticos Anglos, à quibus opprimebantur, adjuvant, sed fructu exiguo.

Ludovicus XIII. Rex Galliarum nascitur 4. Kalend. Octobris, cui recèns nato pater

pater Henricus IV. gladii capulum dextræ inseruit, precatus, ut eo ad Dei gloriam & Ecclesiæ utilitatem uteretur, quæ vox non optantis, sed ferè vaticinantis fuit.

Carolus Svecus Sigismundi Regis Poloniæ patruus post occupatam Sveciam, Livoniam quoque invadit, sed à Polonis cum strage repellitur, capto ejus filio Notho.

In Anglia Comes Essexius, quo Duce in Hibernia cum Comite Tironio & Hispanis pugnatum [illegible] fuit, jam conjurationis reus factus, Londini capite plectitur.

Insignis quidam Impostor Sebastianum Lusitaniæ Regem (qui anno 1578. in expeditione Africana infeliciter occubuit) tantâ arte se esse finxit, ut etiam quibusdam Principibus imposuerit, & Lusitanorum animos maximoperè excitaverit; qui postmodùm detectus & ad triremes Neapoli applicatus, in Hispania demùm extinctus est.

In Arragonia 14. Junii quædam campana sponte sonat, futurorum malorum prænuncia.

Ostenda urbs Flandriæ maritima ab Ordinibus Batavicis detenta ineunte Julio ab Alberto Archi-Duce obsideri cœpta, quæ in tertium annum fortissimé restitit, quia

obsessis mare claudi non potuit, per quod semper commeatum, novumque militem receperunt, emissis defessis & vulneratis.

RAMI CALVINIANÆ ET LUTHERANÆ HÆRESIS, INITIO SÆCULI Decimi septimi pullulantes.

METAPHORISTÆ. *Sic dicti, quia docuerunt, Filium Dei non esse propriè Verbum aut imaginem Patris, sed tantùm metaphoricè: Inter hos Metaphoristas fuit præcipuus unus Daniel Chamierius Monlienſis Minister, qui non tantùm titulum Verbi Divini JEsu Christo eripere, sed & affirmare ausus fuit, Christum in infantiâ suâ cum Matre suâ ineptivisse, sicut & alii ineptire solent, adeò nimirùm blasphemus iste in ordinem purarum creaturarum redigit Filium Dei, ut inter filios hominum ineptientes numeret: Similes ineptas metaphoras adhibent in explicandâ Eucharistiâ, apud quos sumptio Eucharistiæ non est nisi metaphorica tantùm comestio. Fuit porrò Chamierius homo eloquio facundus, neq; indoctus, sed ambitiosissimus æquè & seditiosissimus rabula, qui nunquam non turbas concivit, ubi illum adesse contigit, bellum continuò ac cædes intonans, donec anno 1621. in civitate Montalbanâ dum fœriis maledicendi Regem Ludovicum, qui tunc obsidione urbem cinxerat, planè efferatus ad urbis muros deferretur, ut milites in rebellione obfirmaret,*

ret, in ipso muro subitò ac fortuitò e castris emisso tormenti æneiictu, fædissimam animam, iras & flammas spirantem, priùs evomuit, quàm ictum in ptnguissimo abdomine sensit.

ANTI-PURITANI *Sunt Angli quidam, Protestantes, qui cùm ad Luthero-Calvinistarum classem pertineant, Puritanos ne de nomine quidem vel nôsse, vel audire volunt, quibus tamen magna necessitudo intercedit, cum Laicocephalis superioris sæculi in Anglia pro Pontifice Ecclesiæ Universalis Capite rejecto, Laico Regi aut Reginæ tanquam Capiti in omnibus etiam ad Ecclesiam & religionem spectantibus sese subjicientes.*

PSEUDO-IRENICI, seu FALSI PACIFICATORES, aut PACIFICI, *Sic dicuntur omnes illi, qui pacis aliquod studium præseferunt, & primo intuitu propiùs ab Ecclesiâ Catholicâ abesse videntur, & ad ejus gremium faciliùs, quàm cæteri errantes posse reduci, qui non tam malitiâ & obfirmatione, quàm ignorantiâ & naturali quâdam animi simplicitate ac facilitate suam istam pacis speciem suffulciunt. Verùm in hoc tempore, si ignorantiæ præponderet malignitas, hic error omnium ferè errorum pernicioſissimus est; tales enim cum immaculatâ veræ Ecclesiæ veste putida hæreticorum panniculamenta consuunt falsæ pacis prætextu. Sic docent aliqui Pseudo-Irenici Calvinistæ, Ecclesiam*

Calviniſticam non eſſe alienam à Catholicâ, fidei veritatem nullis dicunt eſſe permixtam erroribus, & ipſam Eccleſiam de veritate judicare, interpretari, ſcripturas explicare poſſe ac debere: Fatentur etiam præter Scripturam admittendas eſſe Traditiones & plura ſimilia cum Catholicis communia loquuntur, ſed non cum animo Catholico, fucatam tantùm pacem fabricantes in incude ſimulationis, & mendacii, & fraudis, ad quos pertinet illa Dei O. M. apud Jeremiam querimonia: Et curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia dicentes, Pax, pax! & non erat pax, confuſi ſunt, quia abominationem fecerunt, quin potiùs confuſione non ſunt confuſi, & erubeſcere neſciérunt, quamobrem cadent inter ruentes, in tempore viſitationis ſuæ corruent, dicit Dominus. *Jer. 6. c. v. 14.*

ARMINIANI *Nomen obtinuerunt ab Arminio Calviniano, Theologiæ in Academiâ Leidenſi Profeſſore, qui in multis à Calviniſtis diſcrepavit, in eo tamen concors fuit, quod eſſet Pontificiæ Sedis hoſtis infenſiſſimus.*

WORSTIANI *à Worſtio Steinfurtenſis Eccleſiæ Calviniana miniſtro primario & poſteà in Leidenſi Univerſitate primario Profeſſore.*

1. *Blaſphemat Worſtius contra ſimplicitatem Dei, in eoque admittit principium aliquod mutabilitatis, quod ait eſſe voluntatem Dei, cujus reſpectu modò hæc, modò illa facere poſſit.*

2. Bla-

2. *Blaſphemat individuam Dei magnitudinem, & reprehendens S. Auguſtinum, quòd Deum dicat magnum ſine quantitate, hæc adjungit:* Mirum videtur eſſe parodoxon, Deum ſic omnis quantitatis expertem eſſe, ut totus ſit ſubſtantialiter in re qualibet, etiam minimâ, itaque etiam in antro ſcarabæi, aut in apice unius pili; hoc enim eſſet, magnam & ampliſſimam Dei eſſentiam in anguſtum cogere, ſive ex maximo & immenſo Deo minimum facere.

3. *Blaſphemat infinitatem Dei, immenſitatem & immutabilitatem, de quibus omnibus valde blaſphemas propoſitiones editas à Worſtio, oſtendit Gualterius in* Collatione veterum errorum cum novis Calvinianis.

Et mira res, & magis ridicula concordia Calviniſtarum, quàm concors Sampſoniacarum vulpium colligatarum unio, reperiri multos inter Calviniſtas, quales erant Steinfurtenſes Comites & Ordines Belgii confœderati, qui Worſtium tanquam incomparabilem Calviniſticæ prætentæ religionis Atlantem in cœlum efferunt, & eſſe econtra (quales Angli fuerunt) à quibus Worſtius expulſus eſt, qui linguâ & calamo eum dilacerant, monſtrum horribile, peſtem crudeliſſimam, blaſphematorem, ſchiſmaticum, hæreticum, Judæum, Turcam, Ethnicum, Atheum cognominantes.

Sic nimirùm spiritus mendacii loquitur in ore Prophetarum suorum, sic sibimet consonat in tubis suis.

SIBANDRINI *Dicti à Sibandro Lubberto, uno ex rigidioribus Calvini sectatoribus, qui inter alia blasphema insuper asserere ausus est:*

1. *Christum non incessisse eâdem virtutis ac sanctitatis viâ, quam nobis monstravit.*

2. *Christum non esse adeptum eam felicitatem, quam aliis promisit.*

3. *Christum velle, ut omnes firmiter credant se electos esse, licèt hoc falsum sit.*

4. *Fidem unam, quatenùs una est, nullo modo nobis imputari ad justitiam.*

5. *Eandem fidem non esse, saltem juxta Pontificios justitiam nobis inhærentem.*

6. *Pœnitentiam esse simpliciter posteriorem justificatione.*

✠(1602.)✠ Exoritur hoc anno ingens controversia de auxiliis gratiæ inter PP. Societatis JEsu, & PP. Dominicanos. Instituuntur proinde hac de materia coram Pontifice & Cardinalibus acerrimæ disputationes, deputatis ex utrâque parte viris exquisitissimis, doctissimis, ac simul religiosissimis ardore summo, sed & labore sumo, quæ postea duravit non anno uno, nec sub eodem Pontifice, nec ab iisdem Doctoribus; cunctis tamen decisioni Pontificis sese submittentibus. Rex

Rex Æthiopiæ cum ſuis avidè accipit fidem Romanam quam eidem prædicabat, & declarabat P. Paëtz Societatis JEſu.

Henricus IV. Rex Galliarum edictum in duella promulgat, quibus intra paucos menſes quatuor virorum nobilium millia ſublata eſſe ferebantur.

Dux Mercurius magnâ gratulatione à Rudolpho Imperatore exceptus ob rem præclarè geſtam contra Turcas in Hungaria redire parat in Galliam, ibi idoneum equitatum conſcripturus, ad domandos Turcas, Norimbergæ acutâ febri correptus interiit. Auditâ ejus morte Ottomanni Albam Regalem receperunt, Chriſtiani vice versâ tentârunt Budam, ſed huic oppoſitum Peſtum duntaxat obtinuerunt cum ingenti prædâ Germanorum, & majori gloria Caroli Gonzagæ, Ducis Nivernenſis, qui fortiter hîc depugnans illuſtri plagâ vulneratus eſt.

In Galliâ Carolus Gontaldus Dux Bironius Par & Mareſchalius Franciæ vir audax & inquietus conjuratione in Regem detectâ publicè capite plectitur: Bullionius autem Calvinianus fugâ elabitur Heidelbergam ad Palatinum, ubi Proteſtantium operâ anno 1606. Henrico reconciliatus eſt. Carolus quoque Valeſius, Caroli

IX. nothus ejusdem conspirationis reus conjectus est iu carcerem, sed inde dimissus & veniâ donatus, mox post biennium iterùm conjurationis postulatus in Bastilia annis 12. detentus, carcerem suum mutavit in scholam, ex qua exiit doctior & sapientior.

✲(1603.)✲ Elisabetha Angliæ Regina, sicut vixerat, ita & moritur, diversissimarum sectarum mater & nutrix, die 4. Aprilis, anno ætatis septuagesimo, fœmina egregiis à naturâ dotibus ornata, nisi eas astutia, & hæresis, & atrox odium ac crudelis insectatio Catholicorum fædâsset. Successit ei tam jure sanguinis (quippe Margarithæ pronepos, quæ Henrici VIII. Regis soror major fuit) quàm ex testamento Elisabethæ Jacobus ejus nominis Scotiæ VI, & Angliæ I. Rex, qui se Regem majoris Britanniæ nominavit, eò quòd totam Insulam ditione complecteretur, quæ vix unquam hactenùs unicum Dominum passa erat. Parentes Jacobus habuit Catholicos, & matrem propè Martyrem, ut planè mirùm videri possit, voluisse illum & hæresin sectari, & Catholicos insectari. Confestim verò ùt ex Scotia in Angliam venit, pestis sæviissima totam Angliam pervasit, magnâ hominum

rum mortalitate, & in eum ac ejus progeniem detecta est conjuratio, cujus auctores viri illustres partim supplicio affecti, partim perpetuis carceribus damnati fuêre.

Post adventum porrò hujus Regis celebratum est in Angliâ eodem adhuc anno Londini conciliabulum à ministris Anglicanis, in quo editi sunt 141. canones, quorum omnium primo confirmatus est Primatus Regis etiam in rebus Ecclesiasticis & auctoritas supremi Capitis Ecclesiæ: cæterorum autem canonum tam exiguus est valor apud Calvinistas (pro libitu suo aliis tenaciter iis adhærentibus, aliis prorsus adversantibus) ut verisimiliùs sit dicere, Babylonicæ turris structores fuisse in confusione linguarum factâ unanimes, quàm Calvinistas in hoc conciliabulo in fidei & confessionis suæ Calvinianæ unionem coaluisse.

In Gallia quoque Vapinci in Delphinatu in mense Octobri celebratum est conventiculum Calvinianorum, præside Daniele Chamerio ministro Montiliensi, in quo inter alia egregii illi Theologi statuerunt, baptismum infantium à Proponentibus collatum (*Proponentes* vocant ministerii candidatos, qui in procinctu sunt, adipiscendæ manuum impositionis) nullius esse

esse valoris, ac proinde à Ministris ipsis reiterandum. Inseruerunt in eodem conciliabulo congregati illi Patres (secundùm carnem scilicet, non autem secundùm spiritum *Patres* appellandi) Confessioni suæ hunc novum articulum: *Romanum Pontificem esse ipsissimum Antichristum*: Tam parum scientes Christum, quàm Antichristum. Irritatus illorum effronti impudentiâ Henricus Rex Christianissimus, severissimè prohibuit, ne quid ejusmodi suis scriptis impudentissimi homines divulgare aut garrire præsumerent.

In Hungaria Christianus exercitus, Duce Colnitio Turcas prælio profligat, & Christiani Hatuanum recipiunt.

Moyses Siculus Arianæ sectæ Turcarum copiis Transylvaniam occupat, & Catholicam fidem ibidem evertere conatur, sed à Georgio Basta, Cæsarianarum copiarum Duce iteratò profligatur, ac tandem interimitur.

Constantinopolitani tumultuantur, & cubicularii Mahometis tanquam auctores malæ administrationis interficiuntur; & Mahometes III. paulò pòst extinguitur peste, cui Achmetes annum ætatis decimum quartum ingressus succedit.

Hoc quoque anno in Hispania mortua

est

est pientissima fœmina Maria, Caroli V. Imperatoris filia, Maximiliani II. olim uxor, & Rudolphi II. ac Mathiæ Imperatorum mater.

✲(1604.)✲ Henricus IV. Rex Galliarum hoc anno Petrum Cotonum Jesuitam sibi à confessionibus & concionibus accivit, quem filii sui instar dilexit, & ùt patrem coluit, multis licèt contranitentibus, nec multò pòst Societatem JEsu, quam (uti sæpe professus est coram testibus omni exceptione majoribus) impulsus calumniis hæreticorum & malevolorum Catholicorum ex Franciâ ejecerat, postliminiò receperit in regno & pectore, eamque sic deinceps amavit, & tantis cumulavit beneficiis, ut tam inexpectatã tanti Principis benevolentiam & gratiam non uno tantùm exilio redimendam judicarent. Hanc autem hoc anno non tantùm in quatuordecim urbibus Franciæ restituit, sed & in palatio suo, & in incunabulis suis Flexiæ collocavit, ubi Collegium sic ditavit, & rebus omnibus instituit, ut nullum statutum sit in hoc regno magnificentiùs, & quod conditoris sui pietatem cum munificentiâ conjunctam nobiliùs eloquatur. Jussit insuper anno sequenti infamem illam pyramidem excitatam in areâ domûs

Petri

Petri Castelli perduellis non tam ad percussoris, quàm Jesuitarum innocentium ignominiam disjici, ut sic publicum exhiberet innocentiæ eorum testimonium. Quod Regis æquissimi judicium omnibus Senatûs-Consultis prævaluit: Voluitque Rex ita confringi infamem pyramidem, ut nec littera legi ultrà posset

Mauritius in Belgio dum fingit ferre suppetias Ostendæ, quam premebat graviter Ambrosius Spinola Genuensis, Dux sui temporis belli peritissimus, Sluſas vicinum oppidum capit, ut jacturam Ostendæ resarciret. Dedita est ergò Ostenda, XI. Kalend. [illegible] obris, cùm totos 39. menses tenuisset obsidio, neque jam urbs videretur, sed urbis cadaver sine domibus, ac propè sine solo. In ea obsidione 150. hominum millia periisse, uno mense quinquaginta millia globorum ex majoribus tormentis explosa esse perhibentur. Tanta fuit Belgarum in unius oppidi propugnatione & oppugnatione pertinacia.

Pax inter Anglos & Hispanos coalescit, neq; tamen aliter Catholici beneficio pacis fruuntur in Angliâ, quàm quòd carceribus quidem dimissi fuerint Sacerdotes, si tamen vel redirent, vel auderent denuò Sacramenta administrare, & Missam facere, multò graviùs plecterentur.

Turcæ

Turcæ receperunt hoc anno Peſtum atque Hatuanum, loca panico metu à præſidiariis Chriſtianis deſerta.

Stephanus Bockaius Tranſylvaniam invadit, & magnam ejus partem ſibi appropriat, adjuncto Bethlemo Gabore contra Cæſarianos audacior effectus.

Carolo Sveco jam antè contra Sigiſmundum Regem legitimum electo Regi, Sveci hoc anno regnum plenariè ejuſque hæredibus maſculis confirmant.

✲(1605.)✲ Clemens VIII. obiit pientiſſimè, poſtquam annis 13. & 30. diebus Eccleſiam ſanctiſſimè gubernâſſet, cui ſubſtitutus eſt Alexander Medicæus Cardinalis, dictus Leo XI Sed hoc intra paucos dies mortuo, eligitur in Pontificem Camillus Brugheſius Senenſis Cardinalis, dictuſque eſt Paulus V., ſub quo controverſia inter Patres Societatis JEſu & Patres Dominicanos de gratiæ auxiliis & libero arbitrio ſub Clemente agitari inchoata, ita compoſita eſt, ut liberum eſſet utriqueparti, ſuam in ſcholis opinionem modeſtè tueri ſine alterius condemnatione.

Poloni cruento utrimque prælio profligant Svecum ad Rigam Livoniæ.

Turcæ in Hungaria occupant Strigonium.

In Moſchovia Demetrius frater Theodori

dori Ducis Moſchoviæ adjutus à Polonis ſolium Ducale conſequitur.

In Belgio Spinola plures civitates cum Comite Bucquoio recuperat.

In Hiſpania Philippus IV. naſcitur.

In Tranſylvania Bochajus tumultuatur, & contra Rudolphum Cæſarem arma corripit.

Hoc anno in menſe Octobri tanta fuit eclipſis ſolis, ut multis in locis die velut in noctem converſo, ruſtici & mercenarii deſertis operis fugâ in domos ſe reciperent, & multi mortales turbatas leges naturæ inclamarent.

In Indiâ Orientali Rex Serræ Leænæ, & duo ejus fratres ac quatuor liberi baptizantur à Balthaſare Barreira Societatis JEſu.

In Anglia Londini detegitur conſpiratio pulveraria contra Regem & Parlamentum inita, quâ Robertus Catesbius & Thomas Percius Angli nobiles cum pluribus aliis, iiſq; fermè omnibus Catholicis conjurârunt Regem Jacobum & pleroſque Angliæ Proceres tormentario pulvere efferre & excutere; & extuliſſent, niſi, patefactis mirabiliter eorum conſiliis, Deus oſtendiſſet, veram ſinceramque fidem non augeri hæreticorum ſanguine, ſed Catholicorum

corum. Inter cæteros etiam captus est Henricus Carnetus è Societate JEsu Sacerdos septuagenarius, & suffocatus atque dissectus, quòd (ùt ipsi rei conjurationis fassi sunt) hujus conjurationis notitiam acceperit in pœnitentiæ Sacramento; & non manifestaverit, quamvis id auctoribus omnibus modis dissuaserit. Ejus ex dissecto corpore sanguinis gutta in spicam tritici decidens ejusdem veram effigiem cum corona & cruce ad vivum miraculosè depinxit, quare à plerisque pro Martyre cultus est, utpotè quem Deus ipse tanto miraculo depinxisset.

✲(1606.)✲ Pontificem inter & rempublicam Venetam gravis exoritur lis ob quædam jura, quæ sua esse ajebat Paulus & Senatus negabat, eoque res processit ut universus status Venetus subjiceretur interdicto. Impedivit tamen Senatus ne id ex juris formulâ innotesceret, quod tamen resciri cum viri aliqui religiosi misso Romam nuncio voluissent recessêre Venetiis, inter hos ad observantiam exhibendam sedi Pontificiæ excesserunt etiam Patres Societatis JEsu, propterea in illos, omissis aliis, editum est atrox decretum à senatu ne unquam de iis revocandis agere fas esset in senatu.

Idem

Idem Paulus V. Pontifex decreto inhibuit hoc anno disputationes institui & libros scribere de controversia inter PP. Dominicanos & PP. Societatis de utriusq; partis opinione circa auxilia gratiæ, sed eas prohibitiones Janseniani magno Ecclesiæ damno violavêre, atque ut confutari possent, Catholicos ut idem facerent propè nolentes coëgerunt.

Demetrius magnus Dux Moschoviæ sub prætextu quod Polonis faveret, & cum Pontifice ac Jesuitis de mutanda religione egisset, à suis trucidatur & in ejus locum, quidam Basilius Joannis cognomento Suiskius, subrogatur.

Anglia & Scotia vehementer perturbatur dum novos ritus Anglicos Rex Jacobus in Scotiam vellet inducere.

In Polonia quoque hæretici in Sigismundum Regem conspirant, parati eum exauctorare, nisi quibusdam articulis valde absurdis subscriberet, quos tamen Rex Magnanimus fortiter rejecit, & Ecclesiæ, Catholicæ honorem quantum potuit pro viribus defendit, etiam armis, quibus demum ferociam perduellium compescuit & domuit.

Moritur hoc anno Lovanii Justus Lipsius magnum litterarum reique Christianæ decus & ornamentum. 1607.

✲(1607.)✲ Lis Veneta magni momenti & quæ vergebat in ſchiſma hoc anno ab Henrico IV. Rege Galliæ compoſita eſt per Cardinales Joyoſam & Perronium, quanquam autem peteret Joyoſa & urgeret Pontifex & Henricus, ut Jeſuitæ reciperentur, id tamen impetrare non potuerunt, Venetis paratis potiùs ejurare Pontificem & cum eo omne fœdus quàm hos admittere; itaque aliquamdiu adhuc iræ & tempori cedendùm fuit; & ſufficiebat tunc à ſchiſmate tam illuſtrem rempublicam ſervare.

Donaverda civitas Imperii Lutheraniſmo infecta & nidus hæreticorum, inſurgit contra Catholicos & Abbatem S. Crucis Sacerdoteſque Catholicos in quadam proceſſione valde petulanter & malè tractat, ideoque ab Imperatore proſcribitur & à Maximiliano Duce Bavariæ, annuente Cæſare, occupata ſuâ libertate privatur.

In Polonia hæretici iterum contra Regem rebellant, iterumque vincuntur.

Carolus Svecus contra Sigiſmundum electus & jam inauguratus, huic etiam Livoniam eripere tentat & fædè eam devaſtat. Jam tamen minùs timendus, quia hoſtis denunciatus, neque par fortitudine Sigiſmundo.

In

In Belgio jacta sunt fundamenta pacis inter Albertum & Belgicos Ordines, quando ille jussus est, ut cum his tanquam cum libera republica ageretur. Factis induciis per octo menses, quibus mirum est quàm oblectati sint heterodoxi.

Deniqúe hoc anno mortuus est anno ætatis sexagesimo nono Cæsar Cardinalis Baronius, quem Centuriatorum licentiæ & fraudibus Deus objecit, unum omnibus parem gladiatoribus Centuriatis: fuit is magnæ eruditionis, sed sanctimoniæ excellentioris, qui eodem ardore summum Pontificatum à se depulit, quo alii sæpe prensant.

✠(1608.)✠ Sigismundus Ragockius Transylvaniæ sponte cedit, tot labores ac turbas pertæsus: Eamque sibi vendicat Gabriel Battorius, & quanquam piè & Catholicè educatus, defecit tamen ad hæreticos, & Turcis simul sese subjecit.

Romam ad obsequium Sedi Apostolicæ præstandum veniunt Carolus Gonzaga, Dux Nivernensis nomine Henrici IV. & Legatus Regis Congi.

Pax inter Hispanos & Batavos nequit coalescere, quòd illi hos ab Indiis arcere volebant, quod tamen maximè hi intendebant. Qui etiam hoc anno Legatos recepêre

cepêre à Rege Sionis seu Siami potentissimo, qui bellatorum 300. millia habebat, ac bis mille elephantos, & cui quinque Reges parebant; tantæ erant jam tum Batavi apud Indos æstimationis.

Rudolphus Imp. & Mathias Archi-Dux inter se dissident, & ventum esset ad arma paratis jam utrinque copiis, nisi Legato Pontificio interveniente Rudolphus pacis amantior cessisset Archi-Duci.

Paulus V. Pontifex S. Franciscam Romanam refert ritu solenni in numerum Sanctorum, & Ordinem Equitum Sanguinis Christi à Vincentio Mantuæ Duce institutum confirmat. Ordo quoque Equitum S. Mariæ de monte Carmelo ab Henrico IV. Galliarum Rege restauratur. Hi Equites debent esse numero centum, & uxores ducere possunt, eorumque ornatus illustris est & pius, quique semper eos admoneat de cultu B. M. V. & ejus patrocinio.

✲(1609.)✲ In Germania Protestantes bellum contra Cæsarem & Catholicos movent, seque *Correspondentes* dicunt; Catholici vicissim fœdus inter se ineunt, quod Ligam Catholicam vocant.

Ad Instantiam Henrici IV. Galliarum Regis Patres Societatis JEsu anno p æce-

dente Constantinopolim missi, hoc anno Galatæ stabile Collegium à Turcis accipiunt.

In Persida fides Catholica propagatur, & Rex Persarum legationem ad Pontificem Paulum V. mittit. Debebatur hic fructus Goënsi Archi-Episcopo Alexio Menesio Augustiniano, cum Ordinis ejusdem viris egregiis, quibus se Carmelitæ Discalceati conjunxêre.

Dux Juliacensis & Clivensis Guilielmus absque prole moritur, cujus hæreditatem prensant Marchio Brandenburgicus & Dux Neoburgensis: illum armis adjuvant Lutherani, huic Principes Catholici opitulantur.

Iterum ad annos duodecim induciæ fiunt inter Batavos & Hispanos, quia pax componi non poterat.

Rex Poloniæ Sigismundus Carolum Svecum fortiter arcet à Livonia & aliquot arcibus captis sæpiùs profligatum victumque fatigat.

Similiter & Moschis, quos accerimos adversarios Sveco confœderatos habuit, præclarè resistit, & Schmolenskum obsidet.

Mauri conjurationis rei & pervicacis impietatis totâ Hispaniâ exesse jubentur, expul-

expulsíque sunt anno sequenti novies centena millia.

Austriacis, Bohemis, Silesiis, religionis libertas permittitur, magno Provinciarum illarum malo, uti eventus docuit.

✲(1610.)✲ Post plura hostiliter acta prætensores Ducatûs Juliacensis & Clivensis tandem depositis armis rem totam committunt dirimendam judicibus delegatis, Coloniam in hunc finem convocatis.

Paulus V. in Sanctorum numerum refert S. Carolum Borromæum.

Ordo Monialium Visitationis Beatissimæ Virginis Mariæ à S. Francisco Salesio instituitur.

Polonis hic annus extitit felicissimus, reportatis variis de Moscho victoriis.

Philippus III. Hispaniarum Rex, rogatus suppetias à Xequo Seripho adversùs fratrem suum Zidanum, accepit Larachiam, munitissimum Africæ propugnaculum, atque Hispanis hactenùs perinfensum, quod satis magnis auxiliis non poterat redimi & vendicari.

Henricus Franciæ & Navarræ Rex Christianissimus dum jam à multis annis altam prudentiâ suâ ac vigilantiâ toto regno pacem conservâsset, & paulò antè motus quibusdam secretis rationibus, florentissi-

mum & omnibus rebus ad magnam expeditionem instructissimum exercitum comparâsset, quo metum cunctis Principibus injecit, ignaris, quò tandem tanti apparatûs moles se verteret, in ipso ferè procinctu, postquam die 13. Maji Mariam conjugem solennibus inaugurationis ritibus ingenti pompâ apud Santdyonisium coronâ Regiâ insigniviſſet, dum postridie per urbem Lutetiam contemplaturus magnificentissimum apparatum, quo Reginam de more regiam urbem ingredientem exceepturus esset, rhedâ vectus obambularet, à sicario perdidissimo, vili Ludimagistro Francisco Ravalliaco Inculismensi intra ipsam rhedam, ictu cultri gemino, sinistro lateri ad regionem cordis illato, perimitur 14. Maji, anno ætatis 57, regni 21. nondum absoluto. Sic periit Henricus IV. verè *Magnus* totius Orbis consensu cognomi natus. Cor Regis ex ipsius olim decreto consignatum est Patribus Societatis JEsu deferendum ad Collegium Flexianum ab eo regiè fundatum, & corpus solenni pompâ ad Mausoleum Santdyonisianum. Ex percussore nihil extortum acerbissimis quæstionibus, nisi, illum insaniisse; in eum nihilominùs resinâ, plumbo, sulphure, forcipibus candentibus, equisque decus-

satis

satis sævitum est: obtulerunt etiam se laniones Parisienses ad eum vivum excoriandum, sic ut ei vita ad subeunda reliqua tormenta supereſſet: sed laudato eorum in Principem suum amore, pœna rejecta est, quæ barbaros superet: Supplicium tamen hujus instrumenti atrox & Sathanæ tale fuit: Primò forcipibus candentibus inustæ sunt illi mammæ, brachia, femora, ac suræ; manus dextera cultrum tenens parricidii abominabile instrumentum, igne sulphureo concremata est: in partes forcipibus inustas, plumbum liquefactum, oleum fervens, ac resina accensa infusa est, quibus peractis corpus ejus à quatuor equis distractum, membra igne consumpta cum corpore, & cineres in ventum dispersi; bona fisco adjudicata, domus funditùs eversa, parentes in exilium amandati, & nomen mutare jussi, ad perpetuam tanti facinoris memoriam sepeliendam.

Statim parenti suo Henrico succeſſit Ludovicus XIII., qui deberet esse XVI. quia qui primâ Regum stirpe Merovingiâ tres Clodovæi regnârunt, iidem sunt Ludovici, sive Hludovici, aut Hludovei apud priscos auctores nuncupati, initio tamen sumpto à Ludovico Pio Rege & Imperatore filii Caroli Magni, ut plerumque sumitur

mitur, hic XIII. dicendus est!, qui dum patri successit, annum ætatis nonum necdum adimpleverat, unde regni administratio collata est Reginæ ejus matri, donec filius adolesceret, qui interim Octobri sequenti Rhemis inauguratus & Chrismate inunctus est à Cardinale Jojeusio, qui eundem etiam baptizaverat.

Illicò post mortem Henrici, & sub initium regni Ludovici iterùm cœpti sunt Jesuitæ à malevolis exagitari, & flammis addictus est Joannis Mariani liber de Rege & Regis institutione, interdictus est Roberti Cardinalis Bellarmini tractatus de potestate Romani Pontificis; sed impedita est edicti promulgatio, & de emisso edicto Romæ se Regina purgavit. Tum quoque cautum est deinceps prudenter à Societate JEsu, ne quis imposterùm scribendo, libros edendo, aut theses proponendo in hos lapides impingeret. Ludovicus tamen, quidquid contra Societatem adniterentur adversarii, edicto suo Patrum innocentiæ prospexit, neque passus est calumnias & invidiam adversùs veritatem & scientiam prævalere.

†

SE-

SECTÆ DIVERSÆ, LUTHERI ET CALVINI MONSTROSI ABORTUS Circa hæc tempora in Hollandia nati.

GOMMARISTÆ *à Gommaro dicti, qui in Conciliabulo Hollandico inter alios ministros convocatos anno 1608. suos quoque errores propalavit: Primus fuit, posse hominem perire defectu misericordiæ divinæ.*

2. *Deum solâ suâ voluntate, hoc est, nullâ habitâ peccati ratione, quorundæm reprobationem absolutè decrevisse.*

3. *JEsum Christum non pro omnibus esse mortuum.*

4. *Hominem non posse divinæ gratiæ resistere.*

5. *Eos, qui semel crediderunt, non posse suâ culpâ & ingentibus peccatis Dei gratiâ excidere.*

Hos articulos Gommarus postmodùm audaciùs proposuit in nationali synodo Dordracena, in quâ Gommaristæ fortiores omnes Arminianos, Arminii asseclas, & cujus in Lugdunensi cathedra Gommarus antecessor erat, excommunicârunt & deposuerunt. Fuerunt sibi porrò Arminiani & Gommaristæ infensissimæ duæ sectæ, libellis huc illucque discurrentibus, & militibus armis, calamis scilicet & ensibus consertis, captis utrimque urbibus, tumultibus magnis, prœliis & internecionibus infames & detestabiles.

HADRIANISTÆ *Dicti ab Hadriano Bungensi, qui sub idem tempus aliam incedens viam (quanquam etiam dolosi Cerastis adinstar) ad Arminianos propiùs, quàm Gommaristas accessit, & sequentes errores sparsit.*

1. *Peccatum originis non esse peccatum, sed tantùm occasionem peccati.*

2. *Magnam Dei misericordiam nihil esse, nisi solam boni occasionem, quam homines admittere possunt, aut rejicere.*

3. *Fidem per misericordiæ virtutem esse proprium hominis opus.*

4. *Dei quidem prævisionem esse, Deum omnia prævidere, non operari tamen in hominibus aut personis particularibus, quas in consilio seu libero arbitrio suo reliquit.*

5. *Fideles aut credentes filios Dei posse in hac vita perfectè mandata Dei adimplere, licet id non præstent.*

6. *Posse filios Dei cadere, & gratiâ ac salutari misericordiâ excidere, & sic damnari.*

7. *Justificationis apud Deum causam originalem esse JEsu Christi passionem, obedientiæ tamen opera esse primam hujus justificationis originem.*

CORNARTISTÆ *Nomenclaturam suam acceperunt à Theodoro Cornartio, Comitiorum Hollandicorum Secretario, quo licèt vitâ functo anno 1595. ejus tamen hæresis superstes latè per*

Hollan-

Hollandiam grassari cœpit circa hæc tempora. Præcipuus ejus error erat in abnegando peccato originali.

DE PSEUDO-MICHAELE THURINGIO.

IN urbe Langensalz Provinciæ Thuringicæ Ludirectoris Langensalzensis filius fuit, & Ezechielis Medenensis nomen sibi assumens, matrē insuper, quæ Barbara dicebatur, mutato nomine, appellans Mariam de Meden, consociatis sibi Isaia Christi, & Nicolao Grosgolt, unà cum duobus pueris inusitata deliramenta promulgavit & propugnavit.

1. Se esse magnum illum Principem Michaëlem, aliàs Verbum Dei nuncupatum.

2. Non unum duntaxat esse Verbum DEI, scilicet essentiale æternum & vivum, quod est Christus JEsus, sed & alterum præterea Verbum vocale, scriptum & prædicatum, idque nullius esse momenti.

3. Suam, sociorumq; doctrinam sibi in somno tradi, occultâ revelatione Spiritûs Sancti.

4. Se ipsos legem Dei perfectè adimplere, eique in omnibus satisfacere.

5. Ministerii verbi officium non esse à Deo, quando per homines peccatores exercetur.

6. Baptismum à Lutheranis administrari solitum esse veneficium, cùm verus baptismus per Spiritum Dei perfici debeat.

7. *Filios suos naturâ sanctos esse, & ideò non egere Baptismo, quòd ab ipsis, qui peccati omnis expertes essent, progeniti sint.*

8. *Cœnam in Lutheranis Ecclesiis fieri solitam non esse veram cœnam, sed veneficium, veram autem esse eam, de qua in Apocalypsi:* Ecce sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo.

9. *Ecclesiam Christianam debere in terris esse sanctam, & maculæ expertem, & quod stultissimum fuit, asserebat somniator Isaiam Christi, aliàs cognominatum* Stifel, *esse veram Ecclesiam illum quippè esse unicam Sponsæ Christi veram effigiem.*

10. *Christum in se personaliter atque essentialiter existere, seq; quòd esset* Magnus Princeps Michaël, *suo in corpore eandem carnem gerere, quam Christus in Virginis Mariæ utero sumpserat, & in qua passus sit, eâque ratione quæcunque ipse faceret, Christum unà cum ipso facere, ac se propterea absq; peccato esse.*

11. *Se cum sociis suis Pseudo-Michaëlistis propter personalem cohabitationem Christi esse immortales.*

12. *Nullam esse resurrectionem mortuorum, nullam vitam æternam; sibi quidem & asseclis suis Pseudo-Michaëlistis semel moriendum esse, Christum verò ipsis pollicitum esse, fore ut in suis veris*

veris corporibus vitæ æternæ gaudio perfectè fruantur. Sic Pseudo-Michaël ille Lansalzheimensis Ludi-Magistri filius delirabat: Quod ubi Dresdense Consistorium cognovit, comprehendi hominem, adducique jussit unà cum sociis: interrogatus autem à Consistorio, Scripturæ sacræ testimonio sese tuitus est: Demùm jubenti Præsidi Consistorii, ut aliqua miracula ederet, ad conciliandam suis dictis fidem, superciliosè respondit: Generatio nequam signum quærit, & non dabitur ei. Quid de hoc phantastico Michaële tandem statutum sit, aut quò devenerit, non reperitur.

DE ARTICULIS BRANDENBURGICIS.

ANno 1614. mense Februario Elector Brandenburgensis, cùm Lutheranos & Calvinistas suæ ditionis assiduis contentionibus tam ultra, quàm citra Oderam digladiari cerneret, jussit cunctos suæ ditionis ministros Evangelium deinceps juxta Confessionis Augustanæ, ejusdem apologiæ correctionem prædicare, constitutis sequentibus articulis.

1. Primus est, imagines è suis templis exterminandas.

2. Altaria demolienda, & in eorum locum die cœnæ mensas ligneas substituendas, eas quidem panno nigro, albâque mappâ coopertas.

3. Statuas & cruces rejiciendas.

4. *In locum hostiarum die cœnæ tostis panis frustulis utendum in longiora frusta dissectis, quæ in pelvi, discovè majori cœnam susceturis offerantur : hi verò panem suis manibus sumant, frangant & comedant.*

5. *In cœnâ calicibus utendum non esse, sed pateris & scyphis.*

6. *Nullas preces ante collectam fundendas esse.*

7. *Superpelliceis utendum non esse,*

8. *Neq; candelis.*

9. *Nullum linteum aut umbellam iis, qui se ad sumendam cœnam offerrent, superponendam.*

10. *Cœnam sumentibus nequaquam flectenda esse genua, tametsi in ea Christus existeret.*

11. *Nullum crucis signum post benedictionem faciendum.*

12. *Terga ministris minimè vertenda.*

13. *Nec preces, nec Epistolas cani debere, sed legi.* (rem.

14. *Abjiciendam esse confessionem auricula-*

15. *Dum nomen JESU profertur, nec genu flectendum, nec caput aperiendum esse.*

16. *Preces altâ voce, & non submissâ fundendas esse.*

17. *Cœnam ægrotis minimè tribuendam esse, præsertim tempore pestis, ob periculum, quod deferenti imminere potest.*

18. *Amovendos è templis fontes baptismales,*

& in eorum locum subroganda esse vasa manibus abluendis apposita.

19. Nullum in templis epitaphium tolerandum, & nullam Crucifixi imaginem.

20. Reformandum esse Decalogum ac Catechismum

21. SS. Trinitatem nec sculpturâ, nec picturâ planâ repræsentandam esse.

22. Verba cœnæ rectè exponi, intelligique debere.

23. Solitam diebus Dominicis Epistolarum & Evangeliorum lectionem & explicationem abrogandam, legendum verò aliquem Bibliorum textum, & de eo prædicandum esse.

Voluit quidem Brandenburgicus his articulis veluti nodo Gordio unionis Lutheranos & Calvinianos Juæ ditionis conjungere perpetuo nexu concordiæ, sed quo eventu id fecerit, docuit tumultus ille, qui Dominicâ Ramorum anni sequentis in Berlinensi urbe Brandenburgici Electoratûs Principe contigit, ubi Lutherani ad lapides concurrerunt, & Calvinianorũ Theologorũ tum vitreas, tum ligneas fenestras tanto furore confregerunt, ut Gregorius Marchio Brandenburgensis, absente Electore, cùm ad pacandam seditionem ex arce descendisset, non modò operam perdiderit, sed etiam relictis decem ex suis trucidatis retrogredi compulsus fuerit. Plebs verò Lutherana in eorundem Calvinianorum

Theologorum Domos irrumpens libros dilacerârit, & supellectilem expilârit. Nimirùm hi sunt fructus unionis quæsitæ extra Ecclesiam sub uno Capite.

DE PSEUDO-PROPHETA INDIARUM OCCIDENTALIUM.

EO ascenderat nebulonis hujus superbia, ut se Deum terræ, & à Deo cœli missum proclamaret, omnemq; suis sectatoribus impunitatem ac protectionem adversùs Christianos promitteret. Suum ipse venenum atrocissimum post annos paucos, nimirùm anno 1616. in octo Societatis JEsu Religiosos evomuit, quos illis in regionibus ab ethnicis necandos curavit.

DE BRUNISTIS ET BROCHTUNISTIS.

VIgebat circa hæc tempora in Hollandiâ hæc secta à Bruno Calvinistâ ortum & nomen sortita. Brochtunistarum autem secta fuit una ex præcipuis sectis, in quas Calvinismus in Hollandia sectus est: nimirùm Calvino-Papistarum, Puritanorum, Brunistarum, Brochtunistarum Gommaristarum & Arminianorum, quæ omnes ex diversis hæresibus consarcinatam Confessionem præferebant, & hoc solo concordes, quòd veram Catholicam Ecclesiam oppugnarent, sagittis parvulorum ferientes & arietantes, cætera sibi invicem inimicissimæ.

***

DE-

DECAS II.

(*Ab anno Christi 1610. ad 1620.*)

ANNO 1611. Sigismundus Rex Poloniæ Smolenskum biennali obsidione expugnat, & victor in Poloniam redit, Moschoviam mox repetiturus cum filio Uladislao, quem Moschorum plurimi Ducem suum esse exoptabant.

In Sveciâ quoque multi Proceres, mortuo Carolo, raptore illius regni, ad eundem Sigismundum respectant, sed prævaluerunt alii, qui Gustavum Adolphum, filium Caroli patri substituerunt.

Mathias Archi-Dux, concessâ Hungaris libertate exercitii Acatholici, ab iisdem Rex Hungariæ acclamatur, & consensu postea Imperatoris coronatur.

Parisiis inchoatur Ordo sacrarum Virginum S. Ursulæ ad puellas instituendas.

(1612.) Rudolphus II. Imperator cum imperium tenuisset ab obitu Maximiliani Patris annis 35 menses tres moritur vigesimo Januarii Pragæ, ubi se diutius detinuit, bellicis curis & civilibus ob valetudinem impar; In cujus locum Electores

ctores Francofurti convenientes 13. die Junii nominant Mathiam Rudolphi fratrem, Regem Hungariæ & Bohemiæ, qui 24. ejusdem mensis coronatus aulam sedis Cæsareæ Pragâ Viennam Austriæ transtulit.

Gallia & Hispania novo fœdere junguntur conjugii gemini, nempe Ludovici Regis Christianissimi cum Anna Maria Mauritia primogenita Philippi Regis Catholici & Philippi Principis Hispaniarum cum Elisabetha Sorore Regis Christianissimi: missi utrimque legati, & ludi solennes peracti, ipsæ tamen nuptiæ ob minorem partium ætatem dilatæ sunt.

Fridericus Comes Palatinus futurus Imperii Elector mense Novembri venit in Angliam ad conjugium cum filia Regis majoris Britanniæ ineundum, cujus Regis filius major natu Henricus Walliæ Princeps exeunte anno inopinâ morte translatus est; Nuptiæ verò Palatini in Februario celebratæ sunt.

Ordines Batavici cum Achmete Turcarum Imperatore fœdus sanciunt Constantinopoli. Iidem iterum nunc navigationem tentant ad Sinas per plagam Poli Arctici Borealem, Roëslino Duce, sed partim longâ nocte, partim concreto glacie Ocea-

Oceano repelluntur, magnam ſuorum jacturam perpeſſi.

In Tranſylvania graves turbæ ab Andrea Giezio excitantur, qui Principatum ſibi ab Achmete contra Battorium Impetravit, Battorio interea ſub Mathiæ Cæſaris tutelam confugiente, ab eoque auxilia poſtulante.

✲(1613.)✲ In Anglia triremes Hiſpaniæ & Ducis Hetruriæ, excurſione in Aſiam minorem factâ, multas clades Turcis inferunt, multoſque Chriſtianos captivos eliberant.

Coſacci variis modis Turcas infeſtant.

Danus victoriæ ſuæ curſum contra Svecos promovere ab acerbiſſima peſte in ejus exercitu graſſante prohibetur.

Gabriel Battorius à Gabriele Bethleemo ope Turcarum profligatus ex improviſo trucidatur. Sigiſmundus autem Battorius quondam Tranſylvaniæ Princeps poſt ſæpius depoſitum, & ſæpiùs magnâ animi levitate reſumptum Principatum tandem Pragæ apoplexia moritur.

In Anglia nuptiæ Friderici Comitis Palatini cum filia Jacobi IV. Regis magnâ pompâ & magno gaudio Calviniſtarum celebrantur: ex his enim nuptiis ingentem ſpem conceperunt ſuæ ſectæ per Germaniam dilatandæ. 1614.

✠(1614.)✠ Die 25. Maji Auguſtiſſimæ Trinitati ſacro Sereniſſimus Princeps Wolffgangus Wilhelmus Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, Juliæ, Cliviæ, Montium, &c. Duſſeldorpii ſuperatis propè innumeris atque graviſſimis obſtaculis Lutheranâ hæreſim abjuravit, fidemq; Catholicam maximâ ſolennitate profeſſus eſt, in manibus Rdñi Colonienſis Suffraganei, in templo Parochiali, in quo Decanus Duſſeldorpienſis è concione expoſuit motiva ſeu fundamenta converſionis ſui Principis ab ipſo Principe ſibi tradita: qui deinde unà cum Sereniſſima conjuge ante ſummum Altare piè valde ac religiosè communicavit. Tum ante menſam convocatis omnibus ſuæ aulæ hæreticis altâ conſtantique voce adhortationem habuit, quâ illos ad ſui imitationẽ invitavit, factâ ſingulis poteſtate, alteri ſi mallent deinceps ſerviendi, datoque ad deliberandum octiduo. Horâ verò tertia pomeridiana, Veſpertinis precibus ambo interfuerunt, eiſque abſolutis, ante ſummum Altare ſacroſanctum Confirmationis Sacramentum Dux à Reverendiſſimo Suffraganeo accepit, audivitque concionem, quam R. P. Jacobus Reihing S. J. de veræ Eccleſiæ ſignis habuit. Mox tamen inter Brandenburgi-

burgicum & Neoburgicam ratione Ducatûs Cliviæ & Montium augentur dissensiones, huic favente, eumque armis juvante Archi-Duce Leopoldo, Duce Spinola: illi autem confœderatis Belgii opitulantibus Duce Mauritio, magnis utrinque copiis instructis fautoribus.

In Gallia motus civiles concitantur, quorum prætextus fuit, quòd Concinus Florentinus factus Galliæ Mareschallus, & uxor ejus Eleonora Reginæ collactanea in aula nimis potentes, neque Procerum atque Principum satis reverentes essent. Itaque secessionem ab aulâ tum fecerunt Principes, Condæus, & Duces Vindocienses ac Nivernenses, Meduanus & Mareschallus Bullionius, qui primùm scriptis, mox etiam armis repugnavêre. Verùm pacem Rex præelegit, qui Principibus reconciliandis omnem operam impendit, & quia Rex tunc annorum 14. regni administrationem susceperat, Comitia Parisiis indicta & celebrata sunt à regni Proceribus. In his Comitiis multa proposita contra præposterâ regni administrationem. Facta etiam est propositio à plebejo, seu, ùt vocant, tertio Ordine, de auctoritate summi Pontificis, sed hæc propositio à Clero & nobilitate adnitente potissimùm Cardinali Perro-

Perronio, qui eloquentissimè contrà peroravit, repudiata est. Deniq; anno sequenti absoluta sunt Comitia sine fructu, in quib⁹ multa congesta, sed pauca emendata sunt.

Aquisgranum ob tumultus excitatos ab hæreticis contra Catholicos à Cæsare proscribitur, & à Spinola occupatur, mulctatis tumultuum auctoribus.

In Japonia instigantibus Anglis & Batavis Cubo Japoniæ Imper: dirissimam in Christianos Catholicos persecutionem instituit.

Favet hic annus Polonis, qui unâ æstate tres exercitus Moschovitarũ profligârunt.

Cosacci Thraciam & Nagajensem Tartariam depopulantur, Bythiniam & Paphlagoniam vastant, Trapezuntum cum portu, armamentario, & 27. navibus evertunt: Sinopem incendunt.

Francofurti seditio inter cives concitata, auctoritate Cæsaris componitur.

✲(1615.)✲ Achmetes Imperator Turcarum cum Mathia Cæsare 20. annorum inducias pacisc itur.

Duæ celebres hoc anno Romæ susceptæ sunt legationes, una remotior ab Idiale Rege Voxu ex Japonia, & altera propinquior à Ludovico XIII. Galliæ Rege. Allatæ etiam sunt Romæ litteræ Gabrielis Episcopi Gangrienſis, in Paphlagonia,

Pri-

Primatum Romani Pontificis agnoscentis.

Mortuo Claudio Aquavivâ Societatis JEsu præposito Generali facta est Generalis Patrum congregatio cui interfuerunt Mexicani, Peruani, Malabarici & ex Goanâ India & ex Regia Sinensi, qui in demortui locum elegerunt Mutium Vitelleschum ex nobili familia Romana omnium digniſſimum jure merito æstimatum.

Ludovicus XIII. Rex Galliæ iter ingreditur ad excipiendam sponsam suam Annam filiam Regis Hispaniæ, & deducendam sororem Elisabetham, ad Philippum Principem. Septembri mense venit Burdegalam, eodem deinde die eâdemque hora ex condicto Dux Lermæus Regis Ludovici mandato, Burgis in Hispania cum Anna, & Dux Guisius Philippi Principis nomine Burdegalæ cum Elisabetha publicè in Ecclesia connubiales cæremonias ministerio sacrorum Antistitum adimplêrunt: Inde Guisius Elisabetham ad limites regni ducens consignavit Hispanis & acceptam ab iis Annam (quam Rex ipse Philippus ejus parens, unicè sibi dilectam, ad ipsos etiam regni limites Comitatus fuerat) Burdegalam ad Regem deducit.

Moritur ad finem Martii Parisiis Regina Margarita Valesia, in qua Valesiorum stirps

stirps Regia penitus extincta est, quæ in Henrico III. regnare desierat, anno 1589. cum in Philippo Valesio cœpisset anno 1328. Hæc porrò Margaritha ab Henrico IV. cui invita nuptiis illegitimis conjuncta fuerat, annuente Pontifice separata, retinuit nihilominus utcunque Reginæ insignia & nomen, quibus & se filiam Regis, & sororem trium Regum, & Regis uxorem meminisset.

Mense Julio in Generali Conventu Cleri Gallicani Parisiis habito, omnium unanimi consensu Concilium Oecomenicum Tridentinum recipitur, & omnes se illud observaturos promittunt, & jurant.

✲(1616.)✲ Uscochis populis Croatiæ partis ad Ferdinandum Archi-Ducem Austriæ pertinentis latrocinia terrâ & mari exercentibus, Veneti quorum commercia gravia incommoda patiebantur, conquesti apud Ferdinandum de Piratis hisce tam molestis, cum non cessarent ab his malis inferendis, ipsi armatâ manu Ferdinandi ditionem invaserunt & clades cladibus fortiter repossuerunt, magno belli incendio exoriente & provincias depopulante.

Batavi numeratâ pecuniâ Flissingam, & alias arces traditas Elisabethæ pro subsidiis

sidiis, recuperant à Jacobo Rege Angliæ.

Fatalis hic annus Turcis fuit, nam in mari Mediterraneo cæsi sunt ab Hispanis seorsim, & iterum à Florentinis ac Melitensibus junctim, in Asia à Persis, in Mæotide à Cosaccis.

In Hungaria Petrus Patzmanni è Societate JEsu fit Archi-Episcopus Strigoniensis & S. R. E. Cardinalis, qui sua auctoritate & doctrina majorem partem Magnatum Regni ad fidem Catholicam reducit.

Tertium civile bellum oritur in Francia Principes inter & Regem adnitente potissimum Concino, qui tum omnia poterat in aula; datus est Henricus Condæus Partium caput in custodiam, primùm in Regio Palatio, deinde in Bastilia. Capto Condæo, qui cum eo faciebant, secesserunt & Rex in eos bellum decrevit.

✲(1617.)✲ Ludovicus XIII. Galliæ Rex edicto jubet in Provincia Benevensi libertatem Catholicæ religionis, & restitutionem bonorum Ecclesiasticorum ante quinquaginta annos ereptorum, & demandat toto regno pecuniam colligi ad Terræ sanctæ subsidium.

Mathias Imperator, cum prole careret, adoptat in filium & hæredem Ferdinandum Archi-Ducem. Erat

Erat autem Ferdinandus adoptionis beneficio digniſſimus, filius natu maximus Caroli Archiducis, fratris Maximiliani ſecundi Imperatoris, cujus illi erant filii. Itaque cum conſenſu Maximiliani & Alberti fratrum Imperatoris, qui & ipſi prole carebant, hunc Ferdinandum legitimè adoptatum ſtatuum ſuorum hæredem & ſucceſſorem inſtituit, qui hoc anno in Comitiis Bohemicis, præſentibus eiſdem, Mathia Imperatore & Maximiliano ejus germano, remque promoventibus, electus eſt Rex, & ſucceſſor Bohemiæ, eâ tamen lege ut adminiſtrationi regni quam diu viveret Imperator Mathias non ſe immiſceret, niſi de conſenſu Imperatoris & Ordinum regni. Coronatus eſt die 29. Junii in feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli: Poſt quæ iidem, Mathias Imperator, Maximilianus & Ferdinandus Dreſdam profecti ſunt, Georgium Saxoniæ Electorem viſitaturi, ubi magnificentiſſimè excepti ſunt.

Rex Ludovicus XIII. Principes ac Proceres confœderatos qui à Rege ſeceſſerant & arma moverant, proſcribit, armiſq; perſequitur: & quia potiſſimæ criminationes à plurimis deponebantur apud Regem contra Concinum Florentinum Mareſchallum Franciæ (cujus ſumma potentia

tentia Confœderatis fuit prætextus dissidiorum) jussit illum in regia detineri cùm de more ad illam accederet, qui tamen non captus, sed cùm capiendus esset, & omnibus modis resisteret, in ipso Regiæ aditu à satellitibus regni occisus est; cujus necem etsi non imperatam, cum tamen Rex approbâsset, Reginamque matrem (cujus favore potentia Concini subsistere dicebatur, eò quòd Concini uxor fuisset collactanea Reginæ, ipsique charissima) tantisper dum omnia pacarentur Blesas secedere rogâsset, continuò Principes confœderati ad ipsum rediêrunt, veniam sumptorum absque Regia licentia armorum deprecantes. Corpus Concini post sepulturam à plebe exhumatum, fædè laceratum, ac combustum est. Conjux autem diversorum & ipsa criminum accusata, senatûs decreto capite plexa, corpus igne crematum, & sic toti Regno tranquillitas restituta est, detento tamen adhuc Principe Condæo in custodia.

Moritur Achmetes Turcarum Imperator succedente eidem Osmane filio.

Abassus Persarum Rex aliquot Christianos Principes ad suum Mahumetem frustra pertrahere conatur, ideo per insidias illos è medio tollit, aliis autem vitam ser-

vavit, qui hanc Deo & religioni prætulerunt. Inter Principes enituit Catharina Christiana, quæ per tormenta martyribus debitam palmam promeruit.

In Hollandia graves ex more de religione motus concitantur inter Goñarianos & Arminianos, quorum illi *Demonstrantes*, & hi *Contraremonstrantes* nuncupati sunt.

Instituitur Ordo fratrum Misericordiæ à Joanne Dei.

Reges Daniæ & Sveciæ in regnorum limitibus conveniunt, fœdus defensivum ineuntes adversùs Regem Poloniæ, legitimum Sveciæ Regem. Idem posteà Svecus etiam cum electo, adversus filium Regis Poloniæ, schismatico Moschoviæ Duce, pacem componit. Deniqúe Sveci Livoniam invadentes post aliquot loca occupata à Polonis cæduntur.

Turcæ in mari Mediterraneo 19. naves quæ tributum ex Ægypto Constantinopo\'m vehebant, mari haustas maximo damno amittunt.

Paulus Pontifex jubilæum hoc anno piè promulgat, ad Dei iram placandam, & gratias ejus obtinendas.

Econtra Joannes Georgius Saxo Elector Lutheranus ipse quoque jubilæum, velut

velut Antipapa, indicit, quia tum annus centesimus à Lutheri apostasiâ defluxerat, curavitque cudendam monetam auream & argenteam cum hac epigraphe: *Sæculum Lutheranum* 1617. quod compotationibus & commessationibus potissimùm, & non bonis operibus celebratum est: Neque puduit Lutheranos hoc jubilæo sectæ suæ novitatem profiteri ridentibus Catholicis.

✻(1618.)✻ Pax inter Ferdinandum & Venetos constituitur, & idem Ferdinandus, sollicitante Mathiâ Imperatore, Rex etiam Hungariæ in Comitiis Polonienſibus coronatur, iisdem conditionibus, quibus fuerat anteà Rex Bohemiæ creatus.

Turcæ & Persæ magnis animis ac copiis ad Ardavillam congrediuntur, & atroci prælio confligunt, ut in eo utrimque octuaginta millia ceciderint, penes Persas stante victoriâ; quâ tamen minimè elati & feroces effecti Turcis pacem obtulerunt & iniêrunt.

Pragæ in Bohemia mense Majo Comitiis habitis à Statibus hæreticis, prætextu conservandæ suæ religionis, armis invasi Consiliarii & Magistratus Imperatoris per fenestras arcis 40. cubitis altas præcipites dantur (qui tamen magno miraculo incolumes omnes evaserunt) hæc maximè operante

rante Comite Turienſi, qui cives Pragenſes directoribus regni mox inſtitutis juramento obſtrinxit : Patres Societatis Jeſu urbe ejecit, vicinas Provincias Moraviæ, Sileſiæ, Lutetiæ ad eandem defectionem ſollicitavit, & exercitum colligere cœpit. Quibus auditis Imperator poſtquam litteris ac monitionibus nihil apud rebelles effecit - exercitum in Bohemiam immiſit: Varia poſthæc inita ſunt prælia, captæ utrimque oppida, prædæ actæ, Comitibus Bucquojo & Dampieno impigrè agentibus rem pro Imperatore, Mansfeldio notho & Turienſi pro Statibus, longè quidem numero militum undique ad rebelles confluentium ſuperioribus, plerumque tamen pugnâ inferioribus.

Hoc anno obiit Archi - Dux Auſtriæ Maximilianus, Mathiæ Cæſaris frater ſexagenarius, cùm paulò antè Cleſelium Viennenſem Epiſcopum, Cardinalem, qui hactenùs cuncta Domûs Auſtriacæ negotia ſummâ induſtriâ adminiſtraverat, ob ſuſpiciones quaſdam Viennæ cuſtodiæ mancipâſſet, & captum ad Tyrolenſem regionem abduci curâſſet, re Pontifici protinùs manifeſtatâ. Propter quam captivitatem majores Romæ tumultus fuêre, quàm in Germania propter mortem Maximiliani.

In

In Hollandia inter Calvinianos graviſſimæ diſcordiæ de religione ſæviunt, quæ etiam in functiones politicas & diviſiones, & in militum delectus ac hoſtiles oppugnationes eruperunt, quibus compeſcendis omnes vires Mauritio impendendæ erant, hinc Arminianis, inde Gommarianis hæreſin ſuam ferociter zelantibus.

In Rhætia quoque, ſive apud Griſones turbæ excitantur, dum quidam ſpecie avertendæ nonnullorum tyrannidis, qui ſtatum Democraticum abrogatum vellent, in favorem Hiſpanorum, majorem ipſi ſibi in populum ſuſpicacem, auctoritatem uſurpant, armatoque populo in patriæ perniciem, ac Catholicæ religionis, multos ſupplicio plectunt, & inter alios Epiſcopum Sundrenſem crudeliſſimâ torturâ necant, atque Epiſcopum Curienſem perpetuo exilio damnant, cùm tamen conventibus aliquot habitis conteſtati fuerint, nullam ſe vim religioni illatam velle. In eorundem Griſonum montanâ regione 4. Septembris, terræ motu facto, mons quidam imminens oppido Pluravio ſub crepuſculum veſpertinum totum oppidum momento cum omnibus incolis, (fuerunt autem civium incolarum tria & ampliùs millia) cum duabus Eccleſiis &

aliquot cœnobiis ita obruit, ut ne vestigium conspiciendum reliquerit.

Venetiis ob suspicionem conjurationis in urbem multi Galli, & non pauci Hispani supplicio afficiuntur.

Parisiis Ludovicus XIII. Patres Societatis JEsu, posthabitis omnibus quibuscunque, & quorumcunque contradictionibus, plenissimè restituit, & sancit, ut publicas imposterùm Parisiis lectiones habere possint, quod hactenùs Sorbonici præcipuè impediebant.

Mense Novembri apparuit Cometes prolixâ admodùm caudâ formidabilis. Constantinopoli idem Cometes visus est sub specie acinacis, quid autem præcinuerit, adhuc sentimus & lugemus, ab hoc enim tempore Europa in armis & in luctu est.

✠(1619.)✠ In Bohemia rebelles hæretici omnia cædibus, rapinis & incendiis miscent & vastant ac Catholicos super modum persequuntur, quos proinde Imperator Mathias armis appetit, sed morte præoccupatur inter has turbas, 13. Kal. Aprilis, anno ætatis 62. Imperii sexto, & mensibus novem: regni Hungariæ 12. & Bohemiæ 9. & eodem adhuc anno Ferdinandus II. Archi-Dux Austriæ, Rex Hungariæ

riæ & Bohemiæ Francofurti eligitur ac coronatur, quantúmcunque Bohemi hanc electionem impedire conati sint protestationibus suis & querelis in Comitiis Imperialibus frustrà expositis. Hi verò, crescente jam audaciâ & hæreticorum promissis corroboratâ, in Regem sibi eligunt Fridericum Palatinum Rheni Electorem, Regis Angliæ generum, qui, stimulante Elisabethâ conjuge (ut quæ filia Regis erat, Rege quoque marito gauderet) regnum acceptavit, & mox 14. Novembris Pragæ coronatus est in tumultuario consessu, regiamque coronam uxori suæ Elisabethæ imponendam curavit, alteram mox coronam Hungariæ Bohemicæ additurus. Sed compulsus est brevî, quæ spe nimis præpropere devoraverat, duo regna revomere, & infelix Elisabetha nec Regina fuit, nec Palatina permansit.

Interea Gabriel Bethleemus Transylvaniæ Princeps cum rebellibus Bohemis confœderatus, in Ferdinandum insurgens, in Hungariam irrupit, ac crudelissimè in Catholicos sæviit, diadema etiam, quod Possonii (sive Presburgi) reperit, sibi imposuit.

Habentur conventus Principum Protestantium Norinbergæ, & Catholicorum

Würtzeburgi, & utrobiqúe agitur de modis res ſuas provehendi, & quam quiſque profitetur religioneu conſervandi ac propugnandi.

Rex Galliæ Ludovicus Reginæ matri, quam Bleſis regio quidem cultu, exulem tamen detinebat, reconciliatur, & Condæum è carcere dimiſſum in gratiam recipit, paratus, uti jam ejus conſiliis & prudentiâ, quam ſibi longo otio & diuturnâ codicum lectione comparârat, carcerem in muſæum & ſcientiarum æquè ac patientiæ gymnaſium convertens.

Habita eſt hoc anno in Belgio famoſa illa Dordracena Synodus excitis ex Germania, Anglia, & Belgio miniſtris (quò minùs autem venirent etiam Franci, Rex inhibuit) in hoc conciliabulo mirum eſt, quàm Gommariani, & Arminiani ſeſe laceraverint, & illa tandem ſecta prævaluit, quia ſic Arauſicanus peroptabat, non jam armorum tantùm, ſed etiam religionis arbiter. Arminiani expulſi ſunt Belgio, eorumqúe præcipuus fautor Barnefeldius, uti ſeditioſus capite mulctatus 3. Idus MajasHagæ; Hugo Crotius carcerem & paratam ſibi mortem, uxoris ſuæ aſtutiâ defugit.

✻(1620.)✻ Imperator Ferdinandus Fri-

Fridericum Palatinum & illi adhærentes proscribit, & per Buquoium Moraviam, per Saxonem Silesiam recuperat, per Hispanos, Duce Ambrosio Spinolâ, inferioris Palatinatûs urbes capit; Gabriel Bethleemus ab aliquibus proclamatus Hungariæ Rex ditiones Austriacas incursat, & auxilia mittit Palatino Dampirius, Posonium tentans, quod Bethlemus Gabor jam tenuerat, occiditur.

Poloni in Walachia & Moldavia primò victores, deinde victi & à Turcis & à Tartaris Præcopensibus profligantur.

Vallis Telina jugum hæreticorum excutit. cæsis & depulsis eorum fautoribus implorato ad hoc Feriæ Ducis auxilio, qui sic opem illis tulit, ut ex servis Grisonum faceret Catholicos subditos Hispauorum, ubiq; munitissimis arcibus collocatis.

Iterum motibus agitatur Gallia: cùm Luinei, apud Regem auctoritatis occasione sive prætextu, aliisque privatis inter Principes invidiis ac dissidiis, plurimi Principes ac Proceres à Rege secesserunt ad Reginam ejus matrem, specie eam adversùs insidias malevolorum tuendi: sed præveniens Rex mirâ prudentiâ & celeritate ac fideli Condæi Principis obsequio eorum conatus, antequam omnes copias

collectas haberent, captâ Cadomo urbe Northmanniæ munitissimâ, post aliquot dierum obsidionem, pleraſque alias ad deditionem spontaneam redegit, & ad Pontem Cæsaris prope Andegavos fusis Reginæ copiis, adeò Principes arctavit, ut coacti fuerint veniam petere, & die 13. Augusti accedentem ad se Briſſacum Reginam amabiliſſimè excepit, & quodcunque voluit, humaniſſimè conceſſit; Inde Rex conſeſtim in Aquitaniam pergens, cùm nullis unquam hortationibus & mandatis obſtinatiſſima miniſtrorum & Magiſtratuum Bearnenſium corda flectere potuiſſet ad exequendum jam anno 1617. promulgatum edictum de reſtitutione bonorum Eccleſiaſticorum, illuc cum modicis copiis adveniens, menſe Octobri tandem evicit; attonitis hæreticis ad incogitatum ejus adventum, quem omnimodis artibus impedire conati fuerant, intra quinque dies rebus ita proſpexit, ut præſidia ubique multârit, templa Catholicis, bona Eccleſiaſticis, & Eccleſiaſticos priſtinis honoribus reſtituerit: Provinciam antè libero dominii jure gaudentem, Coronæ Francicæ adjunxerit, & Senatum, novis conſiliariis Catholicis auctum, in Parlamentum erexerit, atque his feliciter per-

peractis ad Reginas, matrem & conjugem Lutetiam victor & triumphans redivit, frementibus hæreticis, & omnes modos meditantibus, ut incruentam hanc cladem regni eversione compensarent; ideo nullis monitionibus & mandatis deterriti, nationalem ex omnibus Galliæ Provinciis Synodum Rupellam convocaverunt.

Turcarum classis Monfredoniam urbem in Apulia diripit, & plurimos Christianos captivos abducit.

Sigismundus Rex Warsaviæ à nobili Polono in ingressu Ecclesiæ securi graviter vulneratur.

Die 8. Novembris, quæ fuit octava omnium Sanctorum, & illa ipsa dies Dominica 22. post Pentecosten, quâ recitatur in officio divino Evangelium: *Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris*: Dux Bavarus Maximilianus Cæsaris & Catholici in Germania Ductor exercitûs cum Bucquojo junctis copiis propè Septum, cui *Stellæ* nomen est, cum Electoris Palatini exercitu ex Anglis, Batavis, Germanis & Bohemis conflato, atroce & felici pugnâ confligit, ut partim cæsis, partim fugatis, partim victorum arbitrio deditis Palatini militibus, insignem Cæsari victoriam & Catholicis maximæ lætitiæ messem, sibique & omnibus

Ducibus immortale nomen comparaverit. Pugnæ initium datum est circa meridiem inter duodecimam & primam diei horam, sub tessera militari: S. MARIA: cujus effigiem quoque Dux in vexillo suo peculiari & maximo præferebat. Ubi utrique in mutuum conspectum venêre, factum est conflictûs initium tormentis majoribus cum horrendo sonitu, secutus deinde legionum, alarumque congressus acerrimus, ita ut initio visa sit dubitare victoria, utrorum partes sequeretur, cùm neutra pars alteri cederet, sed per dimidiam horam legio legioni mixta constanter præliaretur, imò videbatur jam Cæsariana acies à dextro cornu vacillare, cùm Christianus Anhaltinus junior, qui pro patre suo equitum Bohemicorum sive Palatinorum alæ Præfectus erat, tam validè in Bucquojanum, equitatum irruit, ut hic confusis signis referre pedem cogeretur, quâ equitum trepidatione animadversâ, peditum legiones jam pariter deferere signa & referre pedem cœperunt, quo periculo conspecto Tillius opportunè succurrens cum quingentis equitibus, Duce Cratzio, Anhaltinos tantâ vi & impetu adortus, ut & Cæsariani in pugnandi ardore & robore denuò animarentur, & perturbati Anhaltini

haltini consistere ultrà non possent, præsertim cùm ipse juvenis Anhaltinus prolapso jam equo, & pluribus vulneribus saucius captivum se demùm dedere coactus fuisset. Erant in Bohemorum acie novem circiter Hungarorum millia, hi contra Cossacos pugnare jussi à Palatino, cùm magnas prædas collegissent, fugere sub ipsum pugnæ initium, & sua conservare spolia, quam pugnare maluerunt; qui cùm sceleratè pedites deseruissent, eos quoque unà secum in fugam abripuerunt. Superatis quoque à Bucquojo quibusdam munimentis, universa demùm acies Bohemica, cùm hactenùs fluctuâsset, jam in non dubiam fugam compulsa & profligata est, relictis tormentis majoribus, signis militaribus tam pedestribus, quam equestribus centum, & magnâ prædâ, quam Catholica loca, monasteria & Ecclesias expilando & diripiendo collegerant. Multa millia in pugnæ ardore interfecti ex Palatinis, plurimi in transitu Moldaviæ fluvii submersi, multi fugâ dispersi & dilapsi, multi etiam præcipui Duces capti, ex Cæsarianis autem nonnisi trecentis desideratis: Hac victoriâ dedita est Praga, Bohemia subjugata, reducta Moravia, Silesia repressa, Germania facta est sui juris,

ac verè

ac verè Catholica, Palatinus autem ex hac suorum strage tantùm timoris hausit, ut relictis in arce Pragensi octo curribus pretiosâ & argenteâ, aureâque supellectile oneratis, qui in Cæsarianorum manus cum aliis mille octingentis curribus oneratis venerunt, imò etiam Anglicani Ordinis Perisceliae, quam Palatinus gestabat, amissâ & in aperto campo postea inventâ, cum solâ uxore & liberis celerrimâ fugâ in Silesiam sese proripuerit, tolutariis Anglicanis usus, Hohenloio & Turræo Comitibus indecoræ fugæ sociis assumptis, & ex hoc tempore nunquam Palatinus quamvis cætera magnanimus & audax metum deposuisse fertur, postquam hoc uno conflictu perdidit victoriam & spem simul omnem alienæ ditionis invadendæ & suæ quoque dignitatis recuperandæ.

Qui prælio huic interfuerunt, testati sunt, duabus circiter horis ante conflictum adeo trepidatum fuisse in Bohemorum castris, ut multi existimârint, terram tunc tremuisse, & montes vicinos inhorruisse. Fuerunt etiam in hostili acie, qui fassi sunt unanimi ore, se, cùm aliquamdiu feliciter primò pugnâssent, nova castra, novumque exercitum conspicatos fuisse, de quibus nemo quicquam sciverit, atque inde

de & equos & viros timore quodam correptos trepidâsse.

In hac victoria memorabile etiam illud est, quod P. Dominicus à JEsu Maria Hispanus discalceatus Carmelita, vir insignis pietate & miraculorum famâ conspicuus, ipso prælii die Catholicorum aciem ad fortiter pugnandum pro Deo & Ecclesia animaverit exhibitione imaginis inter Straconizenses ruinas repertæ, cui hæretici oculos effoderant, in cujus sceleris vindictam Catholicos ardentissimâ oratione excitavit: quam imaginem etiam ipse inter confligendum erexit in acie, quæ anno 1622. in Ecclesia RR. PP. Carmelitarum discalceatorum solenni ritu collocata est, indito nomine, *S. Mariæ de Victoria.* Milites quoque victores agnoverunt opitulatricem suam, & Virginis Deiparæ cultu & auxilio fretos miro quodam ardore pugnandi sese accensos fuisse contestati sunt, & grates persolverunt.

Obtentâ hac victoriâ Duces Catholici Pragam postridie ingressi sunt triumphantes, & universa Bohemia è vestigio ad obsequium Imperatoris rediit, & præcipui auctores rebellionis captivi ducti, qui postea jussu Imperatoris promeritis supplicüs affecti sunt.

DE

DE MARCO ANTONIO DE DOMINIS APOSTATA.

Hic inferni titio ex malo religioso (fuit enim Societatis JEsu, & inde dimissus) procurante apud Rudolphum Imperatorem avunculo, factus Episcopus Segnensis, ac Spalatrensis Archi-Episcopus in Dalmatia Venetis subdita, ubi illum avaritiæ aliorumque vitiorum eluvies tum Suffraganeis, tam aliis primoribus multis adeo infestum reddidit, ut re ad summi Pontificis aures delatâ dum sibi ab inquisitione metuit, cùm de emendatione cogitare deberet, trajectâ Germaniâ & Hollandiâ in Angliam profugerit, ubi librum edidit innumeris erroribus refertum, inter quos quinquaginta turpissimæ hæreses numeratæ sunt & à Parisiensi Sorbona notatæ: quem tractatum postea refutavit doctissimè P. Martinus Becanus Societatis JEsu, & P. Zacharias Boverius Capuccinus sua egregia Paræneſi. Videtur autem hic M. Antonius neque Lutheranus neque Calviniſta fuisse & nescivisse ipse quid crederet, quidque credendum sit. Suos quidem errores ipse anno 1622. ejuravit & ex Anglia reversus declarationem quandam Romæ eodem anno editam divulgavit, verùm paulò pòst ad vomitum rediens carceribus tandem Romæ conclusus obiit anno 1624. Et S. Inquisitionis sententiâ corpus ejus flammis addictum & in vigilia S. Thomæ traditum est.

DE

DE FRATERNITATE ROSEÆ CRUCIS INVISIBILIUM ET IMMORTALIUM.

HÆc Secta planè occulta per Germaniam circa hæc tempora grassata est, & venenum suum clam adeo sparsit, ut neque auctor neq; errores omnes indagari potuerint, de hac secta editus est libellus Francofurti anno 1618. *qui inscribitur*, Themis aurea de legibus Fraternitatis Roseæ Crucis. *In secundo hujus libelli capite scriptæ inveniuntur sex leges dictæ hujus Fraternitatis.*

1. *Ut nemo illorum iter agendo aliud profiteatur nisi morborum curationem planè gratuitam.*

2. *Ut nemo, eo quod in Fraternitatem ingressus sit, certo habitûs genere uti compellatur, sed regionis duntaxat consvetudini sese conformet.*

3. *Unumquemque fratrum debere singulis annis die Crucis in loco S. Spiritûs sistere se, vel absentiæ suæ causas litteris declarare.*

4. *Debere unumquemque fratrum personam aptam & idoneam quæ sibi vitâ functo succedat, eligere.*

5. *Vocabulum Roseæ Crucis debere illis esse instar symboli aut sigilli.*

6. *Fraternitatem hanc debere centum annorum spacio latere.*

Inter

Inter alias nugas etiam sequentes comprehenduntur. 1. *Legum illarum auctorem esse personam privatam, esse anonymum, fide tamen dignissimum, vulgo quidem incognitum suis tamen notissimum.* 2. *Ipsos fratres hactenus feliciter vixisse, ac deinceps uti sperant feliciter per sæcula victuros.* 3. *Ipsos tantummodo scire debere sui conventûs locum.* 4. *Ea quibus utuntur remedia primò ex Arabia in Germaniam profecta esse.* 5. *Eam qua utuntur curationem specificis, hoc est occultæ virtutis remediis constantem naturæ humanæ gratissimam esse, & omnibus morbis maximè contrariam.* 6. *Nullam se habere aliam magiam nisi naturalem bonis duntaxat, piis ac doctis à Deo concessam.* 7. *Apollonium Tyanæum licitam ac naturalem magiam exercuisse, & Julium Capitolinum, quem probatæ fidei auctorem ducit, referre quendam amicum suum infantem cucumella distillatoria efformâsse, qui vitam ad horas aliquot produxerit.* 8. *Litteras R. C. à Fraternitate ista usurpari solitas non Roseam Crucem sed auctoris nomen Symbolicè significare.* 9. *Hæ & plures aliæ affectiones partim ænigmaticæ & partim temerariæ, partim hæreticæ, & partim de magia suspectæ ansam præbent dicendi hanc Fraternitatem esse surculum quendam Lutheranismi, ex Empirismo & magiâ ad ingenia levia & curiosa decipienda conflatum.*

Et

Et mirum sanè est quàm haec stulta secta sese in Gallias insinuaverit affixis tum per compita tum Parisiis Schedulis, homines se à morte erepturam esse pollicita, vitamque visibilem tum & invisibilem agere præ se ferens, ut & nomen eis inditum Invisibilium & Immortalium. *De hac secta scribit P. Carassius Societatis JEsu Theologus doctrinam illorum Epicuream esse & multum habere affinitatis cum Atheismo omnia enim corpori & fœdis voluptatibus ventris indulgebant.*

DE LUCILIO, ET NOVIS ATHEISTIS.

Lucilius natione Italus, cum Atheismum per varia Galliæ loca docuisset, Tolosæ tandem morti adjudicatus est ob blasphemias sparsas, cumque veniam peccatorum à Deo Rege & justitia petere juberetur ante supplicum respondit: Quod ad Deum attinet, nullum esse, credo, quod ad Regem, nunquam illum offendi, quod ad justitiam, illam ego dæmonibus, si tamen dæmones sunt, devoveo. *Subjecit deinde miser parum eos effecturos, qui sibi mortem inferrent, eò quòd duodecim suæ doctrinæ Apostoli Neapoli egressi essent, qui per Europam idem Evangelium divulgarent. Huic duodecimo Apostolo lingua blasphema primùm fuit amputata, & ipse crate pertractus, strangulatus & ambustus est & cineres in ventum dispersi.*

DE

DE MERCERO ANABAPTISTA NOVO.

TRes ob errores diuturno carceri fuit Mercerus in Anglia mancipatus.

1. Docuit S. Christiani baptismi Ceremoniam aliud nihil esse, quàm profanum Satanæ inventum.

2. Nolle se vel sibi vel suis alium regenerationis modum quàm in solis pedibus.

3. Baptismi usum in adultam ætatem esse differendum exemplo Christi, qui in cæna suis Apostolis lavit pedes.

DE HERCULE COXAM.

EOdem tempore, quo Mercerus Angliæ Carceribus inclusus detinebatur propter sequentes errores Coxam inclusus fuit.

1. Asseruit nullum in terris esse animarum pastorem alium, quàm JEsum Christum, qui S. Spiritûs unctione fideles suos in omnibus rebus instruit.

2. Dies omnes festos ac Dominicos penitus abolitos esse illis, qui in verum & æternum Christi Sabbathum ingressi sunt.

3. Dei electis pœnitentiam non aliam admittendam esse, nisi justificationis gratiam ante acceptam, quæ illos postea reddit impeccabiles.

4. Ejusmodi Patris æterni filium orandum non esse nisi in laudem & gratiarum actionem.

5. Genuflexionem in cœnæ Dominicæ sumptione

tione, aliisq; reverentiæ signis, externis, etiam erga Christum ipsum existentem in cœlo, esse idololatriam.

6. Christi gestis magis consentaneum esse, ut in mensa communi panis & vinum accipiantur, conformiter illis quæ Christus in cœna adhibuit.

DE JOANNE TRASTO.

CIrca hæc tempora Joannes Trastus palam aliquamdiu Londini concionatus est, ac sensim sine sensu venenatos suos errores propagavit, & Pseudo-Episcopis Angliæ multum negotii facessivit: sparsit sequentes errores.

1. Peccatores postquàm semel pœnituerint, imposterum peccati immunes & penitus impeccabiles esse.

2. Censet omnes Ecclesias quæ usq; ad suam doctrinam fuerunt à tempore Christi, errasse, eò quod Moysis Sabbathum transtulerint in diem Dominicum, & legalem ciborum differentiam contempserint. Cæterum sectarius iste cum assectis suis nocturnis tantùm utebatur precibus solâ spiritûs suggestione & ingenti clamore, non absq; fastidio & molestia in vicinis ædibus habitantium.

DE HICMANNO EQUITE ORIGENISTA, ET DEISTIS NOVIS.

HIcmannus eques, notissimus in Anglia veteres Originis errores de futura Dæmonum ac reproborum salute instauravit imo & scriptis Regi ostensis propugnavit. De-

Deistæ novi in Anglia inventi & ex Calviniana cloaca ascendentes, ii sunt, qui nihil aliud credunt quam Deum esse, quidquid illis de aliis mysteriis dixeris & interrogaveris an credant, respondent Hoc ita dicitur *& si magistratus pœnas intentaverit, non aliud responsum reddere unquam auditi sunt, quàm :* Faciat de me Deus, quidquid ipsi libuerit, aliud à me nihil obtinebis, quomodocunque ulteriùs urgeas.

Sunt & novi Sabelliani in Anglià reperti inter Calvinistas qui JEsum Christum prorsus abnegantes in eas blasphemias eraperunt, ut ipsum non prophetam sed hominum seductorem pronunciârint, & unam duntaxat divinam personam asserentes, cui servire homines debeant lege naturæ.

DECAS III.

(*Ab anno Christi 1620. ad 1630.*)

1621. FErdinandus Imperator Friderico Palatinum, illiqúe adhærentes proscribit, & per Bucquojum Moraviam, per Saxonem Silesiam recuperat, per Hispanos reliqua loca Palatinatûs.

Osmanes Turcarum Imperator, centum millibus suorum gladio, totidemque morbis

bis & aliis casibus absumptis, inglorius Constantinopolim regreditur.

In Hungaria Gabriel Bethleemus pacem cum Cæsare init, & Coronam Hungariæ restituit.

Rex Galliæ movet in hæreticos rebelles Rupellæ præsertim inclusos, urbemque S. Joannis Angeriaci post dierum viginti obsidionem deditione recipit, quam mœnibus & propugnaculis privat, ad reliquarum urbium Hugonotticarum terrorem, & alias quoque sexaginta civitates hæreticorum per se, suosque Duces post multas pugnas & strages subigit.

Angli in portu Aleziæ aliquot Turcicas naves incendunt, & prædâ opimâ potiuntur.

Fortunatè hoc anno Hispanis res terrâ marique cesserunt; Rex enim Marochi obsidens arcem ab iis exstructam, & munitam ad fluvium Mamoram propè Alarchiam, adveniente Hispanâ classe, fugâ se propripuit, eadem classis paulò pòst incidit in 32. Batavicas naves Venetiis redeuntes, elapso jam tempore, quas aut cepit, aut demersit,

Fatalis fuit hic annus morte illustrium virorum, nam 18. Januarii obiit Paulus V. Pontifex, annorum sexaginta novem, in

cujus

cujus locum electus est Alexander Ludovicus Bononiensis Cardinalis, dictus Gregorius XV, Eodem mense obiit Cosmas magnus Hetruriæ Dux, cui successit Ferdinandus filius decennis, sub tutela matris Austriacæ. Die 22. Martii mortuus est Philippus III. Rex Hispaniarum anno ætatis 42. regni 23, cui successit filius Philippus IV. adolescens sedecim annorum. Die 13. Julii è vivis decessit Albertus Archi-Dux, Belgii Princeps, quo extincto statim uxor ejus Isabella velum & vestem Clarissarum Monialium suscepit, pietati deinceps vacatura. Demùm feliciter ad Deum migravit Robertus Bellarminus, Societatis JEsu Cardinalis propè octuagenarius, insignis Catholicæ fidei propugnator.

✲(1622.)✲ In Japonia multi Religiosi & nobiles cives, imò & infantes gloriosum martyrium pro fide Catholica subeunt.

Gregorius XV. Pontifex congregationem de propaganda fide Romæ instituit, & Sanctos Isidorum Hispanum agricolam, S. Ignatium Societatis JEsu Fundatorem, S. Xaverium, ejusdem Societatis Indiarum Apostolum, S. Theresiam Reformatricem Carmelitarum, & S Philippum Nerium, Congregationis Oratorii Institutorem Ca-

Catalogo Sanctorum adscribit; vetat quoque in publicis actibus, vel etiam privatis colloquiis asserere, Beatissimam Virginem Deiparam conceptam in peccato originali.

Ludovicus XIII. hæreticos aggressus in Gallia, aut malè eos mulctat, aut ad obsequium & fidem redire compellit.

Osmanes à Polonica expeditione redux, dum majora molitur, quàm ejus ætas aut ratio postulat, à Janitzaris Damascum transportatur, & Mustapha ejus patruus rursùs ad Imperium evocatus administrationem suscipit, qui mox Vezirium Dilavez trucidari, & Osmanem strangulari curat.

Heidelberga capitur à Tillio, & urbis hujus Bibliotheca conflata ex omnibus pænè Germaniæ Monasteriis, ideo simul & semel eorum præcipuo Domino Pontifici Romano restituta est, & tota Romam missa, magnâ tamen deferentis incuriâ, qui codices exquisitissimos diripi passus est, eamque maluit in urbem deferre librorum numero, quàm delectu copiosiorem.

Interea Comes Palatinus cladibus ubiq; ita prostratus est, ut modica spes recuperandarum ditionum suarum, multò minùs regni Bohemici usurpandi superst; quare profugi adinstar è Belgio per Galliam, me-

diamque Lutetiam incomitatus & ficto habitu ad Mansfeldium nothum transiisse compertus est, cujus causam nec Jacobus VI. Scotiæ, & I. Angliæ, & totius majoris Britanniæ, atque Orcadum Insularum Rex, & Palatini gener armis tuendam & ultra promovendam suscepit.

✲(1623.)✲ Ferdinandus Imperator in Comitiis Ratisbonensibus Electoratûs dignitatem à Palatino Friderico in Maximilianum Bavariæ Ducem transfert, adjunctâ eidem ditione superioris Palatinatûs, Mansfeldius autem nothus & Halberstadiensis latrociniis & deprædationibus Fridericum Palatinum ulcisci conantur, sed Tillius Catholicorum Dux, eorundem exercitum partim cædit, & partim fugat.

Carolus Walliæ Princeps, filius Jacobi Regis magnæ Britanniæ unicus, Madritum venit, Mariam filiam Philippi IV. Hispaniarum Infantem in matrimonium deposcit, & Pontifice nuptias non improbante, impetrat. Quod tamen matrimonium postmodùm non coaluit, Anglo & Hispano sibi invicem abrupti matrimonii causas objicientibus.

Moritur Gregorius XV, eique substituitur Maffeus Barberinus Florentinus, dictus Urbanus VIII. vir eruditissimus, & Sede Romanâ dignissimus.

S.

S. Franciſcus Saleſius Epiſcopus Genuenſis, qui plùs quàm ſeptuaginta duo millia hæreticorum ad Eccleſiam Catholicam reduxit, ad præmia cœleſtia ex hac vita evocatur.

Illuminatorum hæreticorum ſecta in Hiſpaniis exorta, combuſtis pleriſque ejus auctoribus extinguitur, aut ita diſſipatur, ut qui ſe Illuminatos dixerunt, tenebroſa quærentes latibula in lucem publicam prodire non auſint.

DE SECTA ILLUMINATORUM.

ANno 1523. in Hiſpalenſi & Gaditana Hiſpaniæ diœceſibus pullulavit tenebricoſa hæc Prætentorum Illuminatorum hæreſis: cujus authores primi ſeptem exuſti fuêre, ipſa verò edicto condemnata, mandato cunctis eâ contaminatis addito, ut intra triceſimum ab edicto promulgato diem inquiſitores confeſſionis faciendæ, abſolutionisque ab eis accipiendæ adeant. Quo in edicto 76. maledictæ hujus atque impudicæ ſectæ errores numerantur.

1. *Illuminatorum ſectam eſſe optimam, ſpeciatim verò mentalem orationem divino præcepto uſque adeò imperatam eſſe, ut per eam omnia adimpleantur.*

2. *Orationem eſſe Sacramentum ſub accidentibus, mentalem autem eſſe, quæ hac virtute pollet; vocalem exigui eſſe momenti.*

3. *Dei servos nec laborare debere, nec se in corporalibus exercitiis occupare.*

4. *Nec Prælato ulli, nec patri, nec superiori obediendum esse, quando aliquid jubebunt, quod orationis mentalis ac contemplationis horas impediet.*

5. *Quædam docent, quæ matrimonii Sacramento adversantur.*

6. *Neminem adipisci posse virtutis secretū, nisi magistris hæc docentibus discipulum se præbeat.*

7. *Neminem salvari posse absque eâ oratione, quam ejusmodi Magistri factitant atq; edocent: Neminem item, nisi illis generaliter confiteatur.*

8. *Ardores, tremores, ac deliquia, quæ ipsi patiuntur, signa esse gratiæ ac Spiritûs Sancti accepti; perfectis autem necesse non esse, ut virtutum opera exequantur.*

9. *Divinam essentiam ac Trinitatis arcana videri posse etiam in hac vita ab eo, qui ad certum perfectionis gradum pervenerit.*

10. *Spiritum Sanctum immediatè eos regere, qui sic vivunt.*

11. *Sequendum duntaxat esse illius motum, inspirationemque internam ad aliquid vel faciendum, vel omittendum.*

12 *Quo tempore S. Sacramentum elevatur, necessariâ consuetudine ac ceremoniâ claudendos oculos.*

13. *Ubi ad certum perfectionis statum quis venerit, nec videre eum posse sacras imagines,*

nec

nec concionem audire, nec loqui de Deo neq; alia facere huic sectæ doctrinæq; contraria.

14. Debere omnes vovere, se matrimonium minimè contracturos: religionem tamen nequaquam ingredi, cùm religiosos Ordines bonos esse, pernegent, censeantq; Dei servos debere præfulgentem in mundo vitam agere extra religionem.

15. Eos, qui S. Sacramentum per plures simul formas, sive hostias sumunt plùs gratiæ, gustûsq; recipere, imo se posse ex pane cocto communionem accipere.

17. Orationem & abstinentiam non posse diu simul, nisi miraculo consistere, quod oratio & amor Dei multùm extenuent, adeò ut lautis cibis vescendum sit, ut ad orationem aptior quis evadat.

17. Orantem ita se debere in Dei præsentiam colligere, ut nec discurrat, nec meditetur, ne in JEsu Christi quidem passione, multò verò minùs in S. humanitatis cogitatione immoretur.

18. Eum, qui in amore Dei est, vel orationi mentali vacat, posse ab audiendâ Missâ etiam diebus festis abstinere.

19. Unumquemque, dum in oratione aut in Ecclesiâ versatur, debere obligationes, quibus domui, statuiq; suo obstrictus est, oblivisci.

20. Se fœminis, quas Spiritus, doctrinæque magistras dicunt, obedientiam debere.

21. Decimo quarto anno debere filias castitatis quidem servandæ, religionis tamen non ingrediendæ votum edere.

22. *Confessionis filias vovere debere, se non aliis, quàm Illuminatis confessuras.*

23. *Debere illas Illuminatis aurum, argentumvè oppignorare, vel certè, si id non fiat, jurejurando confirmare, se aliis minimè confessuras.*

24. *Fœminas conjugatas non debere viris in matrimonii debito obedire: filias, quæ in matribus defectum aliquem aut levitatem animadverterint, posse illas malè excipere. Denique confessionis filias nihil debere facere, ne jejunare quidem, nisi ex eorum præscripto ac mandato.*

25. *Licere confessariis confessiones revelare ei: cui obedientiam dederunt, & sibi invicem.*

26. *Ut Illuminati ab iis, quibus dedère obedientiam, vocentur* Patres, *præcepta illis & censuras imponant: neque ipsi absque Patrum permissu quidquam possideant.*

27. *Pœnitentiæ Sacramentum posse absque ulla commissione aut licentiâ administrari.*

28. *Illuminatos auctoritatem habere absolvendi ab omni peccatorum genere, etiam Sedi Apostolicæ Episcopis, & sanctæ Inquisitioni reservatorum.*

29. *Eas, quæ in confessione ab aliquibus confessariis sollicitatæ fuerint, absolvendas non esse, quousque coram aliquibus confessariis ad hoc destinatis declaraverint, quinam illi sint, qui eas sollicitaverunt.*

30. In

30. *In communione per parvas formas, sive hostias, Deum parvum recipi.*

31. *Posse hominem tantùm habere amoris cum Deo, quantùm voluerit; tantúmque favoris Spiritûs Sancti adipisci, ut etiam non jejuno communicare liceat.*

32. *Eos, qui per plures hostias communicant, perfectiores esse.*

33. *Ubi confessionis filias communione donaverint, os suum ori illarum superponunt, halitumq; emittentes, dicunt, illas amorem Dei accipere.*

34. *Non posse in cœnobiis ob officii occupationes perfectionem comparari.*

35. *Perfectum hominem posse absque speciali revelatione scire, utrùm sit in gratia & charitate, nec ne.*

36. *Virtuti, salutique adversari, elegantem ornatum.*

37. *Posse hominem ad eum perfectionis statum pervenire, ut gratia animæ facultates submergat, nec possit anima vel progredi, vel retrogredi.*

38. *Posse hominem dicere, se ter à Deo fuisse in gratiâ confirmatum, primò quidem, quod ad peccata mortifera spectat, deinde quod ad venialia, ac demùm, quod ad naturales imperfectiones: seq; in eo statu existere, ut ex carne Adæ nihil retineat.*

39. *Ad eum perfectionis gradum pervenirì posse, ut Sanctorum intercessione non egeat.*

40. *Quosdam esse ex Dei amore ægrotos, qui diebus ab Ecclesia vetitis, ut Vigiliarum, Veneris, & Quadragesimæ vesci carnibus debeant.*

41. *In statu unionis & amoris Dei ingentem bonitatem comparari cum affectu amoris duntaxat, tametsi aliarum virtutum affectus desint.*

42. *In statu unionis nullum voluntatis actum exercendum esse: & in statu perfectorum ac vitæ unitivæ amoris Dei, si Deus animæ formaliter dicat, ut sit bona, bonam substantialiter fore, in eoque statu necesse non esse, ut operetur, ut amet, ut amare desinat, ut quicquam faciat.*

43. *Actus eò magis meritorios esse, quò minor est sensibilis devotio.*

44. *Id tantùm intelligendum esse, quod Deus intelligit, nimirùm de se ipso, & in se ipso, & in rebus ad se ipsum pertinentibus.*

45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. *Turpes actus & tactus inhonestos cum sectæ suæ fœminis ac puellis non esse peccata, imò virtutem potiùs ac pietatem.*

55. *Amicitiam, si bona sit, licèt cum censuris & excommunicationibus prohibeat superior, ex eâque scandalum aliquod sequatur, minimè vitandam esse, vel censuris obnoxiam.*

56. *Hominem publicè excommunicatum, si*

à cele-

à celebratione, aliorumq; Sacramentorum administratione abstineat, nequaquam debere se pro excommunicato habere, modò sectam hanc & opinionem amplexus sit.

57. Se in extasibus & gaudii divini raptibus videre clarè Deum, ùt in gloriâ suâ videtur.

58. Claram Dei visionem semel in hac vita cum animâ communicatam, in ea perpetuò ad ipsius arbitrium permanere.

59. Quod semel visum est, semper ac singulis horis visum iri, cùm lubuerit.

60. Ad consequendam cum Deo unionem in hac vita, eàdem opus esse puritate, quâ ad videndum Deum.

61. Quando Deum clarè vident in extasibus & raptibus, ùt videtur in gloriâ, semivisionem esse inter fidem & gloriam.

62. In supradictis illis magnis extasibus & raptibus nihil esse fidei, eò quòd Deum clarè videant.

63. Eos, qui doctrinæ illorum adhæserint, purgatorii immunes esse.

64. Complures animas, eò quòd illorum doctrinæ acquiescere noluerint, in purgatorium amandatas fuisse: unde ad quosdam veniam petituræ accedunt, qui pronunciato illis Evangelio, in paradisum eas gradum facere conspiciunt.

65. Aquam benedictam peccata venialia non delere.

66. *Ut quis se ad orandum colligat, nullâ ratione imaginibus utendum, cùm sint tantùm (inquiunt) blandimenta & illecebræ.*

67. *Conventicula habent Reipublicæ perniciosa cum concionibus ac spiritualibus colloquiis nocturnis.*

68. *Quendam esse, qui stigmata Domini nostri JEsu Christi impressa habet, sudorem cruentum emittit, solo sancto Sacramento se sustentat, & cum Deo Patre colloquitur.*

69. *Evangelium & Scripturam pro arbitrio interpretantur contra veram intelligentiam & communem expositionem Sanctorum.*

70. *Verba hæc S. Pauli (*Mortui in Christo resurgent primi.*) ad litteram intelligi de quodam confessario, & quâdam confessionis filia; ipsumq; S. Paulum, si illa rectè intellexisset de his, quando illa protulit, expositurum.*

71. *Christum JEsum, cùm apud Matthæum dixit (*Petite & accipietis*) non nisi de prædestinatis locutum esse, quippè qui soli, quod petunt, accipiant.*

72. *Evangelium S. Lucæ, cùm ait,* Jesum Christum cæteris locutum esse in parabolis, *intelligendum esse de solis reprobis.*

73. *Quod scribit S. Paulus (*Sine pœnitentia sunt dona Dei*) ita esse accipiendum, ac si diceret, Deum, ut nobis gratificetur, nostrâ non indigere pœnitentiâ.*

74. Pecca-

74. *Peccatores non audiri à Deo efficaciter ad obtinendum, quod petunt, in eoque sensu intelligendum esse, quod apud S. Joannem legitur:* Scimus, quia peccatores Deus non audit.

75. *Doctores Theologos, Evangeliique concionatores spernunt, Scripturam se melius, quàm illos intelligere, jactitantes.*

76. *Cùm impudicis tactibus lasciviunt, coronam & meritum eam ob rem pollicentur.*

Habes, amice Lector, non minùs impias, quàm impudicas propositiones, quas tenebrarum spiritus in horum prætentorum Illuminatorum cor ac linguam effudit. Sic nimirùm extincto veræ fidei lumine Satan excœcat & dementat, quos hæresi semel imbutos regit: *In quibus Deus hujus sæculi* (Diabolus) *excœcavit mentes, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi JEsu.* Epist. 2. Cor. cap. 4. v. 4.

✲(1624.)✲ Edicto Jacobi Regis Britanniæ Ecclesiastici pelluntur ex Anglia.

Tartari Podoliam & Brussiam Nigram vastantes à Polonis & Cæsareis magnâ clade afficiuntur.

Melchior Cardinalis Klesselius, Episcopus Viennensis diu ab Austriacis in carcere Tyrolensi detentus, ab omnibus criminibus sibi à malevolis impositis, judicio & diplomate Pontificis absolvitur, & in integrum restituitur.

Batavi in Brasilia Sinum omnium Sanctorum occupant, & urbem S. Salvatoris Hispanis eripiunt, etiam inter Barbaros crudelitatis suæ in Catholicos vestigia relinquentes, adversùs quos Philippus Hispaniæ Rex statim ingentem classem paravit, cui præfecit Fridericum Toletanum, qui eosdem repressit, & urbe ereptâ audaciam, fastumque edomuit.

✲(1625.)✲ Rex Galliæ, Veneti, Rhæti, & Dux Sabaudiæ in arma concurrunt contra Austriacos pro restitutione Vallis Tellinæ.

Jacobus quoque Rex Britanniæ & socer Palatini cum aliis Principibus fœdus init contra Austriacos, & Christianus Daniæ Rex Dux Protestantium inferioris Saxoniæ electus pro restituendo Palatinatu Friderico exauctorato Electori, tam malè à Cæsareis Ducibus Tillio & Wallensteinio exceptus est, ut dum alteri providet, parùm sibi consuluisse videatur.

Romam Jubilæi causâ venit Uladislaus Sigismundi Polonorum Regis primogenitus, & humanissimè excipitur.

Jacobus magnæ Britanniæ Rex moritur, uti & Mauritius Arausicanus Princeps, Ductor exercitûs Ordinum Belgicorum, cui Henricus frater successit; Jacobus autem succes-

succeſſorem reliquit Carolum filium, qui hoc anno duxit uxorem Henricam Mauritiam, & Pariſiis nuptias celebravit, fretis mentibus hæreticis, & plaudentibus Catholicis, quia illi Catholicam Reginam averſabantur, & hi in ea conſolabantur.

Franciſcus Barberinus Pariſios ingreditur ad conciliandos animos Regum duorum Catholici & Chriſtianiſſimi.

S. Eliſabetha Regina Portugalliæ in numerum Sanctorum ab Urbano VIII. refertur.

Ferdinandus III. filius Ferdinandi II. in Regem Hungariæ Sopronii coronatur.

✠(1626.)✠ Conſtantinopoli Cyrillus Patriarcha ex Turco, Græco, Calviniano compactus verſipellis homo miſit, Græcos adoleſcentes in Hollandiam, qui poſtmodum per Græciam, quod in Hollandia combiberant Calvinianum virus ſpargerent.

Frater Paulus Venetus Servita ſummi Pontificis magnus hoſtis & ſanctæ Sedi ipſis hæreticis infeſtior & Lutheranus cucullatus anno 1623. mortuus à plebecula Veneta Sanctorum honores conſecutus eſſet, niſi ſub pœna anathematis Urbanus prohibuiſſet ad ejus ſepulchrum cultum aliquem duliæ exerceri à Venetis, qui ſi Romæ fuiſſet, forte ut creditur, ignibus addi-

addictus fuisset, cujus compar Marcus Antonius de Dominis saltem mortuus ex morbo, idem tamen supplicium etiam post mortem in corpore adhuc luit unà cum scriptis suis Romæ cremato.

Ernestus Mansfeldius Nothus Catholicorum detestabilis persecutor ad Pontem Dissavienſem à Wallsteinio vincitur peditatu toto amisso, equitatu ægrè cum ipso Duce elapso. Qui nihilominùs exercitum statim reparavit & per Germaniam pallbundus in Hungariam magnis itineribus ad Gabrielem Bethleemum venit (vestigiis ejusdem ubique insistente Wallensteinio) eique latronum suorum reliquias committit, ipse vero dum ad Turcas per Venetos transire intendit, in Bosnia morbo contracto impiam animam efflavit.

In Austria superiore exoritur rusticorum rebellio, 70. rusticorum millibus confluentibus & arma sumentibus, qui etiam legatos impudenter ad Imperatorem miserunt, & æquo pænè jure cum suo Principe egerunt, quâ audaciâ nobiles (in quorum perniciem conjurârunt) contra se accenderunt, atque ab iis sæpè fracti aut profligati, aut fame enecti in sylvis, aut ex arboribus in via consitis, popularibus suis in terrorem pependerunt.

Ad

Ad hæc tempora referuntur Gustavi Adolphi Sveciæ Regis initia, quando se parem existimans Sigismundo Polono & gloriâ cumulatus, incepit undique pecuniam corradere, quâ fretus, & præcipuè auri Gallici fulgore inflammatus, magnâ divini humanique juris perturbatione tenebras, miserias & luctum intulit in Germaniam.

Urbanus VIII. litteris in Japoniam missis animat Christianos ad Martyrium.

✲(1627.)✲ Christianus Daniæ Rex in agro Brunvicensi à Tillio Duce Cæsareo anno superiore victus, cum duces suos, fere omnes unà cum tormentis bellicis 22, & signis militaribus 66, & quòd caput est, simul existimationem suam præcidisset, hoc anno iterum penitus retusus, deinceps non tantùm ab hostibus, sed à suis etiam ignominiosè derisus est.

Corpus S. Norberti Archi-Episcopi ex urbe Magdenburgo Pragam exportatur, ibi cultui exponendum, quod illic à Lutheranis neglectum fuit.

Poloni & Sveci sub magnis Ducibus & Regibus suis Sigismundo & Gustavo fortiter pugnant, prævaluerunt tamen Poloni, Gustavo ictu globi vulnerato, & Svecorum Polemarcho, cum Ducibus non paucis

cis interfecto, & reliquo exercitu fugâ dilapso.

Ferdinandus II. Cæsar edicto mandat, ut in regno Bohemico non nisi unica religio Catholica doceatur.

Angli hæretici rebellibus Francis mixti, opem laturi Rupellanis Hugonottis perduellibus Regi Christianissimo à Schombergio Mareschallo Franciæ in Insula Resana vincuntur.

Urbanus VIII. adscribit Martyrum Catalogo tres è Societate JEsu Paulum Michi, Joannem Gotho, & Jacobum Kisai, & Franciscanos aliquot in Japonia odio fidei occisos.

Ferdinandus III. Rex Bohemiæ coronatur.

✠(1628.)✠ Ludovicus XIII. Rupellam hæreticorum tutissimum asylum, post arctissimam quindecim mensium obsidionem fame domat, & ad deditionem compellit, contra multorum opinionem & expectationem, quibus Rupella visa fuit inexpugnabilis. Dixisses Rupellanos Præsidiarios non jam homines sed viva cadavera deditione factâ migrare, aut Regi Christianissimo sese submittere. Contra obstinatam urbem, nidum iniquissimum hæreticorum præterea nihil actum est à victore

victore & triumphatore Rege, quàm quòd propugnacula, quæ rebellionem foverant, & accenderant diruta sint, & modis omnibus provisum, ne si maximè vellet, ipsa Rupella ultra se perderet, & dum furori undecumque pateret, sic conjurationibus occluderetur: Et quidem ut pietas quoque cum Rege de hæresi victâ triumpharet, jussit Rex solenni Pompâ Sacrosanctam Eucharistiam per urbem circumferri ipso cum toto exercitu comitante & Cardinale Richelio in basilica urbis solenne sacrum peragente.

Inter Anglos, Danos, Svecos & Batavos de restituendo Palatino novum fœdus conflatur, inutile tamen, ubique Tillio & Wallensteinio prævalentibus. Danus ad Volgastum Pomeraniæ fugere compulsus est, multæ urbes a Tillio & Pappenhemio captæ, qui in his bellis egregiam operam navavit.

Constantinopoli Legati Angliæ & Hollandiæ Satagunt ut inde Patres Societatis JEsu expellantur: præsertim quòd hi resisterent hæresi ibidem vulgari linguâ promulgari cæptæ. Sed in cassum laborarunt, Legato Galliæ jussu Regis eosdem protegente.

Mortuo Vicentio Duce Mantuano turbatur

batur Italia, multis ejus hæreditatem prensantibus.

✲(1629.)✲ Bello Mantuano Pontifex & Gallus graviſſimè offenduntur, reſpirant interea, ſeque miris modis armant Proteſtantes ac recolligunt, Sveco evocato.

Moritur Bethleemus, & Cæſaris in teſtamento memor eſt, cum quo anno præterito pacem & fœdus iniit, defuncto autem in Principatu Tranſylvaniæ ſuccedit Georgius Rakocski.

Hoc eodem anno pax inita inter Gallum & Anglum, item inter Danum & Cæſarem, illum victum ſæpiùs & profligatum, hunc autem victorem ſed longa bella pertæſum, inter Polonos verò & Svecos non pax ſed induciæ conſtituuntur.

Ludovicus Rex Galliarum à Rupellenſi obſidione Caroli novi Ducis Mantuæ defenſionem ſuſcipit, & Sabaudo paſſum in Italiam negante, atque etiam reſiſtente, armatâ vi tranſitum ſibi aperit.

Ferdinandus Cæſar pace cum Imperatore Turcarum & Rege Daniæ compoſitâ, edictum promulgat pro reſtituendis bonis Eccleſiaſticis à Proteſtantibus poſt pacificationem Paſſavienſem occupatis, mittitque exercitum Duce Archemio Regi Poloniæ adverſus Guſtavũ Sveciæ Regem;

mittit

mittit insuper alium exercitum triginta millium peditum, & quinq; millium equitum contra Carolum Gonzagam Ducem Nivernensem ob occupatum Ducatum Mantuanum sine investitura & subjectione Cæsari debita, eundem invadunt etiam Hispani, Galli autem & Veneti eidem opitulantur.

Urbanus VIII. Pontifex in Sanctorum numerum adscribit Andream Corsinum, Episcopum Fessulanum.

✠(1630.)✠ Cæsariani occupant Mantuam Venetis non providè satis eam servantibus, & peste insuper urbem affligente & depopulante: quibus miseriis Cæsarianorum quoque crudelitas accessit, qui urbem interceptam barbarorum more vastârunt ædibus prophanis & sacris nullo discrimine expilatis, & crudeliter & luxuriosè ac impie verè grassantes, quorum tamen scelera & diros excessus Imperator valde improbavit & redarguit. Hujus cladis nancius Carolum Emmanuelem Sabaudum intra triduum è vivis sustilit anno ætatis Septuagesimo secundo, occasione enim Mantuæ captæ non tantum Mantuanus Ducatus sed etiam Sabaudia gravissima damna experta est partim ab auxiliaribus, partim ab hostilibus copiis; Post-

mo-

modum tamen pax inter Cæsarem, Hispanos & Sabaudum, & inde inter Gallos, Venetos & Carolum Nivernensem certis conditionibus concluſa est, inter quas fuit ut Carolus intra sex hebdomades supplicaret pro investiturâ Ducatûs Mantuani apud Cæsarem.

Ambrosius Spinola Cassalem oppugnat, sed non æquè secundo eventu, atque Colaltus Mantuam (habebat enim repugnantem sibi Torasium Gallicæ gentis tunc temporis decus & gloriam) quia obiit in urbis hujus obsidione Spinola & gloriam expugnatæ urbis cessit Marchioni Sancta-Crucio successori suo, cui urbs tandem cum arce dedita est: servatâ tamen ad tempus Acropoli, donec ex Francia veniret auxilium, quod paulò pòst adfuit sub tribus Mareschallis omnia perrumpere paratissimis. Cumque jam essent in procinctu acies ambæ, Julius Mazarinus magno utriusque gentis bono eas conciliavit, & obsidione solutâ, pax Gallos inter & Hispanos sancita est.

Sub idem tempus conveniunt Principes Imperii Ratisbonam ad Comitia, efficiuntque apud Imperatorem ut Wallensteinium tunc absentem exuat præfecturâ Cæsarei exercitûs, quæ oblata fuit Duci Bava-

Bavariæ Maximiliano ; sed ab hoc recusata, data est Comiti Tillio.

Interea Gustavus Adolphus Sveciæ Rex invitatur à Protestantibus Principibus,& adjutus pecuniis Francicis Pomeraniam ingreditur, bellumque denunciat Imperatori, tunc copiis suis Italiæ incubanti.

In statu Veneto grassatur hoc anno pestis gravissima, quâ absumpta sunt in sola illa ditione, plùs quàm quingenta millia : in Lombardia verò alicubi dimidiam, alibi circiter tertiam partem hominum eadem lues sustulit.

Jussu Cæsaris Wittenbergæ Cænobia restituuntur, Maria Soror Regis Catholici Ferdinando Imperatoris filio, jam Regi, desponsata Tergestum honorificentissimè deducitur.

DECAS IV.

(*Ab anno Christi 1630. ad 1640.*)

1631. IN aula Gallica domesticæ turbæ erumpunt, inter Reginam matrem & Cardinalem Richelium, quæ indignè ferens, quòd eum à filio amovere non posset, in Belgium secessit, quò perrexit etiam

etiam Dux Aurelianensis Cardinali infensus, ille enim ita sibi Regem demeruerat, & eum parentis loco haberet, & maluerit matris & fratris carere præsentiâ, quàm Richelium à se amovere.

Jubente Cæsare in Italia hoc anno pax firmatur cum Duce Nivernensi, datâ à Cæsare eidem investiturâ pro Ducatu Mantuano, Mantuâque restitutâ, atque inde imminente hyeme Cæsareus exercitus revocatur.

Mense Majo jam diu obsessum, & primùm quidem à Tillio, deinde à Pappenhemio expugnatum Magdeburgum totum ferè in cineres abiit, sive hos ignes victor ex ira, sive victi ex desperatione injecerint, quos vehemens procella statim per urbem circumtulit. Aliquot hebdomadis ante captam, incensamque urbem, quod 10. Maji contigit, uxor cujusdam militis in partu diris doloribus per aliquot dies cruciata, obiit, quâ defunctâ illicò apertus est uterus ejus, ad infantem conservandum, si fieri posset, in vivis, &, mirum dictu! repertus est in utero infans æqualis puero trienni, capite galeâ tecto, corpore loricato, & pedibus novo more ocreatis, & hæc omnia ex subtili, quasi chartæ adinstar, pelliculâ, quæ facilè dimoveri posset

set: ex latere magnum pendebat marsupium carneum, id quidem intrinsecùs asperum & corrugatum, arietino vel vaccino aqualiculo simile, intra marsupium autem duo globuli erant catapultariis glandibus non dissimiles.

Contra Imperatorem & Austriacam potentiam cum Rege Sveciæ fœdus ineunt Reges Galliæ, Angliæ, Hollandi, itemq; Elector Saxoniæ; & incipit magna tempestas à Septentrione in Germaniam incumbere, dum Gustavus diu collectas in regno suo vires cum Saxone conjungit, & ad Lipsiam atrocissimo prælio cum Cæsarianis confligit & vincit, quâ pugnâ etiam Tillius Dux fortissimus & belli experientissimus, globo minoris tormenti vulneratus paulò pòst obiit, & in ejus locum restitutus est Wallensteinius antea exauctoratus.

Hac victoriâ elatus Svecus summâ celeritate Franconiam, Sveviam, Palatinatum inferiorem, Alsatiam, Moguntinam ditionem, Westphaliam, quasi deambulando depopulatur: Et qui initio Pellitum egentem, & suspensis sune è collo gladiis, miserum aspectu militem è Septentrione adduxerat, mox Ecclesiasticorum præcipuè spoliis locupletem exercitum circumduxit:

duxit: jamque eò progressus erat, ut pænè sociis quoque metuendum se præberet, qui & Rheno pertransito, eos jam contemnere visus est, sine quorum auxilio inter Gothicas nives torpere aut venari debuisset. Conspectis tamen copiis ultrà non progredi ausus, in Germaniam, jam magnâ ex parte suam retrocessit, ut ibi victorias suas & potentiam firmaret.

Exeunte hoc anno 18. Kalend. Januarii Vesuvius mons inter horrendos mugitus & tonitrua intestina terribiles flammas evomuit, iisque permixtos lapides ignitos cum cinere. Erupit quoque ex montis cratere fluvius bituminis inflammati, in septem rivos mox dissectus, obvia quæque ad mare usque exurens, & in ipsis fluctibus duodecim dierum spacio ipsas aquas accendens & depascens. Ex oppositâ verò montis parte erumpentis aquæ fætidæ atque bullientis torrens multa loca inundavit & fædavit: Quæ clades anno sequenti, mense Februario renovata, mirificè Neapolim perculit, & ejus plerisque civibus pœnitentiam extorsit. In portu omnes naves steterunt in sicco, aquis supra modum recedentibus, quas ignis ille Tartareus exederat, tandem tamen urbs liberata est, adhibitis & cultui expositis reli-

reliquiis S. Januarii, celeberrimi urbis illius Patroni, cui jam pridem illa suam debuit in multiplici periculo incolumitatem.

⁂(1632.)⁂ In Imperio vario Marte a Cæsarianis & Svecis pugnatur, multas civitates his occupantibus & illis recuperantibus, tandem utrinque decernitur generale prælium illudque cruentissimum & committitur ad Lutzenam oppidum, in quo utrinque perivêre circiter novem millia hominum, & ipse Gustavus Sveciæ Rex dum pugnæ & victoriæ avidior ad frontem, non jam magni exercitûs Imperator, sed pænè gregarius miles pugnaret, incertum à quo, in pugna occiditur, anno ætatis 38. & ita vulneratus atque deformatus inventus est, ut à suis domesticis vix agnosceretur. Perdidisset Gustavus cum vita totum etiam exercitum suum, nisi Bernardus Weimarius Saxo sapienter occultatâ Regis nece, & vulnere duntaxat simulato, Svecos ad vindictam Regii sanguinis accendisset, iisque hac arte non incruentam, sed Cadmæam victoriam servasset. Sed & alter Polemarchus exercitûs Cæsarei Pappenhemius interiit, vir bellicosissimus, Wallensteinio supremo Duce post pugnam Cæsareum exercitum Lipsiam reducente.

Trevirensis Archi-Episcopus superiore anno dum Gustavus Rhenum pertransiisset Gallorum ope imploratâ, ne idem suis ditionibus à Svecis contingeret quod Moguntinensibus, Hermeinsteinæ arci munitissimæ Gallicum præsidium imposuit idem facturus Trevirensi urbi, nisi capitulum tunc obstitisset & maluisset sub præsidio Hispanorum sese tueri, ideo hoc anno Galli Treviros obsederunt, ut expulsis Hispanis urbem Archi-Episcopo tanquam legitimo suo domino restituerent, & hujus potius quam Canonicorum imperio cives subesse docerent.

Moguntiæ hoc eodem anno dum maximè sperat à Sveco suæ pristinæ dignitati restitui, Fridericus Palatinus quondam Elector diem suum ex morbo pestilenti obit anno ætatis duodequadragesimo, turbarum Germanicarum primus & præcipuus auctor, quarum tamen pœnas peracerbas dedit, eò redactus, ut precariò ac propè mendicatò viveret, ex Palatino Rex, & ex Rege mendicus, ac nihil.

Sigismundo Poloniæ Regi anno ætatis 66. regni 45. defuncto succedit Uladislaus filius.

Sveci Duce Waimarensi omnia Saxoniæ loca à Cæsarianis capta recuperant.

Chri-

Christina Regina unica Gustavi filia, septennis tutelæ Alexii Oxensternii magni Cancellarii Regni Sveciæ committitur.

Dux Aurelianensis cum Duce Montmerantio in Gallias erumpit quasi vi ex brachiis Regis Richelium erepturus, sed à Rege per Ducem Schombergium vincuntur, & ille quidem refugit in Belgium, hic verò vivus capitur, & demum Tolosæ ex juris formula capite plectitur, quamvis probrosè carnificis manu, piè tamen ac religiosè moritur.

✲(1633.)✲ Constantinopolis tristissimo vastatur incendio, quo tertia pars urbis devastatur.

In Germania Svecos inter & Cæsareos diriſſimè bellum recrudescit, in locum Gustavi succedentibus Waimario, Kornio, Bannerio sub præcipuo regni Svecici administro Oxensternio.

In Alsatia quoque & Svevia vario Marte pugnatur, hinc à Cæsarianis & Bavaris & inde à Svecis & Gallis.

Ludovicus Rex Galliarum invadit Lotharingiam & sui juris facit. Causa autem ejus invasionis prætendebatur, quod Carolus Aurelianensi Duci sororem suam Margaritam dedisset in uxorem, propterea coactus est tradere ditionem suam,

ſuadente ita Richelio, ut cum Ducatu etiam Nanceum urbem conſignaret in manus Regis, à quibus ſervare non poterat, ea quæ ſua eſſent.

Carolus Rex Britanniæ Coronatur in Regem Scotiæ, & Puritanos perſequitur præſcribens certum habitum Epiſcopis, & Liturgias, ac muſicos concentus Eccleſiis, unde inter homines ſeditioſos multæ exortæ ſunt contentiones, quæ demum in miſeri Regis caput reciderunt.

Ferdinandus Cardinalis Philippi Hiſpaniæ Regis frater, & Hiſpaniæ infans Gubernator Belgii à fratre conſtituitur poſt obitum Iſabellæ, ideo Aurelianenſis Regis Ludovici frater, qui hactenus in Belgio degebat, redit ad fratrem ſuum Regem, ab eoque perhumaniter recipitur, Richelio impoſterum amorem pollicitus. Matrimonium autem quod cum Margarita Caroli Lotharingiæ Ducis ſorore inierat, mox à Rege & Senatu irritum declaratum eſt, tanquam inſcio & non conſentiente Principe contractum. Cum enim Ludovicus Rex pro eadem Carolum Lotharingum ſollicitâſſet, diſſimulato habitu Margaritam ad ſuum Aurelianenſem abire paſſus eſt, de hujus diſſolutione matrimonii acriter inter doctos viros diſputatum

tum est ; cùm starent pro utrâque parte ingenioſi fautores, & nunquam viris Principibus desint, qui eorum causæ, qualiscunque illa sit, patrocinentur.

Romæ Hyacinthus Centinus nepos Cardinalis Centini Ascolitani mortem Urbano VIII. necromanticis veneficiis molitur, at scelere patefacto ibidem securi percussus luit.

Romæ opinio Galilæi Florentini exagitata per Nicolaum Copernicum, de motu terræ, circa solem tanquam centrum universi, à sacris Inquisitoribus damnatur, ut sacris codicibus opposita. Quam doctrinam cum ille pollicitus esset retractare ac damnare, & nihilominùs scripto docuisset ac divulgâsset, septuagenarius licèt, inclusus est carceri, non quia hæreticus, sed quòd fidem datam in re tanti momenti fefelliſſet.

✲(1634.)✲ Comes Albertus Wallensteinius Dux Fridlandiæ copiarum Cæsarearum ductor opprimitur, cui potentia potiùs & invidia, quam agitata cum hoste consilia nocuisse dicuntur, putatur (si mortem ejus Imperator inferri mandavit) sibimet sinistra manu dextram amputâsse : & verò auditâ ejus morte dicitur collacrymâsse, quas tamen lacrymas suspicantur

aliqui similes fuisse lacrymis Cæsarianis defluentibus, cum ille Pompeji truncati caput videret, hac in re suus cuique sentiendi & judicandi arbiter affectus est. Occiso Wallensteinio Galassus a Cæsare substitutus est, prius tamen Ferdinandus III. jam Hungariæ Rex loco Wallensteinii supremum regimen exercuit, qui conjunctis copiis Ducis Bavariæ Ratisponam oppugnavit, ac tandem (licèt non sine magna strage suorum) etiam expugnavit, auctus deinde exercitu Hispanorum quem ducebat Infans Cardinalis in Belgium, ac simul militia Caroli Ducis Lotharingiæ obsedit Nordlingam & cum Svecis prælium atrox commisit, quo totis decem horis acerrimè pugnatum est, & obruti tandem & victi Sveci suorum octo millia in acie, novem in fuga perdiderunt, quatuor millia capti, inter quos Hornius cum 80. tormentis bellicis, signis militaribus ducentis & cum omnibus impedimentis. His auditis Augusta, Herbipolis, multæq; aliæ urbes ad Imperatorem, & ad veros suos Principes & Dominos redierunt. Waimariensis ad Gallos confugit pro subsidiis, quæ ut impetraret effecit apud Svecos, ut Philipsburgum arcem munitissimam, magno detrimento Germaniæ, Gallis traderent.

Tota

Totâ igitur Lotharingiâ, & totâ ferè Alsatiâ, Episcopatu Basileensi & Spirensi jam Ludovici Regis patrocinio sese submittentibus, videbatur is ab hac parte Rheni jam belli ac pacis arbiter esse.

✻(1635.)✻ In Germania res Svecorum labascunt, & Cæsaris augentur, cui Spira, Wormatia, Ulma, aliæque urbes se dedunt: Treviros quoque recipiunt Cæsarei unà cum Electore, quem Viennam abducunt ad causam dicendam, de introductis Gallorum præsidiis contra Imperii constitutiones. Interim Urbanus Papa VIII. instat, ut Elector dimittatur, si innocens est, vel si reus, cùm Ecclesiasticus sit, restituatur potestati Ecclesiasticæ, ab ipso Summo Pontifice judicandus; sed præter bona verba nihil tunc Pontifex impetravit.

Multùm quoque roboris contulit ad Cæsaris exercitum Georgius Dux Saxoniæ, qui à partibus confœderatis Protestantium ad Imperatorem transiit, frementibus contrà suis Lutheranis. Galli quoque Austriacis bellum indicunt, & cum Hollandis, Sabaudo, & Parmensi fœdus ineunt, magnoque impetu Belgium, Germaniam, Lotharingiam, Italiam, & Vallem Tellinam cum diversis exercitibus invadunt,

dunt, sed sine optato successu, & in Belgio quidem ac Germania cum magno suo detrimento. Exercitus enim in Belgium missus, fame enectus, diminutus valde ac dispersus rediit in Galliam, alter verò, qui expeditus fuerat in Germaniam, lacessitus sæpius à Cæsarianis, & carptim diminutus, demùm ingloriè recedere coactus est sine tormentis bellicis, quæ defodit, vel projecit in lacus, & plùs retulit de vulneribus, quàm de spoliis. Intereà tamen Pontifex Urbanus non destitit omnibus modis laborare pro componendâ pace inter Cæsarem & Regem. Dum Galassus quoque & Joannes de Werdt Cæsarei Duces æquè omnibus viribus contendunt Gallos carpere, & ipsos Galliæ fines excursionibus perterrefacere & affligere.

✲(1636.)✲ Dux Bavariæ Annam Mariam filiam Imperatoris in uxorem ducit.

Dolam frustrà obsidet Condæus Pro-Rex Burgundiæ.

Hispani vicissim Picardiam vastant, Corbeiam capiunt intra paucos dies, sed Ludovico cum exercitu adveniente ad recuperandam urbem, eandem deserunt, Belgium suum repetentes.

Inter Polonos & Svecos induciæ usque ad

ad 26. annos conficiuntur, Prussiâ Polono & Brandenburgico, Livoniâ autem Sveco cedente, quæ magnarum contentionum & bellorum postea materies fuit.

Joannes de Werdt cum Croatico Cæsaris milite Parisios usq; excurrit, & incutit magnum timorem, dum Galassus Confluentiam recuperat, Gallis expulsis.

Ferdinandus Imperator in Comitiis Ratisbonensibus Ferdinandum Ernestum jam Hungariæ Regem curat insuper inaugurari Regem Romanorum : natus tunc erat Ferdinandus Rex annos duodetriginta. Hæc autem electio à multis est improbata, eò quòd Elector Trevirensis detineretur captivus, Bavarus loco Palatini substitutus esset, maximè omnium Galli se huic electioni opponebant, sed in his negotiis summi juris est, occupare & vi retinere.

Urbanus VIII. Cardinalem Gineltum mittit Coloniam ad tractandum cum Principum Legatis de pace universali, neque tamen eam impetrat.

✲(1637.)✲ Ferdinandus II. Imperator die 24. Viennæ religiosissimè moritur, annorum 59. optimè de re Catholicâ meritus, Principum optimus, & idea omnigenæ virtutis, succedente filio

ejus Ferdinando III. cui sub vexillis tunc militabant centum & decem armatorum millia.

Obiêrunt eodem anno Sabaudiæ & Mantuæ Duces, diversarum partium, & impacati semper.

Hollandi Bredam obsident, & post novem hebdomadas ad deditionem cogunt.

Ejiciuntur in Pomeraniam Sveci.

Uladislaus Poloniæ Rex Cæsareos armis ad obsequia compellit.

In Anglia Prædicantes Puritani contra Regem & Proceres seditionem excitant.

In Japonia Pater Marcellus Mastrillus è Societate JEsu post tolerata per plures dies graviſſima tormenta, tandem in odium Christianæ fidei decollatur.

✲(1638.)✲ Constantinopoli fanaticus ille Cyrillus, Patriarcha Constantinopolitanus Græco-Calvinianus, ab urbis Præfecto in carcerem conjectus, ad fauces Bosphori (Castrum septem arcium dicunt) & ex turri in mare præcipitatus & submersus est, ejus in sedem alter Cyrillus restitutus est ex Iberia, quem ille detruserat, sed & hic pecuniâ emit, & non eruditione & virtute hanc dignitatem à Turcis impetravit.

Brema ab Hispanis obsidetur, & interempto

empto Duce Crecquio ad deditionem cogitur.

Pugna navalis committitur non longè à Genua inter classes Gallicam & Hispanicam: vicêre, sed cruentâ victoriâ, Galli.

Classis Veneta 17. triremes piraticas Turcarum in mari Adriatico debellat.

Hollandi in Belgium exscendentes ab Hispanis profligantur, & ab obsidione Geldriæ perturbantur.

Amurathes Turcarum Imperator bello Persico occupatur.

Casimirus Regis Poloniæ frater, electus Lusitaniæ Pro-Rex, dum in hoc regnum festinat incognitus per Galliam, interceptus & Lutetiam perductus, in honesta custodia lautè habitus est, donec precibus fratris & Legationi Polonorum concessus est. Tanti illi stetit parùm prudens & curiosa peregrinatio,

Batavi Calloum expugant, paulò pòst ab Hispanis iterum exturbati.

In Scotia majores turbæ à ministellis excitantur contra Carolum Regem, ex cujus lenitate, & de jure suo nimis remittente, facti sunt hæretici ferociores & insolentiores.

Weimarus Dux Svecorum cum Gallis conjunctus Cæsarianos ad Rheinfeldam

vincit, victoriâ quidem haud incruentâ, sed valde pretiosâ & proficuâ, sic enim Rheinfeldam, Neoburgum, Friburgum Brisgaviæ & multa alia oppida cepit, & exinde Brisacum obsidione in suam potestatem redegit rebus omnibus jam destitutum, quod ut Cæsariani & Bavari servarent, nihil intentatum reliquerunt, sed prævaluêre, qui premebant arctissimè, & fortissimè oppugnabant.

Ludovicus XIII. in festo magnæ Dei Matris in cœlum assumptæ regnum suum speciali devotione & solennitate Deo consecravit, & accepit vicissim à Deo munus diu desideratum & exspectatum, Anna enim Regina non multò pòst enixa est filiũ, quem populus dixit *Adeodatum*, in sacro autem baptismi fonte dictus est Ludovicus XIV. & regni, & virtutum, & gloriæ paternæ hæres & magnum incrementum.

✲(1639.)✲ Urbanus Pontifex cum Venetis agit de procurandâ pace inter Catholicos Principes, aut saltem de induciis & suspensione armorum, sed hunc conatum diversæ dissensiones iterum exortæ interturbant.

Idem Pontifex mittit in Angliam in legatione ad Catharinam Reginam Catholicam,

licam, Comitem Rossetum Ferrariensem, qui eximio suo zelo non solùm ipsam Reginam Catholicam, sed & Regem Carolum mirificè sibi & Pontifici conciliat. Interim autem Puritani & Calviniſtæ contra eundem Carolum gravem seditionem movent.

Amurathes Turcarum Imperator Mustapham avum suum diu in carcere detentum necari jubet, & vovet Mahumeti suo, se ensem non depositurum, usque dum Christianos Imperio & legi suæ subjecerit, sed improviso casu adeò debilitatus est, ut depositâ ferociâ pacis conditiones facilè admiserit.

Waimarius Saxo pestilente morbo afflatus Neoburgi ad Rhenum extinguitur. Eo sublato Bannerius Svecici Ductor exercitûs animos extulit, Princeps autem Palatinus Rheni auditâ Waimarii morte, dum Brisacum occupaturus pergit per Galliam, ignotus ex Anglia Molimis intercipitur, cui & iter abruptum, & consilia patefacta, atque imprudenter susceptа, in irritum evanuerunt.

Carolus Angliæ Rex magnam suscipit expeditionem contra regni sui rebelles, sed non eâ fortitudine continuat, quam mala imminentia exigebant.

Sveci incumbunt Marchiæ Brandenburgicæ, mox Saxoniæ ac Miſniæ, & demum Bohemiæ, cujus metropolim adoriri auſus Bannerius repulſam patitur.

Trompius Hollandicæ claſſis Ductor magnam partem claſſis Hiſpanicæ propè canalem Anglicum incendit & mergit.

✲(1640.)✲ Die 9. Junii naſcitur LEOPOLDUS IGNATIUS Archi-Dux Auſtriæ, nunc Auguſtiſſimus & glorioſiſſimus Romanorum Imperator.

Amurathes Turcarum Imperator ex crapulâ, cùm apud Vezirium ſe vino & aquâ vivâ ingurgitâſſet, contra votum ſuum, quod coram ſuo Muphti nuncupârat, moritur Conſtantinopoli, cui frater Ibrahimus ſucceſſit, annos natus duodetriginta, & jam neci addictus, qui tum ſe vivere poſſe, intellexit, quando emortui fratris cadaver cum gaudio aſpexit.

Celebratur magna cum ſolennitate & pietate á Societate JESU per univerſum Orbem Jubilæum, ſeu annus centeſimus fundatæ Societatis, Summo Pontifice Urbano XIII. id approbante.

Idem Urbanus VIII. Rempublicam Lucenſem excommunicat, quòd in carcerem conjeciſſet fratrem & famulos Cardinalis Franciotti ipſorum Epiſcopi.

Cal-

Calviniſtæ rebelles in Anglia inſurgentes in Regem ſuum, eum cogunt ad retractandam formulam contra rebelles Scotos ab ipſo editam, eidemque jus vectigalium eripiunt.

In Italia Caſale altis, vaſtiſſimisque operibus ab Hiſpano circumſeptum audaciâ incredibili perrumpitur à Gallis, & tertia urbis hujus obſidio diſcutitur conſilio & prudentiâ Richelii, ac fortitudine Comitis Harcuriani: econtrà Taurinum & Atrebatum à Gallis Sabaudo & Hiſpanis eripiuntur.

In apertum erumpit Catalaunorum deſperata rebellio, qui ad arma concurrentes Hiſpanis fidem ejurârunt, non ſine magnâ cæde & multo ſanguine effuſo: tutelam inſuper à Ludovico implorârunt, quod quàm utile fuerit Ludovico Galliæ Regi, oſtendit Comitatûs Ruſcinonenſis perpetua jactura, quâ ille ad Gallos devenit. Et quidem ut Caſtellani utrimque premerentur, quod jam pridem meditabantur. Suppeditato ſibi per Francos & Batavos apparatu militari, Luſitani ſibi Regem creaverunt Joannem Brabantiæ Ducem, qui magnâ conjunctione animorum ubique terrarum receptus eſt.

Carolus Angliæ Rex hoc demùm anno ſenſit,

ſenſit, ſe leniùs cum ſuis Scotis egiſſe. In illos enim dum arma parat, expertus eſt, ſeriùs, Puritanos potentiores in Angliâ cum iis ſtare, progreſſus eſt tamen cum exercitu Eboracum uſque, ubi de pace conſultatum eſt, ſed cujus ſpecie deluſus Princeps, & cum illo omnes boni, ſummam & ultimam rerum omnium perturbationem deprehenderunt.

Tartari & Moſchi mutuis ſe excurſionibus carpunt & atterunt.

Cæſariani Svecos Bohemiâ ejiciunt.

Ludovico Regi alter filius Philippus Dux Andegavenſis naſcitur.

DECAS V.

(*Ab anno Chriſti 1640. ad 1650.*)

ANNO 1641. armis ſe mutuò infeſtant, Odoardus Farneſius Dux Parmenſis, & Barberini nepotes Pontificis.

Turcæ quoque, cum Venetis pace initâ, contra Coſaccos ſibi infeſtos arma parant.

Catalauniæ rebellionem contra Hiſpanos promovent Galli ſibi in alienâ meſſe metentes: intereà autem in ipſa quoque Francia Borbonius Galliique aliquod fœdus ineunt cum Bullionio Duce, Regique rebellant, mox etiam exercitum regium contra

contra se missum, viribus & fortunâ imparem suæ fortitudini vel audaciæ cedere cogunt; sed cùm Borbonius jam victor, ictu sclopeti vulneratus occumberet, reliqui confœderati brevî dissipantur.

Bannerius Svecorum Dux Cæsarem oppressurus repentè advolat Ratisbonam, sed luit non multò pòst hanc temeritatem suorum strage, & ipse in extremas angustias redigitur, ac contracto morbo moritur.

Obit eodem anno Bruxellis Cardinalis Infans, postquam septem annis Belgio præfuisset.

Res Anglicanæ fædè turbantur à Parlamentariis, Calvinistis, & plerisque Puritanis, qui Scotis rebellibus favebant. Et quidem hoc malum ipse Rex imprudens fecit, quando passus est Parlamentum, (uti vocant) perpetuum declarari, donec turbæ penitùs sedatæ essent. Hoc decreto Regis auctoritas labefactata est: tunc enim dati in custodiam Guilhelmus Landius Archi-Episcopus Cantuariensis, & Pro-Rex Hyberniæ fautores Regis, & huic etiam tortoris manu caput amputatum: tantæ immanitati Carolus subscribere coactus est. Eò usque crevit audacia hæreticorum, ut etiam quæstionem de Regina insti-

instituerent; quare hæc vitæ suæ consultura, quasi deductura filiam suam Guihelmo Arausicano desponsatam, secessit, & Rex in tutiora loca confugit, non jam Rex, sed Regis larva, cujus auctoritate ad omne nefas hæretici rebelles abutebantur.

✲(1642.)✲ Perpinianum eripitur Hispanis à Rege Galliarum.

Obiit hoc anno Richelius, cujus sagaci ingenio & prudentiæ Gallica Monarchia fere omnes progressus suos adscribere debet.

Obiit item Coloniæ Regina Maria Medicæa Ludovici XIII. mater & Henrici conjux, fere omnium rerum egena, tantùm depressa à Richelio, quantùm illa Richelium extulit.

Königmarckius Ductor exercitûs Svecici Gloscaviam majorem, Groß Glogau invadit, & capit, mox etiam cæso Alberto Brandenburgico potitur Silesiâ, progressus inde in Moraviam occupat Olomuzium, inde regressus in Saxoniam Lipsiam obsidet, & suppetias adducentem Archi-Ducem Leopoldum atque Octavium Piccolomineum ambos vincit, & Lipsiam capit, propterea Maldoniana legio, quæ prima fugisse ferebatur, ignominiosè mutatur, Duces ejus gladio cæsi, & signi-

feri

feri laqueo suffocati, & reliqui milites factâ decimatione morte puniti, Maldonius ipse datus in carcerem, Pragæ postmodum decollatus est.

Manifestè rebellant in Regem suum Angli, & vitæ sui Regis insidiantur paucis Catholicis adhærentibus Regi, & hæreticis omnibus Parlamento.

Georgius Ragotzius, Georgii Primi Ragotzii Principis Transylvaniæ filius parente adhuc superstite Principatûs titulo insignitur.

Pontifex excommunicat Ducem Lotharingiæ, ejusq; pellicem legitimæ uxori superinductam.

Osnaburgum & Monasterium Westphaliæ eliguntur pro pacis Svecico-Germanicæ tractatibus ineundis, & sic ponuntur tandem fundamenta pacis post bellum tam triste & plurimorum ruinæ protractum.

✻(1643.)✻ In Gallia Richelio Cardinali in administratione Julius Mazzarinus substituitur, & eodem anno Ludovicus XIII. lento morbo confectus, pientissimè diem suum obit, cui filius ejus Ludovicus XIV. successit sub tutela sapientissimæ matris, quæ assumpsit Ducem Aurelianensem totius regni cum summa potestate

testate vicarium, eoque absente Principem Condæum concilii caput.

Hispani ut primum audiverunt Regem Ludovicum extinctum esse, illicò Regiam Rupem obsederunt, ut sibi aditum per illam in regni præcordia aperirent, quibus cum exercitu Gallico se opposuit Dux Anguinius & unà cum Ducibus Hospitalio & Gassione eos aggressus ingenti clade delevit, toto peditatu deleto; partim in acie, partim in fuga, à rusticis spe prædæ vel vindictæ cupiditate in sylvis, quibus Belgium & Francia distinguitur, fugientes jugulantibus. Hæc tamen gaudia victorum Gallorum attemperat alibi ad Rattevillam perpessa strages, ubi minore tormento ictus Guelriantius paulò pòst ex vulnere interiit, quo sublato Gallorum exercitus dissipatus capti Duces & impedimenta direpta, ita ut in uno capite Gallici nominis gloria contineri videretur.

Sveci Acatholici invitant Georgium Ragotzium Transylvaniæ Principem Calvinistam ad Hungariam invadendam.

Joan de Werdt Dutlingam deditione recipit, & Bavariam ab impetu Svecorum liberat.

Regina Angliæ ex Hollandia per Scotiam rediens pessimè à Parlamentariis excipitur. 1644.

⁂(1644.)⁂ Pax fruſtrà inter Principes Chriſtianos tentatur, fecialibus, ſive plenipotentiariis Monaſterii convenientibus & magnificè quidem ſeſe oſtentantibus, ſed fructuosè nihil agentibus.

Dux Aurelianenſis occupat Gravelingam in Belgio, & Philippopolim in Palatinatu Rheni Dux Anguinius, qui acerrimo prælio cum Bavaris & Cæſareis per duos dies conflixit, magnâ Gallorum rage, ſed victoriâ ex neutra parte certâ.

Moritur Clemens VIII. & Cardinalis Pamphilius dictus Innocentius V. ſuccedit.

Obiêrunt etiam hoc anno Iſabella Francica filia Henrici IV. uxor Philippi III. & Cæcilia Renata Auſtriaca Poloniæ Regina.

Georgius Ragotzki Tranſylvaniæ Princeps, ſollicitante Sveco & Prædicantibus Calviniſtis inſtigantibus, Hungariam invadit, mox Caſſoviam occupat, non deditione ſed proditione hæreticorum, & non multò pòſt eidem tota ferè Hungaria adhæret, Catholicis in fidelitate erga ſuum Regem perſeverantibus, cum quibus Buchemius ſeu Bucquojus Dux Cæſareus, licèt paucis inſtructus copiis, ſed animis ingentibus & prudentiâ impetum hæreticorum fortiter repreſſit, & anno ſequenti eundem Georgium malè mulctatum ad pa-

cem

compulit, quam avidè Cæsar recepit ad depellendos ex Germaniæ visceribus Svecos sapienter intentus.

Sveci non denunciato bello Danum omni ferè ex parte invadunt, Tortenstonio in Julia & Hornio in Schonia malè eum mulctante. Cui etiam ad Insulam Fremerem classem fugârunt, & ex magnâ parte merserunt, & Bartholmiam Insulam expoliârunt, ut malè omnia Marte adverso Danis cederent : causa hujus invasionis non videtur alia fuisse, quàm invidia mutua, utrique huic genti ingenita, & magnis subinde cladibus & damnis ventilata.

Poloni Tartaros Tauricos, qui collectis equitum quadraginta millibus in Podoliam irruperant, ingenti clade repellunt, quos Podolienses, Moldavi, Cosacci, Zaporavenses penitùs postmodùm delêrunt.

Scoti rebelles & Parlamentarii obsident Eboracum, huic urbi ut Rex ferret auxilium, Rupertum Principem Palatinum in eos immisit cum 30. millibus armatorum, sed huic occurrerunt & prælio duabus horis ante noctem inito, & in sequentem diem continuato, Regios vicerunt, eisque tormenta bellica & omnia impedimenta eripuerunt; Peditatus omnis concisus aut cap-

captus, magna pars equitaûts cum Rege fugit Oxonium, parum utile obsidioni ferendæ aut potiùs asylum inane. Londinenses autem Archi-Episcopum Cantuarienſem Guilhelmum Landum, quòd erga Catholicam religionem & Regem ſuum legitimum propenſior eſſet, & conſilia Parlamenti improbaret capite, plectunt in publico foro: quod atrocioris & funeſtioris ſecuturi ſupplicii in Rege exequendi præludium fuit.

Regina Britaniæ Henrici IV. Galliæ Regis filia mari ſe committere coacta ad rebellium iras effugiendas malè à Calvinianis excipitur, utpote qui navem qua vehebatur filia conjux, & mater Regum tormentis bellicis impetiverunt, incaßùm tamen tentato immani facinore.

✲(1645.)✲ In Anglia Parlamentarii majoribus incrementis invaleſcunt contra Regem, creato Generali Præfecto Farfaxio & Sub-Præfecto Cromvello, utroque de ſecta independentium, quæ nulli alteri ſectæ adhærens, & Eccleſias ac ſacras ceremonias reſpuens, in locis privatis ſuo cujuſque arbitrio orandum ſtatuit. Similiter in Hibernia Catholica Religio opprimitur. Eam enim ingreſſus Pontificius Legatus majore pompâ quàm viribus & pecu-

pecunia, dum rebus non dum satis ordinatis, regnum imprudenter in partes distrahit, hæretici magno Religionis damno prævaluêre.

Turcæ, Venetis bellum indicunt & Cretám insulam Venetamque ditionem invadunt; occupant Caneam munitissimam urbem ex inopia commeatûs imparem sustinendis Turcarum impressionibus.

Ladislaus Poloniæ Rex uxorem ducit Mariam Lodovicam Nivernensem Principem.

Philippus Christophorus Elector Trevirensis jam decennio captivus urgentibus legatis Franciæ, atque Sveciæ, restituitur libertati, & Hispani Treviros reddunt, suo Domino. Inter quem & Clerum mox grave dissidium exarsit, ille enim Canonicos suos præbendis, ut vocant, spoliavit, & hi ad Cæsarem & Pontificem provocavêre, tandem inita est inter eos concordia urbi jam satis miseræ valde necessaria.

Cæsariani Olomucium obsident: igitur Torstenstonius relicto in Dania Urangelio properat in subsidium Olomucii, & Occurrentem in Bohemia Hatzfeldium cum Cæsaris exercitu atroci pugna devinat, & multas urbes Bohemiæ, Moraviæ ac Silesiæ occupat.

Tu-

Turenius Halâ captâ dum bellum spargit, à Mercio Bavarici exercitûs Duce invaditur & operâ potissimum Joannis de Werdt vincitur ad Mergenthemium & fugâ evadit, multis Ducibus Gallicæ militiæ captis : cumque ægrè collectis exercitûs sui reliquiis Königsmarckio & Hassis copiis sese junxisset ac superveniente cum novo supplemento Anguinio jam fortior evasisset, tunc demum ad Nordlingam cum Cæsareis congreditur & tanto ardore depugnat, ut tametsi victoriam in suas partes vi pertrahere non posset, inter utramque tamen partem ancipitem stiterit.

Pax initur inter Danos, Svecos, & Batavos sed magno Danorum damno portoriis eorum exSundico freto magna parte imminutis.

✲(1646.)✲ Galli Cortracum ad deditionem adigunt, & Dunkerkam expugnant.

Sveci Duci Gustavo Carolo Urangelio copiarum Svecicarum supremo nunc præfecto cum Gallis Augustam obsidione cingunt, sed Cæsareis ad subsidium venientibus obsidione desistunt. Sveci totâ Moraviâ potiuntur præter Brunam urbem, quæ fortiter eis restitit.

Maria Imperatrix soror Philippi III.

Hiſpaniæ Regis jam ſeptimeſtri fætu gravida Lincii moritur, cujus ex alvo exempta filia, Maria dicta, & ſacris aquis ablu-ta, ipſa quoque ſtatim funus materno funeri jungitur.

Philippus IV. Hiſpaniæ Rex perdidit & ipſe filium ſexennem & unicum, deſtinatum Cæſaris filiæ maritum, quem puſtulæ intra quatriduum magno luctu extulerunt.

Deniqúe extinctus eſt hoc anno Henricus Princeps Condæus, magno tam regni Francici, quàm ſuæ familiæ damno: fuit is quidem educatus in hæreſi, ſed in fine vitæ fidem amplexus, piiſſimè vitam finiit.

Uladislaus Rex Poloniæ, comparato ingenti exercitu, Turcas invadere intendit, ſed à Republica Polonica impeditur, prætendente, quòd Rex non haberet auctoritatem ſuſcipiendi belli offenſivè ſine Comitiorum conſenſu. Interim Veneti amittunt Rettinum in Creta, & Novigradum in Dalmatia.

Ferdinandus Franciſcus Ferdinandi III. Imperatoris filius, poſteà IV. dicendus, 5. Idus Auguſti Bohemiæ Rex coronatur, inſpectante patre, cujus hæreditatem exceperus erat.

In Italia Caſimirus Ladislai Poloniæ Regis

gis filius, contemptâ sæculi pompâ, Societatem JEsu ingreditur, sed ex eâdem ad purpuram iterum extrahitur, qui tamen nec Jesuita, nec Cardinalis, sed posteà Poloniæ Rex ad magnas calamitates & clades reservatus est.

Barberini nepotes Urbani quondam potentissimi ab Innocentio successore exagitati confugiunt in Galliam.

In Anglia Farfaxius obsidere parat Oxonium, quare Rex Britanniæ fugit, mutatâ veste in castra Scotorum apud quos tanquam gentem suam tutiorem se fore, existimabat. Occupat Farfaxius Oxonium, & Jacobum secundo-genitum Regis, & Ducem Eboracensem in triumphum abducit Londinum. Exinde rebelles in Britannicis Insulis omnia potuerunt.

✲(1647.)✲ Tumultuatum est hoc anno in utriusque Siciliæ regno, sed Neapolitanæ turbæ graviores & diuturniores fuerunt. Exortæ sunt illæ propter vectigalia imposita minutis rebus, ut pomis & oleribus, quæ ut aboleret, & privilegia Ferdinandi ac Caroli V. servanda curaret, se patriæ liberatorem professus est vilis homuncio Thomas Agnellus (Masamelum vulgò appellabant) Hic stipatus plebe omnia vectigalia sustulit, & ut

idem præstarent Pro-Rex & Archi-Episcopus, vi & armis impulit. Cæterùm, compositis rebus, se dementem esse docuit, quare cæsus est à quatuor nobilibus, ut insanire desineret: eo cæso nihilominùs duravit tumultus, dum nobilitas quoque postulat vectigalia imminui, quare ad turbas illas fovendas emissus ex Gallia Guisius, quamdiu potuit, easdem fovit.

Vrangelius longè latéque Germaniam cum Svecicis copiis peragrat, & demùm, inito cum Bavaro fœdere, redit in Bohemiam, ubi Egram urbem capit & movet in Cæsarianos, quare defuncto Galassio substituitur Melander, quem Bavaricum fœdus valde anxium & turbatum reddidit: Vrangelium tamen in Hassiam revertentem secutus, Marpurgum expugnat, arce tamen non pariter captâ, ex qua ipsi & Marchioni Badensi grave periculum accidit, septem tormentis in eorum domum (simul enim degebant) eodem momento explosis, quibus ambo graviter sauciati sunt, igitur urbs militi diripienda relicta, ut saltem hosti minùs utilis esset.

Ferdinandus IV. Archi-Dux Austriæ, Cæsaris Ferdinandi III. filius in Regem Hungariæ coronatur.

In Belgio Leopoldus Archi-Dux recuperat Armenterium & Landrecium.

Hol-

Hollandi pacem petunt & impetrant a Rege Catholico, retentâ novæ Reipublicæ formâ post 80. annorum rebellionem.

In Dalmatia Veneti prosperè bellum gerunt cum Turcis.

Carolus Rex Angliæ à rebellibus Calvinianis Scotis proditoriè, & auro venalis captivus Londinum deducitur: sed ille inde profugit ad Insulam Vectam.

Henricus Fridericus Princeps Arausicanus vitâ functus in Præfecturâ militari Ordinum Belgicorum locum dat filio Guilhelmo, & Christianus V. Daniæ Rex regnum relinquit successori fratri suo Friderico Episcopo Bremensi. Denique Casimirus Elector Moguntinus moriens successorem habet Joannem Philippum Episcopum Herbipolitanum.

✲(1648.)✲ Vrangelius hoc anno in agro Brunswicensi & Mindensi refectus copiis, receptoque cum septem millibus armatorum Turenio, primo vere Danubium trajicit, & non procul Augustâ Vindelicorum congressus cum Cæsareis, Bavaris cunctantibus, illos in fugam conjicit. In illo prælio lethaliter vulneratus Melander Dux obiit Augustæ, inde totâ pænè Bavariâ potitus est Vrangelius, Lyco & Isarâ fluviis transitis, Oeno tantùm repressus

sus est, paulò pòst tamen fortiùs à Picolomineo retusus, qui Melandro substitutus est, & à Joanne de Werdt, qui frænum fuit licentiæ Svecorum. Königsmarckius post cæsum Melandrum in superiorem Palatinatum ingressus, inde in Bohemiam irrupit, & primo impetu arcem Pragensem & parvam urbem occupavit, potitus in arce maximis thesauris: sed ab urbe novâ & vetere fortiter rejectus est ab urbis Præfecto Coloredo, cui sicut & Svecis venêre auxilia: sed pace mox firmatâ neutris profuturâ.

Feliciore fortunâ usus intereà Lambojus pugnavit pro Cæsare, & vicit Ernestum Landgravium Hassiæ, & commisso prælio apud Gaisecam urbem cepit: sed c nsertâ secundâ pugnâ cum Hassis, eis Cadmæam victoriam cessit.

Marte in Germaniâ victorias alternante, Ferdinandus III. ad secundas nuptias transit, & ducit Mariam Leopoldinam Leopoldi Archi-Ducis Tyrolensis filiam.

In Germania tandem aliquando pax inter Cæsarem & Svecos, iisque adhærentes concluditur Monasterii in Westphalia post triginta annorum cruentissimum bellum 9. Kalend. Novembris promulgata, & sequenti die publicata. Pax neque Imperio,

perio, neque Ecclesiæ utilis & glorioſa, nam Gallus, Svecus, Haſſus & Brandenburgicus hac pace pro ſe correpſerunt, hinc quia nimiùm Proteſtantibus indultum fuit, & conditiones religioni Catholicæ noxiæ videbantur, eidem à Fabio Chiſio Legato Apoſtolico apertè contradictum eſt. Pax tamen neceſſaria fuit, & haud repudianda, ut partium amiſſione Germania tota ab interitu ſervaretur, nec penitùs conſumeretur, per tot jam annos graviſſimorum preſſa & debilitata mole bellorũ.

Condæus vir acer conſilio & fortis manu ad Lentium parvam urbeculam exercitum Leopoldi Auſtriaci profligat, & omnia impedimenta & tormenta bellica obtinet.

Poloni bis profligati à Bogdano Chmelincio cum Coſaccis, ac deinde cum Tartaris conjuncto.

Archi Dux Auſtriæ Leopoldus Cortracum Gallis, Condæus autem Ipras eripit Hiſpanis.

Pariſiis Parlamentum inſurgit contra Mazzarinum & Regem.

Ibrahimus Turcarum Imperator minitans Janitzaris, ab iiſdem chordâ arcûs præfocatur. Moritur quoque Georgius Ragotzkius Princeps Tranſylvaniæ.

Moritur item Rex Poloniæ Uladislaus IV. amisso priùs unico filio Sigismundo, cui proinde frater ejus Casimirus ex Jesuita factus Cardinalis, & nunc Rex Poloniæ succedit

Carolus Rex Angliæ ex Insula Vectæ Londinum captivus reducitur.

✲(1649.)✲ Hic annus parricidium protulit omnibus gentibus, & omnibus sæculis execrandum, quod ita contigit: Carolus Angliæ, Scotiæ & Hyberniæ Rex ad Scotos confugere coactus ab his pecuniâ venditur Anglis rebellibus, additis tamen conditionibus, videlicet, ut Angli Regi suo primo quoq; tempore dignitatem restituerent, nec ipsi regnum adimerent, aufferrent tamen illi ad libitum, & contra patrias leges imperandi voluntatem. Et cum his conditionibus exceptus est à summo rebellium duce, Thoma Farfaxio perhonorificè, indéque translatus in Insulam Vectam, arcemque Caresbrochiam, nihil præter libertatem poterat desiderare. Interim agebatur cum eo de conditionibus pacis, cúmque nihil propiùs esset, quàm ut emitteretur, militiæ Principes, atque ex iis gemina Angliæ funera Farfaxius & Cromvellus, libellum supplicem offerunt Parlamento, quo de mul-

multis criminibus Rex accusabatur. Eorum hæc erat summa: accendisse civile bellum, Parlamentum opprimere voluisse, externa quæsivisse auxilia, Germanos equites, pedites Hybernos conscripsisse, imposuisse urbibus præsidia, ceremonias Papisticis similes induxisse, imperâsse gravissima vectigalia & portoria, promisisse Scotis quatuor Provincias Angliæ Borealeſ & Londini direptionem, si vel Parlamentum tollerent, vel ejus auctoritatem abjicerent. Cùm huic libello non responderetur, Farfaxius & Cromvellus cum exercitu Londinum advolant, & urbe recepti ex Parlamento sibi suspectos fautores Regis ejiciunt, ac Carolum ad judicium adducendum curant. Et quid plura? fertur in eum capitis sententia, & triduum, ut se ad mortem paret, conceditur. Hoc evoluto tempore constituitur theatrum, & in eo Regi per duos tortores personatos securi caput abscinditur. Posthæc tollitur penitùs Parlamenti pars melior & prima, dicta *Superior Domus*, ex Proceribus regni conflata, & retinetur tantùm altera, dicta *Inferior Domus*, quæ Legatos populorum & urbium continet. Ex iis delecti quadraginta viri constituendæ Reipublicæ gratiâ, qui cœtus *Consilium Statûs*

appellatur, eiqúe præficitur Olivarius Cromvellus, vir magni planè ingenii & insignis nequitiæ. Eidem Cromvello committitur bellum Hybernicum, superatur ab hoc Ormontius Hyberniæ Pro-Rex & Regii Ductor exercitûs, qui dum Dublinum obsidebat, Cromvellus superato Ormontio non tantùm Dublini obsidionem solvit, sed & reliquas urbes jugum novæ Reipublicæ subire & servire cogit. Quibus auditis Scoti jam regiæ proditionis pœnitentes, Regem suum acclamant Carolum Walliæ Principem, qui cum fratre Duce Eboracensi versabatur in Hollandia, eumque missâ legatione ad regnum & simul ad magnum discrimen accersunt.

Veneti feliciter pugnant contra classem Turcicam sub Præfecto Jacobo de Riva, qui in portu Foggiano deprehensam Constantinopolitanam Africanæ & Rhodiensi classi conjunctam tormentis appetere cœpit, & quinque naves hostiles depressit, cúmque navis præcipua & maxima plena pyxidibus pyrobolariis flammam concepisset, centurio Jacobus Santorinus ad eam enavit, funes præscidit, eamque inflammatam in Turcicam classem immisit, & incolumis ad suos redivit, Turcarum autem multi flammis absumpti, plurimi fluctibus

ctibus hausti, & Jacobus audaciæ suæ magnum à Senatu præmium retulit.

Cùm anno superiore populus Parisinus tumultuatus esset propter captum Bruselum, eumque armatâ manu in libertatem à Regina matre & filio Rege restitui petivissent, &violentè extorsissent, puduit Reginam Galliæ magni animi fœminam, Deoque confidentissimam cum filio Rege à populo Parisino insolenter grassante, quasi captivam teneri, & ad libitum ejus regi, qui obedire deberet; itaque suscepit consilium plenum audaciæ, & se, Regemque subduxit,& non totis decem millibus armatorum,Duce Condæo,Lutetiam ita concluſit, ut nuspiam commeatus tanto populo necessarius inferri posset: & fuisset nihilominùs annona sufficiens malignè suppeditatas, modò omnes ad diem vivere voluissent, sed dũ sepositerunt quidem cibaria metu futuræ penuriæ, præsentem inopiam induxerunt. Itaque malis, fameque domita plebecula, infantes morituros ostentans,pacem petebat, & ferociam suam atque insolentiam damno suo dedocta à Rege obtinuit, & tumultus Parisini conquievêre.

Ibrahimo Turcarum Imperatore à Janizaris anno priore interempto ejusdem fi-

lius Mahometes annorum ſedecim ſucceſſit in Imperio.

Anna Archi-Duciſſa filia Cæſaris deſponſata Regi Catholico tranſit in Hiſpaniam.

Carolus Dux Mantuæ ducit Iſabellam Claram Archi-Duciſſam Ænipontanam.

In Polonia inauguratus Rex Joannes Caſimirus ducit relictam fratris ſui Aloyſiam Mariam, ut bis Regina diceretur, moxque in Coſaccos & Tartaros movet, qui ad 300. millia concreverant,& magnâ virtute ingentem ſtragem edit, quâ perculſi pacem rogârunt,quæ illis ita conceſſa eſt, ut numerus Coſaccorum ad 40. millia revocaretur, aliaque iis impoſterùm continendis fræna injecta.

✠(1650.)✠ Cæſar tertiis nuptiis deſponſat ſibi Eleonoram Gonzagam Sororem Ducis Mantuæ.

Veneti adverſus Turcas in Creta Inſula proſperè certant.

Coronatur menſe Octobri Regina Sveciæ Chriſtina, magnificentiſſimè explicatis Germaniæ ſpoliis. Huic deſtinabatur ſponſus Carolus Guſtavus Palatinus, ſed cælebs illa vivere decreverat.

Innocentius X. ſummus Pontifex Jubilæum Romæ celebrat magno concurſu Chri-

Christianitatis, damnat idem Germanicam pacem quâ novus Electoratus constitutus erat, & Ecclesiæ bona abalienata, quæ fieri debuisse se inconsulto negabat.

In Anglia Regia dignitas aboletur dejectis statuis Jacobi & Caroli tanquam Regiæ tyrannidis monumentis, multi affecti supplicio aut in exilium abacti, qui Regiæ auctoritati favebant, Olivarius Cromvellus cum 10 millibus armatorum movet contra Scotos, quos collatâ acie vincit quidem, illi autem Sterlinum se receperunt, quam urbem milite refertam victor aggredi non est ausus.

Iterum turbæ concitantur Parisiis quorum causa fuêre tres Principes Condæus, Contius & Longavilleus in custodiam dati, auctoribus ut existimatum est fœminis, consilii tamen arbitro Antistite Corinthiaco hoste Condæi denunciato, qui stimulis ultionis & gloriæ incitatus tres uno impetu talesque viros includendos curavit, fecitque ut eo die quo Principes inclusi sunt totâ urbe festi ignes excitarentur, Principum tamen eliberationem urgebant tumultus mox in Aquitania excitati, neq; Burdegala rebellans aliter se dedidit obsessori Regi, & Reginæ nisi hac conditione, ut Condæa mater cum filio secura dimitte-

mitteretur ad montem rotundum, & libertas captivo Condæo brevi restitueretur, prius quamprimum executioni datum, non item posterius, actum tamen est, quanquam lentiùs de Principibus liberandis.

DECAS VI.

(*Ab anno Christi 1650. ad 1600.*)

1651. IN Hungaria parvum Comorrinum à Turcis irrito conatu impetitur. Cæsar Ferdinandus Neostadii nuptias celebrat cum Eleonora Mantuana.

Marchio Brandenburgicus in Montensem regionem hostiliter ingressus Ducem Neoburgicum ad arma cogit, & quanquam collectæ jam fuerint utrimque magnæ copiæ, pax tamen confecta est per delectos à Cæsare feciales arma Cæsaris illi intentantes, qui pacem non acceptaret.

Carolus Scotiæ Rex consecratus confecto numeroso exercitu amissum à parente suo cum vita regnum recuperare nititur, & Cromvellum dejicere: Verùm Cromvellus properanti cum Scotis ad Londinum obsidendum, iter ei abrupit, commissoque prælio Scotos omnes profligavit

gavit, magnâ parte Scoticæ nobilitatis cæsâ, & eodem impetu cepit Vigornum urbem, ex qua Rex Scotiæ fugit per adversam portam in veste plebeja, factus iterum sine regno ac subditis, & quidem ut meliùs lateret, fugit inter Anglos metu mortis semper animo obversante, donec Deppam & Francicum littus attigit, & in Galliam fugit.

Veneti feliciter contra Turcas bellum continuant.

Joannes Casimirus Rex Poloniæ prope Caminiecum insigni victoriâ potitur de Cosaccis & Tartaris, cujus prælii spectatores simul & actores utrimque fuêre hinc Tartarorum Chamus, & inde Poloniæ Rex Casimirus cum lectissima Poloniæ nobilitate.

Mortuus est hoc anno Maximilianus Elector Bavariæ Dux ætatis anno septuagesimo octavo, Vir ex æquo religiosus & prudens, & supra reliquos Germaniæ Principes bene animatus in Catholicam fidem. Reliquit filios duos Ferdinandum Mariam, & Franciscum Ignatium, hunc Paternæ virtutis, illum insuper Principatûs hæredem, qui duxit Adelaidam Sabaudiæ Ducis Sororem, in qua virtus cum forma certavit.

In

In Gallia Condæus Conzius & Longavilleus captivi tres Principes, sic urgente contra Mazzarinum Cardinalem plebe & Senatu, libertati à Rege & Regina restituuntur, & magno applausu à populo Parisiensi excipiuntur, illatam, dum caperentur accensorum festivorum igniũ injuriam sic compensante. Mazzarinus autem compellitur exesse è regno Galliæ invitâ licèt Reginâ & Regio filio. Secedit proinde Coloniam, nihilominus & inde gubernat & regit consiliis suis aulam Gallicam, à Parlamento tamen proscribitur appositis sex millibus aureorum qui eum occideret. Interea quoque ejusdem Bibliotheca, quâ nulla ferè in Europa fuit libris instructior magnis impensis ab eo comparata, Senatûs jussu magno litterarum damno distrahitur.

Ludovicus XIV. Rex Galliarum anno ætatis suæ 14. die septimo Idus Septembris ascendit magnificè & regiâ pompâ in Senatum sui juris arbiterque regni pronunciandus, atque magna diei hujus celebritate regni gubernacula cappessit, & quanquam universa Galliæ nobilitas huic solennitati adesset, defuerunt tamen Condæus & Conzius, quorum absentia omnium oculis observata & linguis memorata, &

ta, & quærentibus quidem causam absentiæ responsum fuit ab amicis & fautoribus eorum, metum mortis aut carceris arcuisse eos Regis Palatio, illi autem disseminatis his rumoribus in Provincias sibi commissas abierunt, Conzius Biturigas, & Condæus Burdegalam & mox bellum civile Galliæ intulerunt & incendium excitarunt, quo ferè Gallia conflagrâsset, Hispanis ad has flammas propagandas egregiam operam rebellium furori & vindicandi cupiditati navantibus, sed & fortissimis Galliæ Ducibus ad erumpentem tum Aquitanici tum Catalaunici belli flammam utrinque restinguendam à Rege protinus emissis haud impedire valentibus, quia Barcinona & variæ sociæ urbes à Rege deficerent & cum Gallici nominis dedecore Hispanis sese proderent, & rebellium vires corroborarent.

✲(1652.)✲ Hujus anni in initio Ludovicus Rex Cardinalem Mazzarinum Coloniâ revocat in aulam, rediit igitur ille Parisios victori similis stipatus tribus Polemarchis & lectissimis copiis, quibus tametsi Principes vias obstruere potuissent vel pontes, qui transeundi erant, abrumpere, maluerunt tamen liberum reditum permittere, quàm violentâ oppositione Regi contra-

contraniti : Interea Harcurius in Aquitania perſequitur Condæum, non ſemper ſecundo Marte uti aliàs pro Rege conſueverat, nunc pro ſe & ſua cauſa prælientem. Veris initio incendii civilis flamma penetravit in ipſa præcordia Galliæ, Nemurſius enim & Bellofortius jam ad montem Argium ſub auſpiciis Ducis Aurelianenſis eduxerant, quo audito Condæus rem Aquitanicam reliquit Conzio fratri, emenſaque magnâ Galliæ parte ignotus intravit Lutetiam, ea ibi occultè tranſacturus, quæ ad bellum promovendum & ipſam Lutetiam belli maximi ſedem faciendam opportuna viſa ſunt, ſi penes illum ſolum belli hujus adminiſtratio ſtetiſſet. Multum laboris atque periculi Condæus ſubiit Pariſiis ſed effectu tot difficultatibus non correſpondente, igitur ad Principum copias extra urbem prope Argium montem reverſus eſt. Quod cùm Ludovico innotuiſſet Principum exercitum imminere & urbi jam propinquum eſſe, a ſuis invadi & cædi imperat, & fortè ex iis nemo ſuperfuiſſet, niſi Condæus præfuiſſet, ille enim copias confœderatorum obruendas numero regiorum conſpicatus, ſapienter in S. Antonii ſuburbium eas ſubduxit, eaſque domibus & hortorum muris

ſeu

seu veriùs suâ fortitudine ac prudentiâ texit, pugnatum est à summo manè usq; ad vesperam, obstinatissimè, dum hinc oculo Rex, & inde Condæus etiam pugnaret manu, & Dux & Ordinum ductor & miles, inclinante in occasũ sole saltem Regii numero superiores erant, cum in Regios milites Bastilia detonans (arci ad portam S. Antonii hoc nomen est) eorum impetum retudit, neque omnia, ut creditum erat, in urbe stare à Rege significavit. Hæc tormenta bellica collibranda curârat Ducis Aurelianensis primogenita filia, virgo supra fœminam fortis, quæ insuper perfecit eloquentiâ suâ populari, ut Condæi copiis jam valde debilitatis pateret vicina porta & victoribus Regiis eriperentur. Principum milites atque impedimenta, quæ porta si clausa permansisset, uti sperabatur, hoc die sine dubio Regius exercitus bellum civile profligasset.

Quarto ab hinc die cædes Parisiis longè funestior est edita, quâ non milites, sed viri sapientes & boni crudeliter interierunt. Cum enim ad domum Urbanam, ut vocant, pleriq́ue honesti ac cordati cives convenissent, malis quibus urgebatur civitas remedium quæsituri, eos adorti milites permixti operis ac mediastinis, pugioni-

gionibus, ſclopis, fuſtuario inermes mactaverunt, unde ingens in totam urbem, & in multas ac magnas familias luctus redundavit. Et hac cæde quam Principes videbantur vel imperâſſe, vel cùm facilè poſſent non impediviſſe, effectum eſt, ut boni omnes à Principibus velut ab improbis & publicæ tranquillitatis turbatoribus refugere inciperent, unde paſſim ad Regem concurrebant, ſed occultè, quò minùs enim id apertè fieret, metus impediebat, quia Senatûs Pariſienſis pars non melior ſed major repugnabat, & eo freti Principes ſui exercitûs reliquias continebant, ne loquerentur de pace, demum tamen prævaluit vox liberæ populi pacem exoptantis, & metum omnem diſcuſſit Regis prudentia. & in pace concedenda facilitas, ad eum enim cum acceſſiſſent Legati Pariſienſes, tantâ amoris ſignificatione recepti ſunt, ut tam boni Principis aſpectu neutiquam carere ultra vellent. Re igitur Principum nondum compoſita deſignatus eſt dies recipiendo in urbem Regi, qui fuit dies 12. Kalend. Novemb. & Condæus quidem & Dux Aurelianenſis cum filia eum diem operiri noluerunt, ſed maturè exceſſerunt. Eandemque aleam ſubierunt quidam ex Senatoribus extra

téli

teli jactum præproperâ fugâ sese constituentes. Et Condæus quidem ad Hispanos se contulit, & ut ostenderet quid in se Gallia perdidisset, mox aliquot urbes cepit. Sic didicit Gallia quod nunquam civilibus motibus gratis insaniverit, Hispanis nunc operâ & peritiâ potissimùm Condæi tum in Catalonia, tum in Flandria complures munitiones occupantibus.

Ernestus Landgravius Hassiæ, & conjux ejus Eleonora Maria Comitissa Solmensis fidem Catholicam amplectuntur.

Hoc anno ægrè restitutum est Friderico Palatino Franckenthalium, idque non nisi numeratâ præsenti pecuniâ.

Batavi adversus Anglos parant ingentem classem sexcentarum navium, quarum singulæ triginta minimum tormenta bellica deferrent, cujus præfectus erat Herbertus Trompius Navalium Ducum hujus ætatis præstantissimus hoc apparatu Batavi sibi Pelamidum & halecum piscationem vindicare cupiebant, quam sibi Angli arrogabant, sed & Angli triplicem exercitum comparant Anglicanum Scoticum & Hibernicum, sic enim respublica illa nascens exigebat ne im cunis opprimeretur.

Cosacci iterum rebellant in Polonos & gravi

gravi ſtrage eos afficiunt, ſub finem autumni locuſtæ herbas & radices arborum abſumunt in Polonia, inde anno ſequenti fames & peſtilentia in hoc regno graſſata.

In Hungaria Turcæ menſe Auguſto magna Chriſtianorum clade in comitatum Nitrienſem irrumpunt. Cæſar autem Ratisbonæ Comitia indicit.

Martinus Martinius è Societate JESU Romam venit è Sinis ablegatus à Regina & filio ejuſdem primogenito jam baptiſmo ablutis. Hic porrò Martinus vir ingenio maximus Atlantem Sinicum & hiſtoriam gentis hujus magno eruditorum plauſu & voluptate in Europa divulgandum curavit.

✲(1653.)✲ Cardinalis Mazzarinus in Campania cum Regio exercitu proſperè bellum gerit.

Angli & Hollandi, illi Draco, hi Trompio præclariſſimis utrimq; Ducibus navalibus per duos dies in mari certant, & deniq; Trompio ictu tormenti bellici diſcerpto, penes Anglos ſtetit victoria, & ab his pacem Hollandi petere coacti ſunt.

Cromvellus cum exercitu Londinum accedit, ſeque ſupremum Protectorem regni impoſterùm dici imperat, & dejecto mox Parlamento ſub nomine *Protectoris* Regiam poteſtatem uſurpat.

Chri-

Christinâ Reginâ Sveciæ matrimonium recusante, Sveci in Regem eligunt eidem successorem futurum Carolum Gustavum Palatinum.

Ex levibus initiis Catholicos inter & Zwinglianos Helvetios grave bellum oritur & duobus annis continuatur, quod demum Galliæ Regis auctoritate componi debuit.

Veneti classem Turcicam vincunt.

Ferdinandus Franciscus IV. filius Ferdinandi III, Archi-Dux Austriæ, Hungariæ & Bohemiæ Rex in Regem Romanorum eligitur Augustæ Vindelicorum.

Galli Gerundam Catalauniæ obsident, sed frustrà; propè Salsulas autem Hispanos profligant. Burdegalenses autem auxilia contra Regem Ludovicum exposcunt ab Hispanis & Hollandis, sed non impetrant; unde pacem cum eodem inire coguntur.

Turcicum Imperium turbatur, verùm de more tumultus iste paucorum Procerum cruore extinguitur.

Innocentius X. quinque propositiones Jansenistarum, auctore Jansenio Yprensi Episcopo, editas damnat.

✲(1654.)✲ Ferdinandus IV. Rex Romanorum, Hungariæ & Bohemiæ, anno ætatis

ætatis 20. ex pustulis moritur, magno luctu rei Christianæ.

Carolus Dux Lotharingiæ Hispanis ac Gallis suspectus Bruxellis deprehenditur & Antwerpiam deducitur.

Regina Sveciæ Christina se regno paterno abdicat, quo eodem die Carolus Gustavus Upsaliæ in Regem Svecorum coronatur, & tum Edwigem Eleonoram filiam Principis Holsatiæ uxorem ducit, Christina autem venit in Belgium & Bruxellas, ubi ab Archi-Duce Leopoldo magnificè suscepta, Lutherum privatim ejuravit, & Catholicam fidem professa est, quam edocta per Joannem Baptistam Guemes Dominicanum, qui in Svecia dissimulato cultu eidem ab epistolis fuerat, & à secretis, quæ tum primùm vulgata sunt.

Moschi ditiones Polonicas invadunt, & mox Smolenskum obsidione cingunt & expugnant.

Brema à Königsmarckio obsidetur, & deditione factâ ad Svecos transit.

Angli pacem cum Batavis confirmant, sic rebus suis optimè consulente Cromvello, quem omnes fermè Europæ Principes tanquam Angliæ Protectorem missis Legationibus cohonestant, quia in aliis inter se valde discordes in tantum nihilominùs de-

decus

decus convenire potuerunt. Cùm igitur Cromvello jam nihil deeſſet, præter nomen Regis, 300. ſatellites ſclopis armatos ſibi corporis ſui cuſtodes adhibuit, in odiũ autem Regum *Majeſtatis* appellationem conſtanter rejecit, admiſit tamen *Celſitudinis*. In eum ab hoc tempore multæ ſunt exortæ conjurationes, ſed inanes.

Ludovicus XIV. Galliæ Rex Rhemis coronatur.

Hiſpani ab obſidione Atrebati, quam arctè Condæus jam preſſerat, magnâ clade repelluntur.

In Aquitania Conzius pertæſus belli ad obliterandam penitùs ſuperiorum temporum memoriam Martinoſſiam ducit uxorem, factus ex hoſte Mazzarini nepos, cujus ſanguis his nuptiis cum ſanguine regio miſcebatur.

✲(1655.)✲ Innocentius X. Pontifex moritur, cujus honori & exiſtimationi nihil obfuit, quam Olympia Maldachina uxor fratris ejus, quam cùm nimis poſſe, paſſus eſt, in ſuſpicioſa gente calumniarum materiam non ſatis prudenter viſus eſt declinare. Innocentio defuncto Cardinalis Fabius Chiſius Senenſis ſuccedit, dictus Aexander VII.

Leopldus Ignatius Joſephus Archi-Dux

in locum defuncti fratris Ferdinandi IV. anno ætatis 15. completo Rex Hungariæ Posonii inauguratur præsentibus quinquemillibus de præcipua nobilitate Hungarica. Circa hanc coronationem memorabile id accidit: Supremus urbis Budensis Moderator Turcicus (quem illi Vezirum vocant) ante ingressum Cæsarei Legati se supra torum ægrotantis in morem obligato capite collocavit, intromisso Cæsareo Legato, atque coronationem Leopoldi in Regem Hungariæ exponenti respondit (alludendo ad morem Regum Hungariæ post coronationem in vibrando cruciformiter gladio per quatuor mundi partes) hanc se coronationem præsensisse, tam validè enim novum Hungariæ Regem eâ die gladium vibrâsse in aëre, tamquam feroces ictus edidisse, ut durante etiamnum ex ictibus illis capitis dolore, ægre procumbere cogeretur. Hic quidem sarcasmus fuit à Barbaro, sed præsagium haud non inane secuturorum eventuum, quando victoriosissimus Rex Hungariæ Leopoldus percussit, & ferè etiam contrivit capita inimicorum suorum.

Christina Regina Sveciæ ex Belgio veniens in Italiam Æniponti publicam Catholicæ fidei professionem facit, ita sua den-

dente Pontifice, ut posset illam in ditione Ecclesiastica tanquam Catholicam excipere cum summis, ùt par erat, honoribus. Cúmque Regina propè accessisset ad Lauretanam Beatissimæ Virginis ædem, reliquum itineris, quamvis valdè lutulenti & sat longi, pedes confecit, obtulitque Reginæ cœli coronam & sceptrum pretiosissimis gemmis referta.

Ludovicus XIV. Rex Galliæ decreto edito excludit ab officiis aulæ suæ suique fratris omnes Hugonottas.

Carolus Gustavus Sveciæ Rex infestat Poloniam, & magna ex parte occupat, primâ jam acie victis Polonis. Poloni ad has angustias redacti (nam eodem tempore & à Moschis in Lithuania, & à Cosaccis in Russia graviſſimè premebantur) recurrunt ad Georgium Ragotzzium Transylvaniæ Principem, ejusdemque filio regnum offerunt post mortem Casimiri, si auxilio sibi esse vellet, & filium à se în Catholica religione educari permitteret; verùm, ita suadentibus Calvinianis ministellis, hanc oblationem respuit, & Poloniam insuper ipse quoque hostiliter invasit; sed brevî hujus temeritatis pœnas dedit, amisso toto exercitu à Tartaris abducto, & Transylvaniæ Principatu perdito: cujus filius nihilominùs postmodùm Catholicam

fidem amplexus est, non jam regni terrestris, sed cœlestis amore.

Francus & Anglus pacem contra Hispanum ineunt.

Rex Catholicus filium suum hæredem Monarchiæ declarat.

Lotharingi, qui hactenùs Hispanis militabant, nunc sub Duce Francisco ad Gallos transeunt cum aliquot legionibus.

Hoc anno 6. Martii nata est Eleonora Magdalena Theresia, moderna Augustissima Imperatrix.

☆(1656.)☆ Leopoldus I. Archidux Austriæ, & jam Rex Hungariæ in Regem Bohemiæ coronatur, uti & Eleonora Gonzaga Imperatrix, Conjux Ferdinandi Cæsaris.

Rex Sveciæ Mariæburgum occupat.

Veneti sollicitant Moschos & Cosaccos contra Turcam a Creta & Dalmatia divertendum.

Tartarorum quinquaginta millia Polonis veniunt in auxilium contra Cosaccos, quorum ope illi iterum ad obsequium Regis Poloniæ rediguntur; vires quoque contra Svecum resumunt.

Pestis grassatur in Italia, & magnam partem hominum in regno Neapolitano depopulatur, & quia Neapolis sensit patocinium S. Xaverii, eundem in Patronum Urbis eligunt, solenniss[ima] pompâ adornatâ. Inter

Inter Helvetos Zwinglianos & Catholicos per Legatos Francos, Hiſpanos, Batavos & Sabaudos pax reconciliatur.

Joañes Auſtriacus fit Gubernator Belgii.

Moritur Georgius Saxoniæ Dux & Elector, cui ſuccedit Joannes Georgius ejus primogenitus.

Galli in Italia occupant Valentiam, Valentias autem in Hannonia fruſtrà tentant fortiſſimè Hiſpanis reſiſtentibus.

Joannes Rex Luſitaniæ moritur, cui ſuccedit ejuſdem primogenitus Alphonſus.

Pax inter Gallos & Anglos formatur, bellum autem inter Anglos & Hiſpanos erumpit.

Pontifex laborat pro pace inter Regem Chriſtianiſſimum & Catholicum concilianda.

In Anglia quanquam armis & ſcriptis ubiqúe Cromvellus impeteretur, prævaluit tamen, & quem per vim & injuriam conſecutus erat Principatũ, corroboravit, exteris amicitiam ejus & fœdus ambitiosè prenſantibus.

DE TREMENTIUM SIVE QUAQUERORUM SECTA.

Anno 1656. *orta eſt in Anglia hæc ſecta Trementium (Angli voce patriâ* Quacrios *ſive* des Quaquers *vocant) quod inter orandum*

dum toto corpore contremiscerent. Eorum au-
ctor & parens fuit Jacobus Naylos, qui insidens
equo in urbibus ac pagis instar Prophetæ exci-
piebatur, populis huic obviam effusis, vo-
de religiosè, & pueris Osanna occinentibus.
Verùm hic Propheta tandem jussu Cromvellii co-
ptus & egregiè verberibus per compita excep-
est usque ad sanguinis effusionem, cessantibus
tandem tortoribus, vel ex defatigatione vel com-
miseratione.

✲(1657.)✲ Nascitur die 1. Februarii Ferdinandus Aloysius Josephus Archi-Dux Austriæ, frater Augustissimi Cæsaris Leopoldi.

Die 14. Februarii Archi-Dux Austriæ Leopoldus Ignatius (nunc Cæsar glorio-sissimus) primâ vice cum Augustissimo Parente suo Ferdinando III. interest arca-no consilio: *Ut novus Imperio jam tunc assueseeret hæres.* Claud:

seCVnDâ aprILIs Manè, moritur Viennæ Ferdinandus III. Parens Augustis-simi Leopoldi, dignus, si ullus, immor-talis famæ elogio, sed: *Virtutes Successoris gloriosissimum sunt defuncti Principis Epita-phium.*

Leopoldus Rex Hungariæ, sub Duce Hatzfeldio, Polonis mittit auxiliarem ex-ercitum, qui numerabat novem millia septin-

septingentos peditum,& sex millia, octingentos equitum, quibus Poloni feliciter utuntur contra Svecum & Ragotzkium Transylvanum, unde & Sveci Cracoviâ discedere coguntur, contra quos fortius adhuc fœdus initur inter Austriacos, Polonos, Danos, & Brandeburgicum.

Incipit ex variolis graviter ægrotare Leopoldus Hungariæ & Bohemiæ Rex, anno ætatis suæ 17. sed superat feliciter, magno gaudio subditorum, qui illud tunc dicebant Leopoldo, quod olim Plinius Trajano: *Non te distinguimus votis, non opes eramus, non honores, simplex & cuncta ista complexum unum omnium votum est salus Principis.* Plin: 2. Paneg: Trajani.

Die 16. Julii Leopoldus Rex Hungariæ & Bohemiæ abiit Viennâ Francofurtum ad coronationem, & Pragam venit die 27. Julii, ubi per sex menses moratur, & die 11. Octobris *Aureum vellus* suâ manu imponit Principibus Gonzagæ, Portiæ, & Martinitio Comiti, hoc addito Epiphonemate: *Cùm portent Agnellum aureum in pectore, sint memores Agni, qui nos redemit, cujus fidem contra Barbaros & Sectarios semper propugnent.*

Turcæ Teneton Insulam Venetis eripiunt, eandemque sortem experta est Insula Lemnos.

Alexander VII. Venetis pecuniâ & milite ſuccurrit contra Turcas, quâ liberalitate devinctam ſibi rempublicam impulit, ut Societatem JEſu, jam ab initio hujus ſæculi propter Romanam Sedem ab omnibus Venetæ ditionis urbibus exulantem reciperet, nimis enim altè ſedebat animo Senatoribus nunquam eos admittere iterum, à quibus ſemel deſerti eſſent, cùm non viderentur ſibi à viris ſapientibus, & bene in Rempublicam affectis in controverſia illa cum Pontifice exorta deſerendis & tam intererat Romanæ Sedis, quam Societatis hanc ſententiam immutari, idque ſibi cordi eſſe tam publicè, quam privatim, tam ſæpè ſignificabat Alexander, ut Veneti Pontificem optimè de Republicâ meritum non amâſſent, niſi votis ejus ſubſcripſiſſent: fecerunt autem hæc tantâ obſequii ſignificatione, ut dubites, utrùm ardentiùs rogârit pater, an filii demiſſiùs tam boni parentis precibus obtemperârint. Quare refixum eſt cum magnâ ſuffragiorum conſenſione decretum, Jeſuitas ubique tam ſplendidè recepti, & tam amicè, ut jam de exilio conqueri non poſſint, & videantur tantùm ab eâ ditione abfuiſſe diutiùs, ut humaniùs in reditu reciperentur & colerentur.

Galli

Galli obsident in Flandria Cameracum, sed præsentiâ & fortitudine Condæi urbs illa munitissima Flandris servatur. In aliis urbibus expugnandis victorias modò pro Gallis, modò pro Hispanis alternat Fortuna. Sub finem autem hujus anni periculosissimè ægrotavit Condæus in Flandria, & tunc quidem, quantumcunque inter se Franci & Belgæ dissiderent, convenêre tamen in id unum, ut Condæo precibus ardentissimis valetudinem à DEO impetrarent.

Ludovicus XIV. Jansenianorum sectam jam à Summis Pontificibus, Cleroque Gallicano damnatam, Parisiensis Senatûs decretis exterminandam objicit, ut qui hactenùs Romana fulmina riserant, in Regis Christianissimi ditione bruta non esse, experirentur. Effecêre tamen suâ calliditate & tergiversationibus, ut saltem impunè laterent, & commodiora suis spargendis erroribus tempora non insipienter operirentur.

Urbs Monasteriensis ab Episcopo loci arctè obsidetur & expugnatur.

✲(1658.)✲ Leopoldus Ignatius Archi-Dux Austriæ, Rex Hungariæ & Bohemiæ anno ætatis decimo octavo Francofurtum ingreditur ad suam coronationem, & die

decimo octavo Julii contra æmulorum conatus, Deo ordinante, eligitur in Regem Romanorum Francofurti, & die Augusti ibidem coronatur, die septimo ejusdem mensis homagium illi præstatur à Senatu & civibus Francofordiensibus, & inde discedens atq; Herbipoli transiens (ubi à Joanne Philippo tunc Electore Moguntino ac Episcopo Herbipolensi & Franciæ Orientalis Duce magnificè & splendidè, prout Imperatoria Dignitas exigebat, exceptus, & triduo moratus est) Norinbergam venit, & decimo septimo Augusti homagium excepit. Viennam verò à coronatione redux primo die Octobris Imperatoriâ pompâ & ingenti plausu desideratissimus, & votis omnium optatissimus Imperator ingressus est.

Tartari & Turcæ Transylvaniam depopulantur.

Galli, Duce Turenio & auxiliis Anglorum Dunckekram obsident, quæ post pugnam atrocem inter Turenium & Joannem Austrium initam, quâ Hispani magnâ strage affecti fuêre, ad deditionem cogita est. Condæus porrò (qui Joanni Austrio pugnam sine bellicis tormentis inire, sapienter dissuaserat) inter pugnandum equo suffosso tantùm captus non est. Duncker-

ckerkam autem captam Rex Ludovicus Anglis reliquit, eo pacto, ut quando vellet, eam pecuniâ redimere posset. Dünckerkæ fortunam secutæ sunt Berga, S. Vinoci, Turnæ, Diximuda, victoriæ prioris appendices. Sed & altera victoria contra Joannem Austrium a Gallis obtenta, quemadmodum victoribus animos addidit, ita victis Hispanis & Belgis metum incussit, ut variæ urbes, Gravelinga, Menenium, Ypra, Turenio sese submitterent, qui, ùt bonum Imperatorem decet, apprimè tunc noverat uti victoriâ & hostium timore ac infelicitate.

Bassa Aleppensis in Ottomannum Sultanum cum 70. millibus armatorum & multis Bassis conspirantibus rebellat, quæ tamenrebellio anno sequente multorum cæde dissipata est.

Batavi cum Svecis prælio navali confligunt & Cadmæâ victoriâ vincunt; Sveci enim perdidêre undecim naves, Batavi autem Ducem suum. Meliore fortunâ Sveci Churlandiæ Ducem ditione universali expoliant, & cum tota familia captivum Rigam deducunt.

In Anglia varii conjurati contra Cromvellum deteguntur, & eorum sanguine tyranni hujus securitati litatur; Verùm,

quem homines tollere non poterant, hunc Deus exterminavit Idibus Septembris, relicto filio Richardo, dignitatis, non ingenii & industriæ suæ successore ; quare huic tanto oneri impar, statim succubuit. Mortuus autem Cromvellus sepultus est regia pompâ, docuitque tyrannos aliquos fulgentem usque ad obitum suum in hac vita esse fortunatos.

✠(1659.)✠ Mittit Augustissimus Imperator Leopoldus die 27. Maji Constantinopolim Legationem suæ coronationis & inthronisationis nunciam.

Cæsariani juncti Danis, Polonis, Brandenburgicis& Hollandis cædunt Svecos ad Nyburgum,& ipsam urbem Sveco eripiunt cum præda locuplete.

Bassa Alepensis cum triginta Ducibus rebellibus capitur à Bassa Syriæ Mortazadicto, quorum præfixa contis capita Constantinopoli è regione Turcici palatii (Serallium vulgò dicunt) diro spectaculo crudelem Sultani animum refecerunt.

Veneti feliciter pugnant contra Turcas & veniunt victores usque ad Dardanellas sive fauces Hellesponti mari Ægæo intercludendas.

Pax inter Polonos & Cosaccos conficitur, sed eodem anno ruptâ pace denuo deficiunt.

Pax inter Hiſpanos & Gallos coaleſcit, & Carolus Dux Lotharingiæ hactenus ab Hiſpanis captivus detentus, libertati reſtituitur.

Angli, dum pacis ſequeſtri eſſe volunt inter Danos & Svecos cum claſſe 36. navium ad Sundicum fretum excurrentes, (fortè non tam ſequeſtri, quam Danorum hoſtes futuri) ad turbas domeſticas componendas revocantur; Scoti enim, Duce Muckio, & Angli, Duce Lamberto, copias junxerunt, & ineunte Majo, novo Parlamento diſſoluto, vetus reſtituerunt, Reipublicæ ſigillum perfregerunt, Protectorem Richardum exauctorârunt, & ne aliquid auderet (quod tamen propter ignaviam ejus metuendum non erat) aſſignatum eſt ei & familiæ Cromvellianæ, unde lautè viverent, ut ſic Olivarius Cromvellus de Anglia bene meritus videretur. Muckius interim & Lambertus junctis exercitibus rerum potiebantur, ſed demùm prævaluit Muckius ingenio & ſagacitate, mox etiam Angliæ regnum magnâ virtutis & moderationis laude reparaturus.

Alexander VII. Pontifex in Sanctorum numerum refert B. Thomam Villanovanum Epiſcopum Valentinum, virum pietate & miraculis clariſſimum.

✠(1660.)✠ Leopoldus I. Imperator in menſe Januario ſuppetias militares expedit ad Epiſcopum Monaſterienſem, quorum auxilio deinde ſeditioſa civitas ſuo Domino ſubjugatur.

Pax inter Danos & Svecos firmatur; Carolus Guſtavus Rex Sveciæ moritur, & poſt obitum ejus ſimiliter Leopoldo procurante, pax inter Polonos & Svecos Olivæ concluditur.

Georgius II. Ragotzkius Tranſylvaniæ Princeps cum Turcis confligit, & in eo conflictu lethaliter vulneratur ac moritur; Turcæ autem die 17. Auguſti Waradinum deditione accipiunt.

Pax Hiſpanos inter & Gallos anno ſuperiore concluſa, nuptiis Mariæ Thereſiæ Regis Hiſpaniarum filiæ cum Ludovico XIV. Galliarum Rege confirmatur. Nuptiæ celebratæ ſunt primò per procuratorem Ludovicum Haroſium Fontarabiæ 3. Nonas Junias: non multò autem pòſt, 8. ſcilicet Idus ejuſdem menſis in Inſulâ Phaſianorum ambo Reges magnâ amoris ſignificatione ſeſe mutuò ſalutârunt, & tradita eſt ſuo Ludovico à patre Philippo ſua Thereſia. Tertio pòſt die matrimonium perfectum eſt in æde S. Lucii, eâ pompâ, quam Francia & Hiſpania ſimul exigerent.

VI.

VI. Kalend. Julias terra tremuit à Pyrenæis montibus ad Lemonicum usque ingenti concussione, quo motu calida balnea Bagneriarum evanuêre, dissipatis scilicet ignibus qui aquas illas calefaciebant.

VII. Kalend. Septembris eâ pompâ recepti sunt Parisiis Rex & Regina, qualem Lutetia nunquam vidit.

Post mortem Caroli Gustavi Christina, Sveciæ Regina in regnum revocata est, ut Comitiis interesset, venit igitur Hamburgum 15. Kalend. Septembris exiguo comitatu, ut Regina quidem accessisse, sed regnum non respectare videretur. Cùm eò appulisset, à Svecis invitata est, ut fidem Catholicam ejuraret, sed contemptis eorum blandimentis, nequidem Regis funebri orationi interesse voluit, ne heterodoxâ concione aures suas pollueret.

In Britannia Anglicus exercitus, qui Parlamentum exauctorârat, & jus omne in regnum arrogârat, per Muckium Scoticarum copiarum Imperatorem, & Duces Hybernici exercitûs iterum omni potestate exuitur, & legitimo Parlamento restituto, epigraphe inhonora Regi cæso posita iterum sublata, & honorifica restituta est, & 15. Kalendas Junias paratis omnibus prudentissimè Londini Rex acclamatur.

Caro..

Carolus II. Repositæ sunt Patris ejus imagines & avi, per Cromvellum ignominiose sublatæ, & jussu duplicis Cameræ ipse per honorificâ legatione revocatus in Angliam, auctoribus præcipuis tam nobilis factionis Muckio & Montacuto Thalassiarchâ. Rex ergo Anglicanâ susceptus classe, Hagâ Comitis & Batavia solvens cum duobus fratribus suis Eboracensi & Claudiocestrensi Ducibus appellit Dubrim pridie Nonas Junias, cui Muckius occurrit cum quatuor nobilium millibus, eumque Cantuariam deduxit, ubi quatuor dies hæsit, donec omnia Londini ad magnificum ingressum pararentur, quod singulari omnium Ordinum voluptate peractum est die 8. Octobris, qui dies perpetuâ, solenni memoriâ recolitur.

Posthæc morte mulctati sunt aliquot qui sententiam capitis in Carolum I. pronunciabant, quorum præcipuus fuit Harisonius; statutum etiam, ut cadavera Olivarii Cromvelli, Iretoni, Pridii, Bradshavii refoderentur, & imponerentur cratibus & Tiburnum usque ignominiosè raptarentur, atque sub furcis publicis cum eorum feretris infoderentur. Mox tamen facta iterum in Regem Carolum & Muckium conjuratio à sex millibus conjuratorum facta

facta & in die natali Domini eruptura, detecta est, quorum præcipui dati sunt in vincula, & sapienter imperatum militibus omnibus sacramento solutis, ut statim Londino abscederent, quo decreto conjuratio, & conjurationis sementis extincta est.

Reconciliatis Regibus Hispaniæ ac Franciæ, Condæus quoque cum uxore ac liberis in Franciam rediit, & exceptus peramicè à Principe Longavillo, per eundem ad Regem deductus est, à quo cum incredibili aulæ totius voluptate susceptus, etiam Cardinali Mazzarino in partem hujus gaudii veniente, aut venire simulante.

DECAS VII.

(*Ab anno Christi 1660. ad 1670.*)

1661. IN Hungaria Turcæ arcem S. Jobi occupant: & Joannes Kemminius in Principem Transylvaniæ eligitur, atque Achatius Barcsay Turcarum ope intrusus, ab ipsis Transylvanis interficitur. Princeps autem Ragotzkius fidem Catholicam amplectitur.

Exercitus Cæsareus Transylvaniam ingreditur in subsidium Principis Kemminii, qui

qui tamen eodem anno per suorum proditionem occiditur.

In Angliâ Carolus II. Londini coronatur, & esum carnium feriâ sextâ & septimâ vetat, ac Quadragesimam sancit, & cùm faveret etiam Jesuitis, & de iis intra regnum admittendis cogitaret, Parlamentarii tamen edicto protinùs jusserunt Jesuitas omnes toto regno exesse, quo non obstante, in ipsa urbe regia Londinensi latuêre complures, Rege non inscio. Firmat quoque Carolus II. Angliæ Rex nuptias cum Catharina sorore Regis Lusitaniæ, cui concessum est à Parlamento, ut viginti Religiosos & Sacerdotes Catholicos posset in aula sua retinere, & decretum eâdem occasione, ut omnia edicta Elisabethæ contra Catholicos tollerentur, religionis libertate permissâ.

Ineunte Novembri Regina Franciæ Theresia inter puerperii cruciatus enixa est feliciter Delphinum, magno Ludovici XIV. & totius gentis gaudio, qui statim solvi jussit ex carceribus rerum capitalium reos, & pecuniam erogavit inter eos, qui detinebantur carceribus propter negotia civilia, & Crequius Dux Romam Legatus missus, ad nuncium hoc gaudiosum

Pon-

Pontifici ferendum, actæque Deo publicæ & solennes gratiæ pro tanto munere.

In Hispania quoq; Philippo IV. Regi Hispaniarum ex Anna Maria 7. Novembris natus est infans Regius, & conceptum luctum propter obitum alterius infantis, qui sex diebus antè præcoce morte sublatus est, suâ nativitate iterum abstersit, & 11. Kalend: Decembris sacris aquis elutus dictus est Carolus hujus nominis posteà, cùm Philippo IV. parenti in monarchia succederet, secundus: Primario huic nomini aliis quoque ex pietate adjunctis, scilicet Josephi, Antonii, Leonardi, pro quo munere actæ similiter Deo publicæ gratiæ, & magnæ lætitiæ signa ubique edita.

Die 8. Decembris supplicante Philippo IV. Hispaniæ Monarchâ Alexander VII. declaravit suam sententiam de immaculatâ Conceptione Beatissimæ Virginis, in hoc sensu, quòd Deipara in ipso primo instanti creationis animæ & infusione in corpus, fuerit præservata per merita Redemptoris à peccato originali.

In Gallia moritur Cardinalis Mazzarinus, vir magni ingenii, sed fortunæ longè majoris, quo vix alius majus Gallorum odium sustinuit, & illud contempsit feliciùs ac glorioſiùs.

Lu-

Ludovicus XIV. mandat, ut omnes sui subscribant constitutioni Innocentii X. Pontificis contra Jansenistas datæ.

Hoc anno etiam uterque Monarchæ Philippus IV. Hispaniæ & Ludovicus XIV. Franciæ duos summos Ministros duarum summarum aularum deprehendunt, qui in summa infidelitate administrârunt proventus regios; apud Hispanum quidem reperti sunt decem milliones aureorum, Fuquetius autem Gallici ærarii regii Præfectus convictus est usurpatorum quadraginta millionum librarum de regiis reditibus. Quid sic mirum, si Provinciæ Regum exhauriantur tributis, & tamen eorum æraria non augeantur, si tales insatiabiles Harpyæ populorum sudores & sanguineos labores pro suo emolumento exsugant. Ideo Ludovicus XIV. posthæc ipse suum ærarium administrare decrevit, delecto ad hoc probatorum virorum plurium consilio & operâ, qui in hoc munere castè & integrè versarentur: Pro causa autem Fuquetii & Regiorum quæstorum ac publicanorum penitùs extricanda vix duo anni sufficerunt.

Pax inter Moschos & Svecos composita.

In Cypro ob tyrannidem quorundam præfectorum tumultuatum est.

Tur-

Turcæ in Transylvaniam occupant transitum, *Ferream Portam* dictum, quos Comes Nicolaus Zrinius in Croatia profligat. Similiter Sultan Ibrahim cum viginti millibus suorum in Dalmatia à Venetis cæditur.

Cham Tartarorum Moschoviam cum 200. millibus armatorum invadit. Interim pestis depopulatur Constantinopolim.

SECTA FANATICORUM IN ANGLIA.

Hoc anno arma corripuerunt in Anglia hujus Sectæ assecla, Fanatici dicti, eâ intentione insurgentes & sese consociantes, ut Monarchias omnes ubique tollerent, quos appellabant Carnales *& ajebant se divinitus ad id esse vocatos, eorumq; tessera militaris erat:* Vivat Dominus JEsus, *sed hi Phantastæ iteratò à Regiis militibus cæsi & dissipati sunt.*

✲(1662.)✲ Imperator Leopoldus Senatui Erfordiensi mandat sub gravi pœna consuetam precationem pro Electore Moguntino tanquam legitimo Domino à Ministris verbi post publicas conciones haberi, quòd illi hactenus facere detrectabant, & quæ secuturæ brevi rebellionis fuêre exordia.

Archi-Dux Austriæ Ferdinandus Carolus Josephus eligitur in Magistrum Coad-

Coadjutorem magni Teutonici Ordinis.

In Croatia Turcæ magnâ ſuorum clade à Zrinvarino repelluntur, & irrito conatu obſident Claudiopolim Tranſylvaniæ urbem.

Leopoldus Wilhelmus Archi-Dux Auſtriæ bellicoſiſſimus & pientiſſimus Princeps ſanctè obit.

Moſchi cædunt 8. millia Tartarorum & Coſaccorum in acie.

Urbs Paſſavienſis fere tota ab incendio in cineres redigitur.

Joannes Auſtriacus plurimas urbes Luſitanorum expugnat.

Goa Metropolis Indiæ cum magno de ſcrimine religionis Catholicæ in illis regionibus recèns introductæ, ab Hollandis capitur.

Rex Galliæ Ludovicus XIV. deputatis Genevæ mandat, ut in ea urbe liber ſit uſus Catholicæ religionis, idem Rex jubet viginti tria templa hæreticorum demoliri quæ in ditione Genevenſi fuerunt in illius protectione. Renovavit etiam Rex decreta contra Hugonottas, & carceribus includi juſſit, præcipua capita ſectæ illeminatorum. Dunkerkam quoque uti alia cum Anglis conventum fuit, quinquagies centies librarum millibus redimit, urbemque

que illam ingressus Catholicam religionem cum multis privilegiis restituit.

Inter Pontificem & Galliæ Regem gravissimæ discordiæ exoriuntur, propter Ducem Crequium Regis Christianissimi legatum male acceptum Romæ; Siquidem contra jus gentium in uxoris ejus currum multi sclopi disploſi sunt, quorum glandibus puer honorarius unus est interfectus, & cum Legatus se ex ambone videndum præbuisset, ut tumultum reprimeret, in eum quoque conjectæ glandes, fenestræ palatii ejus impetitæ, corsis militibus cum vexillo & tympanis ad eum obsidendum & male mulctandos Gallos accurrentibus, quem etiam palatio suo incluserunt, neque magnæ ejus familiæ cibaria unde victitare possent, sufficienter præbere permiserunt, & tunc deniqúe in urbem inducta sunt quatuor armatorum millia ad vim propulsandam; quibus contumeliis in Principem suum redundantibus permotus Legatus urbem deseruit: Quo audito Rex quamprimum ex Francia legatum Pontificium remisit, triginta equitibus stipatum ad pontem usque Bellovacensem Sabaudiæ ditionis limitem, prohibuitque cum Francis agere quamdiu in Francia versaretur. Graviter sibi metuit

metuit ob hanc injuriam Pontifex & sub tribus marchionibus comparavit sibi exercitum, quem irato Regi Ludovico oppo- nere posset. Actum interea per duos a- nos magno molimine utriusque partis pr pace inter Pontificem & Regem conci anda: sed quia Rex Christianissimus con stanter peteret inter cætera, quibus sib satisfieri volebat, statûs Castrensis rest tutionem Duci Parmensi, sine armis disco dia componi nequivit, motæ igitur Ita liam versùs copiæ Gallicæ in Parmensi di tione convenerunt, classis item Gallica sub Belfortio Duce Genuense, Etruscum mare oberrans exscensionem in aliquo statûs Ecclesiastici littus minabatur, se & Pontificii delectus in Germania & Hel vetia habuerunt, quibus sese contra inva dentem tuerentur. Denique tamen anno 1664. die 12. Februarii vanâ spe & metu multorum agitata hæc controversia finem sortita est, tractatu Pisis in Etruria habito, quo Alexander Pontifex rerum actarum excusationes per Cardinalem nepotem Chisium Parisios ad Regem transmitteret, Gentem Corsicanam à Sedis Apostolicæ militia edicto perpetuo arceret, redin tegratæ pacis memoriam & pacta in mar more sculpi Romæ procuraret, & Reg per.

perpetuâ oblivione sepeliret vim Oratori suo illatam, & civitatem Avenionensem, comitatumq; Vindascinum Ecclesiæ ex integro restitueret, quem ex illo tempore Galli usurpare cœperunt.

Sub finem hujus anni Algeriani multas naves Batavorum, Anglorum, Francorũ & Italorum intercepêre, & tamen singuli hi populi piratis illis longè superiores hucusq; convenire non potuerunt ad pestem hanc Christianitatis exterminandam. Et quidem hoc anno ferociùs Bassa Algerianus sæviit in Christianos propter conspirationem decem millium captivorum in ergastulis hujus urbis: quòd enim conspiratio hæc prodita fuisset, omnes immaniter trucidati sunt. Et Sacerdos quidam Dominicanus, qui eos in arcem inducere pollicitus erat, vivus terrâ obrutus est, priùs atrociter tortus; quâ in quæstione conjuratorum indicavit neminem etiam iis qui eum excruciabant mirantibus, & fidem quam oderant in eo laudantibus.

✲(1663.)✲ Hactenus Turca in Hungaria suis Bassis rebellibus domandis detinebatur, quibus subactis audaciùs & atrociùs irrumpere posset, & Transylvaniam quam spe jam devoraverat cum aliis sibi subjicere, ideo dubiis responsis hactenus

ſuſpenſum tenuit Leopoldum : At nunc aperto bello aggreditur Hungariam, & cum ingenti exercitu, quinquaginta equitum & peditum centum millibus regnum illud inundat. Tartaris Moraviam & aliam Hungariæ partem depopulantibus; ac primùm cæſis noſtris temerè confligentibus Vyvarinum (Neuhäuſel) obſidet & 26 Septembris ad deditionem cogit, Leopoldus autem nihil intentatum pro conſervando, regno relinquit, mittit proinde legatos in Galliam, Angliam, Daniam, Sveciam, Hollandiam, Pruſſiam, Poloniam ad auxilia contra communem Chriſtianitatis hoſtem corroganda, & ipſe ad Comitia Ratisbonam contendit, Viennam interim muniri curat, & ſuburbia, quæ hoſti prodeſſe poſſent dirui, deniqúe omnia officia optimi Imperatoris explevit, ſed minora auxilia & ſubſidia, quam zelus Chriſtiani nominis & res ipſa poſtulavit, à pleriſque Principibus Chriſtianis, & quod maximè mirêre, ab iiſdem quorum maximè res agebatur, impetravit, eodem namque anno Turcæ Levam, Novigradum, & Nitriam occupant.

Arcem interim S. Benedicti, Abbate Petro Korompay ſtrenuè contra omnes hoſtiles impetus conſervante.

Moritur

Moritur Ferdinandus Archi Dux Oenipontanus Tyrolinæ Lineæ. Archi-Dux autem Carolus Josephus decernitur Belgii gubernator.

Joannes Austriacus post oppugnationem sex dierum Eboram expugnat, & triduana direptione multis millionibus potitur, brevi autem pòst Lusitani resumptis iterum animis feliciter cum Hispanis confligunt, & his cæsis acie, Eboram recipiunt: qua in pugna Joannes Austrius duobus jam equis, ex quibus pugnabat, suffossis, tertio tandem fugere compulsus est.

Erfordiani tanquam refractarii Cæsareis mandatis de forma precationis pro Electore Moguntino, banno feriuntur à Cæsare, malè tamen ab iisdem vapulavit Cæsareus Caduceator D. Jacobus Lidt à Schwanau, quam ferociam Elector mox conductis copiis vindicare aggressus est.

Cùm jam anno superiore Carolus Lotharingiæ Dux ditionem suam Regi Franciæ certis conditionibus transcripsisset, (quas tamen ejus propinqui vehementer improbârunt) hoc anno Marsalum, fortissimum à natura loci munimentum Rex ad deditionem compulit 3. Nonas Septembris.

Milites Quartiani in Polonia magnâ dis-

sensione & dilaceratione tumultuantes à Casimiro ad obsequium quà promissis, quà armis reducuntur.

Parisiis Simon Morinus Albamalensis hæreticus fanaticus, qui se Spiritum S. esse jactabat, & multos sibi socios, etiam Sacerdotes adsciverat, 17. Aprilis vivus exuritur.

In Anglia Londini impium edictum promulgatur, ut omnes Catholici regno intra octiduũ exeant, exceptis Reginæ famulis.

✲(1664.)✲ Munimentum Turcicum Turbeck sive Torpech, ubi Solymanni ad Sigethum mortui cor & intestina condebantur, ab Hohenlohe & Zrinio incineratur: Posthæc die 1. Februarii arce Terracâ armatâ manu expugnatâ incenduntur à Zrinio pontes Effeckiani, opus ab arte & à robore inter miranda orbis jure censendum sub eadem tempora durante obsidione arcis Quinque-Ecclesiensis timore perculsis & fugâ dilapsis Turcis Castella Musiacum, Neostadium, Sethum, Bardaran, Sechzugium, & plura alia in spolium cessêre victoribus: die 17. Aprilis Cæsareus Belli-Ductor Radwigius de Souchez cum decem millibus obsidet Nitriam Hungariæ fortalitium, & quinto Aprilis Turcas ad deditonem cogit die 28. Aprilis obsidetur Canisa ab Hohenlohio, Zrinio, & Strotzio

tzio. Verùm primâ Junii numeroso Turcarum exercitu obsessis in auxilium advolante, Cæsarei ab obsidione recedunt, eventu animis non respondente.

Interea die 5. Maji Legatio Svecica Ratisponæ investituram accipit a Cæsare de Principatibus Bremensi, Verdiensi, Pomerania, Riga, & Dominio Wismariensi.

Die 19. Augusti cæduntur Turcæ ad Levam à Souchesio, occumbunt hostium sex millia in acie, plures fugâ dissipati, amittunt ducenta vexilla, quadraginta tympana, tredecim tormenta, mille currus annonarios.

Die 1. Augusti cæditur Turcicus exercitus ad S. Gothardum sub excellentissimo Generali Cæsarei exercitûs Comite Montecuculi, cùm paulò antè Turcæ Neozrinium occupâssent, ideo arcis illius defensionem negligentibus Cæsarianis, & jacturam illã dissimulantibus, quòd eam Zrinius Comes absque Cæsaris consensu tumultuario opere construxisset, & eâ potiùs ad prædas coacervandas uteretur, quas à ditione Turcica inquietus etiam in pace miles abigebat, quàm quòd regionis Christianæ justæ securitati inserviret.

Hujus porrò munimenti expugnatîb occasio fuit Cæsareæ victoriæ, atque pacis con-

consecutæ ; Præfectus enim Turcicus auctis jam animis dum in Austriam irrumpere tentat, resq; tota in transitu Arrabonis fluvii versari videretur, eumq; jam magnâ ex parte Turci transiissent, & impetum in Christianas copias feciissent, res ad cruentam pugnam pervenit, in qua sedecim millia Turcarum periêrunt, dum flumen aut trajicere, aut transitum sociis sternere conati sunt. Insignis hujus victoriæ non spernendam partem sibi attribuunt auxiliares copiæ Gallicæ in Hungariam à Rege Ludovico sub Comitibus Foliadeo & Colineo transmissæ, quorum opera veterano Germanorum robori adjuncta (aliquot jam turmis novi delectûs dissipatis) pugnam non tantùm restituit, sed illustri etiam triumpho fœderatum exercitum cumulavit. Eodem die Dux Souchesius Barakanum quoque Turcis ereptum incineravit. Post hanc victoriam pax inopina, seu potiùs armistitium vicennale Cæsarem inter & Turcam in castris Turcicis prope pagum Vasvar concluſum est.

Gaudium ex hac victoria & pace enatum attemperavit funebris luctus ex morte Caroli Josephi Archi-Ducis, fratris Imperatoris, cùm jam esset Passavienſis & Olomuzenſis Episcopatuum Administer, & fu-

& ſupremus Magiſter Ordinis Teutonici, & ad Gubernacula Belgii à Rege Philippo deſtinatus. Quò dum proficiſci cogitabat, febri correptus Lincii præmaturâ morte ſublatus eſt, tantò graviore Domûs Auſtriacæ jacturâ, quòd unico ſurculo deinceps Domus Auſtriaca floreret.

Poſt Martis pugnas, inter venationis delicias Nicolaus Comes Zrinius apri (ùt dictum eſt) fatali dente laceratus periit: ſuſpicantur autem plurimi ex viris gnaris politiæ juſſum fuiſſe occidi ſecretiori vindictâ, quòd res novas & quieti publicæ noxias moliri auſus fuiſſet.

Deſiit vivere Wilhelmus Princeps Auſtriacus minoris ſclopi exploſione vulneratus, & quia tæduit Batavos ab hujus Domûs auſpiciis vivere, ſucceſſionem hæreditariam filio ejus renuerunt, quæ res grandium motuum occaſio fuit.

Die 15. Decembris videri cœpit cometa, magna dicturientium Mathematicorum tunc temporis materies.

Moguntinus Elector Joannes Philippus Erfordiam civitatem Thuringiæ vi armatâ adigit ad primæ obedientiæ ſacramentum, cui ſeſe ſubducere jam à multis annis cœperant. Hæc urbs Svecorum armis olim ſub Guſtavo Adolpho occu-

pata, cùm diu eorum (Bellonâ Svecici in corio Germaniæ ludente) ſedes Imperii fuiſſet, & pace pactâ legitimo ſuo Principi parere debuiſſet, ſe pro libera civitate Imperii habere cœpit, unde cùm nec minæ, nec ſententiæ eam ab uſurpatæ libertatis ambitione retraherent, annuente Cæſare ad detrectatam ſubjectionem coacta eſt.

Armorum ſuſpenſio inter Reges Hiſpaniæ & Luſitaniæ facta, quâ finitâ Luſitani Alcantaram Hiſpaniæ eripuerunt.

Colmaria cum novem urbibus Alſatiæ ſubjicit ſe Regi Galliarum.

Peſtis affligit Hollandiam, & Epiſcopus Monaſterienſis armis eoſdem conturbat, cauſa autem armorum ſuſceptorum fuit caſtrum Eyderum Emdenſis in Friſia Comitis, quod Epiſcopus Monaſterienſis ob aliquot debita obærati ſibi Comitis vi occupavit. Quod ægrè ferentes Batavi, arcem Comitis ſibi ſubditi, in Epiſcopi Catholici poteſtatem redigi, arma armis oppoſuerunt, qui graviori bello mox diſtracti fuerunt: etenim Rex Angliæ queſtus inſtitores ſuos duriùs haberi à Batavis, qui ubicunque mercimoniorum causâ per Africam & Americam convenirent damna ſibi illata, quæ milliones quinque librarum

exce-

excedere prætendebat, repetens, neque per oratores suos amicâ compositione hactenùs consecutus, bellum hoc anno indixit, cui mutuis navium deprædationibus usque in sequentem annum prælusum est.

Rex Angliæ pro hoc bello Tingitanam arcem vendit Regi Galliæ, pecuniâ contra Hollandos usurus.

✲(1665.)✲ Lesleus Cæsareus Legatus in comitatu 350. stipatorum mittitur ad Turcarum Imperatorem die 6. Maji pro armistitio 20. annorum stabiliendo, qui die decimâ Decembris Legatione suâ Constantinopoli perfunctus, antè abitum suum à Turcarum Sultano amplissimum diploma impetravit in favorem PP. Societatis JEsu, quo ipsis tum contra Turcarum, tum etiam contra Græcorum exactiones & molestias securitas data & stabilita est. Obtulit in hac Legatione Lesleus nomine Cæsaris auri argentique supellectilem undecim millium librarum pondo, quam liberalitatem Sultanus misso quoque Turcico oratore Viennam compensavit tentorio, tapetibus, equis, ephippiis, & armis non inconcinnè, pro gentis ferocis imperitia fabrefactis. Ingressa est autem Viennam Turcica Legatio statim die 8. Junii.

Primo anno pacis cum Turca initæ, datum

est initium primâ ligonum applicatione novo in Hungaria fortalitio *Leopoldopolitano* exstruendo in locum Neosolii (sive Neuhäusel) quod vi pacis contractuum relictum fuit in potestate Turcarum, eâ conditione, ut loco illius aliud à Cæsare munimentum non contradicentibus Turcis exstrui posset pro confinibus Austriæ tuendis.

Poloni in Ukraina cædunt sex millia Cosaccorum rebellium, reliquis fugatis.

Philippus IV. Hispaniarum Rex die 17. Septembris ex calculi doloribus obit, Monarcha ad eximias virtutes à naturâ formatus. Acclamatus est post funera patris Carolus II. quadriennis puer sceptro regendo impotens, unde rerum summa ex Regis testamento ad matrem Marianam devoluta est, cui juvandæ consiliis suis sex regni Proceres pariter sunt destinati, (nam Hispanorum ab aliquot sæculis nullus Rex ætate minor sceptris admotus est) quæ res non spernendam timendi occasionem ministrare pluribus visa est.

Famoso incendio redeunti ex Hungaria Mahometi Constantinopolis illuxit, quo aliquot domorum millia absumptæ sunt, & totum Regiæ matris gynæceum conflagravit, in quo immensum gemmarum

rum,&pretiosæ supellectilis pondus periit.

Batavi insigni clade ab Anglis prælio navali contriti sunt, triumphante Jacobo Duce Eboracensi, qui Caroli Regis frater, & Anglorum Archi-Thalassus erat.

Die 25. Julii moritur Æniponti Archi-Dux Sigismundus Franciscus Cæsaris Leopoldi cognatus, & hic quidem lineæ Tyrolensis ultimus & absque liberis, qui nuptias cum Hedwige Augusta Palatini Sultzbacensis filia meditabatur. Imperator igitur Tyrolensis Principatûs Dominium auspicaturus Æniponтum profectus est.

Fatis quoque concessit Carolus Mantuæ Dux in ipso juventutis flore jam viribus effætus, quas inter illicitos amplexus extenuavit: Ex Clara Eugenia Austriaca unicum reliquit filium Ducatûs hæredem Ferdinandum Carolum annorum tredecim, qui & ipse hactenùs prole carens, si aliquando improlis obiêrit, controversiæ materiam de successione ministraturus videtur.

Pater Dominicus Ottomannus Ordinis Prædicatorum, frater Imperatoris Turcarum, & primogenitus Ibrahimi (qui anno 1644. captus fuerat ab Equitibus Melitensibus cum Sultana matre in itinere versùs

Mecham) Parisios venit, & ibidem à Rege honorificè excipitur.

Franciscus Salesius Episcopus Genevensis Sanctorum catalogo ab Alexandro VII. adscribitur

✲(1666.)✲ Die 27. Januarii Comes Harrachius ex Hispania redux attulit ratificatum & subscriptum nuptialem Contractum inter Augustissimum Romanum Imperatorem Leopoldum I. & Margaritham Hispaniæ Infantem: Ceremoniæ Antenuptiales Madriti celebratæ sunt die 25. Aprilis, vices Augustissimi Sponsi Cæsaris Leopoldi obeunte Duce Medina de la Torres. Die 28. Aprilis Augustissima Sponsa Madrito movere cœpit in Austriam classe Hispanâ in Italiam translata, & inde traducta regiâ pompâ Viennam, die 25. Novembris primò salutata est ab Augustissimo Sponso, Cæsare Leopoldo in Scheidwien: die 5. Decembris novâ & nondum visâ solennitate Viennam introducta.

Londinensis civitas Angliæ metropolis ab igne ferè tota absumitur, redactis in cinerem quindecim domorum millibus.

Eodem anno etiam Tyrnavia majore ex parte conflagravit.

Civitas Bremensis à Svecis obsidetur, & tandem Ordinum Belgii confœderatorum,

Ele-

Electoris Brandenburgici & Principum Brunſwicenſium interventu jurat Svecis obedientiam, quâ priùs Imperio obſtricta fuerat; valedicit quoque juri ſuffragium in Imperio ferendi, & in Dietis locum obtinendi, pactis tamen tantùm uſque ad finem ſæculi decimi ſeptimi duraturis.

Hollandi & Angli vario Marte prælian-tur.

Luſitani magno numero in regnum Caſtellæ irrumpentes, ab Hiſpanis repelluntur.

In Polonia omnia turbatiſſima.

Gandia jam anno ſuperiore à Turcis exagitari cœpta nunc fortiùs affligitur præſidiariis Venetis fortiter propugnantibus, triremibus autem Venetis, Pontificiis, & Melitenſium Equitum non eâ, quâ parerat, concordiâ, fidelitate, & celeritate, auxilio venientibus.

Chriſtina Regina Sveciæ intereſt Comitiis regni Holmiæ, & reſervata ſibi in abdicatione regni jura vendicat, ne quovis prætextu mutatis à Svecis vellicarentur, & negotio feliciter confecto Romam revertitur.

Alexander VII. Summus Pontifex ad inſtantiam Reginæ Hiſpaniæ per Breve ſpeciale diſpenſat, ut Pater Joannes Nidhardus

hardus Societatis JEsu Reginæ ejusdem Confessarius non obstantibus Societatis statutis, possit acceptare & exercere munus inquisitionis Generalis Hispaniarum.

Senatus Regius in Hispania prohibet artificiosa capillitia quæ vulgò Barocka vocamus, eò quòd singulis annis in Gallia impenderentur plùs quàm vicies centena millia aureorum.

Dira pestis grassatur ad Rhenum superiorem Moguntiæ & circumjacentibus locis, ac Palatinatu Rheni.

✲(1667.)✲ Alexander VII. Summus Pontifex, morte piè obitâ, Sedem relinquit Cardinali Julio Rospiglioso Pistoriensi, qui nomen Clementis IX. assumpsit, & die 30. Julii ad instantiam Augustissimi Imperatoris Leopoldi concedit festum SS. Anglorum cum octavâ celebrandum per omnes Provincias Romano Imperatori subjectas.

Idem Pontifex mandat omnibus, qui ad horas Canonicas obligantur, ut deinceps officium Immaculatæ Conceptionis per octavam recitetur.

Die 28. Septembris incredibili plausu Germaniæ Cæsari filius nascitur, in Baptismo dictus Ferdinandus, Wenceslaus, Josephus, Michaël, Elzearius,

Lu-

Ludovicus XIV. ingenti cum apparatu bellico invadit Belgium jure suæ uxoris provincias illas prætendens, quod tamen jus Hispani tunc temporis validissimè & constantissimè impugnabant, eò quòd Regina illi juri solenniter cessisset, eamque cessionem & renunciationem Rex Ludovicus ipse confirmâsset: utraque tamen pars pro mediatore pacis & decisione litis novum Summum Pontificem acceptavit, cùm jam multas & munitissimas urbes Gallus occupâsset, Hispanis tunc temporis sine cura armorum viventibus, ut paucas tantùm copias sub Campiductore Marsino (qui leviſſimo negotio à Ludovico retusus est) ad resistendum objicere potuerint.

Vezirius in Cretam trajicit, & Candiam obsidentibus Turcis animos auget copiosis militum suppetiis & largitionibus, & nunc tandem quæ hactenùs eminùs tantùm & mitiùs premebatur, nunc novo robore strictiùs arctat, & fortissimâ obsessione claudit atq; oppugnat, strenuè Venetis resistentibus.

Poloniæ quoque Turcæ bellum intentant, præmissis Tartaris ad regni illius invasionem; Rex autem Casimirus privatam vitam ducturus, regno renunciat: pro cujus successore pars magna inclinat in filium

lium magni Ducis Moschoviæ, eâ conditione, ut rejecto schismate Catholicæ profiteretur.

Horrendus terræ motus Dalmatiam concutit, & Raguſæ pars magna subvertitur quinque hominum millibus obrutis.

In Hungaria conjuratur hoc anno in Cæsaris Leopoldi caput ab aliquot regni Hungarici Proceribus, postquam insidias jam in cassum struxerunt, usi occasione illi quando Cæsar Sponsæ ex Italia properanti levi famulorum manu stipatus occurrit per Styriam, quâ spe delusi nunc arctiori fœdere ad novas machinationes constringuntur.

✲(1668.)✲ Inter Leopoldum Imp. & Brandenburgicum fœdus armorum concluditur contra Svecum.

Die 13. Januarii maximo luctu aulam Cæsaris turbavit mors Ferdinandi Wenceslai filii primogeniti Imperatoris Leopoldi quæ tenellum Principem immaturo funere eripuit.

Die 23. Februarii novum Cæsareum Palatium orto sub medium noctis incendio, auri & argenti jactura milliones superante conflagravit. Pretiosissima supellectile incineratâ, Particula Sanctæ Crucis inter cineres illæsa reperta est, ideo sub pro-

protectione Augustissimi Imperatoris & Imperatricis in honorem S. Crucis Principũ fœminarum Sodalitas erecta die tertio Maji prima vice festum suum titulare celebrat summâ solennitate in Ecclesia domûs probationis Societatis JEsu Viennæ.

Die 31. Maji Viennæ in foro Aulico honoribus Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ V. colossus ex metallo fusus prægrandis & elegans Leopoldi Cæsaris jussu erigitur.

Adnitente summo Pontifice Clemente IX. pax inter Hispaniæ & Franciæ Reges componitur: ab eodem Pontifice B. Rosa Limensis Sanctorum catalogo adscribitur.

Mareschallus Turenius incredibili aulæ Regiæ plausu Parisiis publicè abjurat Calviniſmum, & fidei Catholicæ professionem emittit.

Summus Pontifex declarat irritum ac invalidum fuisse matrimonium inter Reginam Lusitaniæ ac ejusdem maritum Alphonsum, & illa volentibus ita proceribus nubit fratri ejusdem Petro, atq; hic Rex Lusitaniæ constituitur, Alphonsus verò tanquã regno & uxori ineptus (quia impotens à natura dicebatur) primo in custodiam reclusus, deinde in Insulam Terze-

ram

ram deportatus est, ubi post stolidæ vitæ cursum inglorius diem suum obivit. Hi Hispani quoque pacem cum Lusitanis iniverunt, & quos hactenus ut rebelles habuerunt, nunc omnia restituerunt cum pleno jure quæ hujus regni propria fuerunt, antequam cum Hispaniæ Monarchia coalesceret, quod factum est tempore Philippi II. excepto Ceutæ fortalitio in Africa quod Hispanorum juri relictum est.

Tractis primò Secretis ad defectionem artibus iis quibus Burgundiæ servandæ cura incumbebat Rex Ludovicus die 11 Februarii medias inter nives hanc Provinciam invadit, & perfunctoriâ defensione usus, ut populis illuderetur, recipit in deditionem.

In Turcarum castris ad Candiam pestis graſſatur strenuè adhuc Venetis rem suam tum intus tum extra Candiam agentibus. Præcipuam tum laudem retulit Venetæ classis præfectus Laurentius Cornelius, qui duodecim triremes, Durachi Beÿ grandis famæ piratæ, Turcis in auxilium ad obsidionem cum commeatu properantis in portu Fodellæ inopinato assultu sub noctem accensis facibus piceis adhibitis invasit, & occisis plurimis infidelium ac plusquàm mille Christianis in libertatem asser-

ssertis, & eorum loco pluribus infidelibus vinculis & captivitati mancipatis, navibus mersis partim, ac partim interceptis glorioſam victoriam reportavit. Haud abſimilem virtutem & felicitatem oſtenderunt Melitenſes Equites contra Turcicæ claſſis Archithalaſſum, qui in Cretam vela faciebat.

Etiam in finibus Lotharingiæ & Palatinatûs ad Rhenum hoc anno digladiatũ eſt, multis & minutis præliis inter Ducem Lotharingiæ & Electorem Palatinum, ob jura quædam ab Electore prætenſa, ac potiſſimum propter jus Wildfangiatûs (vulgò Wildfangs-Recht) ſed conceſſo ab utroque pacis arbitrio Regibus Galliæ & Sveciæ brevi bellum ſedatum eſt.

Poſtquam Caſimirus coronam quam inter civiles & exteros tumultus viginti annis portavit, vel tædio vel animi inconſtantis levitate contra vota & ſvaſiones procerum depoſuit & in Galliam diſceſſit opiparis ibi Eccleſiaſticorum beneficiorum proventibus de cætero victurus, Princeps Michaël Koribut Dux Viſnovicenſis votis Polonorum eligitur, & in profeſto Michaëlis Archangeli Rex inauguratur, & paulò pòſt in uxorem accipit Mariam Eleonoram, Leopoldi-Cæſaris ex patre

ſoro-

sororem, cum qua sterili matrimonio duc-
cto, ipse brevi regno annorum duorum
perfunctus obiit.

✲(1669.)✲ Nascitur Viennæ die 1
Januarii Archi-Dux Maria Antonia, post
modum Conjunx Serenissimi Bavariæ E-
lectoris Emmanuelis.

Varia undique à Principibus Christian
auxilia submittuntur Venetis quæ obsess
Candiæ immitterent, nec defuit Rex Chri-
stianissimus quin afflictæ Christianitati pro
Candia conservanda septem millia pedi-
tum & quingentos equites sub Francisco
Vindocinensi Duce Belfortio Galliæ ar-
chithalasso & vexillis Pontificiis in Cretam
destinaret eâ omnium gratulatione &
plausu ut quasi ad urbis obsessæ certam
futuram liberationem omnes gestirent, fe-
liciter quoque & copiæ & pecuniaria sub-
sidia jam Candiam appulsa erant & ut ma-
jori effectu vires in hostium perniciem co-
piæ auxiliares explicarent, Gallis suade-
batur ut pari consensu & robore cum ca-
teris auxiliaribus certarent & victoriam
operarentur, gens autem hæc impatiens
moræ & individuæ gloriæ cupida dum die
24. Junii in castra obsidentium erumpit,
& alacri certamine hostibus incumbit,
ac multiplici jam damno attritis
acriùs

ariùs insistit inopino casu nitrati pulveris tado accenso primùm trepidare (quòd solum omne suffossis cuniculis excutiendum putarent) ac deinde pedem retrahere cœperunt. Quod ubi Turcæ adverterunt, receptis animis ingenti suorum numero ita fugitantes interceperunt, ut eos sepelire & non expugnare visi sint desideratis mille & amplius Gallis, etiam perdito Duce Belfortio, qui ita contritus inter cæsos jacuit, ut nulla pars qua agnosceretur inveniri potuerit. Die postmodum 24. Julii ab universa Christianorum classe ad Cretam in Turcas obsessores pugnatum est, numerabantur autem præter naves Venetas insuper 29. triremes, septem scilicet Pontificiæ & totidem Melitenses & quindecim Gallicæ: decreta tunc erat eruptio ex urbe decem millium militum, si tormentorum ruina ex navibus barbari à littore infestarentur, ut sic utrimq; iñinente cæde distracti ac confusi vincerentur, sed re perpensâ quod periculum majus visum esset, quàm sperata victoria solo navium insultu hoc die res peracta est, præsidiario milite intra muros sese continente: cumque Candia posthæc in dies majores in angustias redigeretur, Maurocenus, cui rerum in urbe summa incumbebat

bat inito consilio cum reliquis Ducibus statuit partem urbis exscindere & re- quam tanto fortiùs retracto in illam præ- sidiario milite tueri, & sic nova auxilia quæ à portu Veneto soluta sub Duce Miran- dulano advenire dicebantur, tutò expectare: sed Novalea Gallorum auxiliarium Dux quòd sibi à Rege Ludovico præscriptum morarum tempus præterire non posset, causatus, neglectis omnium Ducum pre- cibus discessum suorum molitur & ma- get. Discessu hoc Vezirio patefacto, vix Galli naves conscenderant, tum ille fre- mente impetu obsessos oppugnat, ita ta- men exceptus ut post præsidii diminutio- nem non pariter animos & robur pugnan- di diminutum esse luculento experimento sentiret: Tandem tamen, post adventum Mirandulani qui ex mille & quingentis quos è portu Veneto eduxerat, nonnisi sexcentos milites in Candiam intulit, reli- quis omnibus variis ægritudinibus in itì- nere confectis aut detentis, die 6. Septem- bris de facienda deditione tractari cæp- tum est, & data est Barbaris insula excep- tis Sudæ Garabusarum, & Spinæ longæ arcibus & oppidis littoralibus cum suis districtibus, & relaxata reciproco Turca- rum consensu Venetorum reipublicæ

classis

Clissa arce cum cæteris oppidis, quæ in Dalmatia vel Albania durante bello occupassent. In hac obsidione quæ triennio duravit, insumpsêre Veneti quatuor milliones nummorum scutatorum, iis expensis exceptis, quibus omnis generis munitiones comparata, periêre militum Christianorum 29 millia & Octoginta octo, Turcarum autem septuaginta millia præter rusticorum & captivorum triginta & octo millia, qui in suffodiendis cuniculis, aggeribusq; operam præstare coacti sunt.

In Hispania motus concitavit Joannes Austriacus demortui Regis Philipi nothus Propterea Nithardus, quem Joannes potissimum insectabatur, obtentâ a Regina officii sui exauctoratione Romam discessit, & ibi Cardinalium Collegio non multò post adnumeratus est.

Joannes verò Austriacus Pro-Rex Aragoniæ constitutus.

Æthna & Vesuvius mirè exardescunt.

Henrica Maria Borbonia Caroli I. Britaniæ Regis vidua vitâ decedit, sorte infelici adeo & tot annis jactata ut proprio filio ad thronum revocato consors restitutæ felicitatis esse noluerit. Sic jure merito Anglos, qui marito suo probrosam, necem intulerant, aversabatur.

Cle-

Clemens IX. Ponti fex faſtis Sanctor adſcribit Petrum de Alcantara Francis norum Ordinis, & Mariam Magdalen Ordinis Carmelitici, nec multò pòſt m ritur, cui ſequenti anno cum ſedes quin menſes vacaſſet, in locum à purpur Patribus ſubrogatus eſt Æmilius Alti à Clemente IX. dum in extremis ag factus Cardinalis, & ob id ipſe quo nomine Clementis X. inſignitus, vir omnia curiæ officia exercitatiſſimus, tam tenuis nominis, exiſtimationis & deſtiæ, ut oblatum Pontificatus honor ſinceris votis renuerit, & precibus Car nalium pænè coactus admiſerit.

Salisburgi montis ruinâ multæ ædes plurimi homines obruuntur.

✲(1670.)✲ Petrus Comes Zrinius Franciſcus Chriſtophorus Marchio Fr gipanus, & Franciſcus Comes Nada præcipuæ inter Hungaros nobilitatis cum Eraſmo Comite à Tattembach Styr & multis aliis collatis cum ſummo Tur cum Vezirio conſiliis & repetitis lega tionibus ſubſidiis imploratis, delectu habere, arces & oppida, quà minis, armis invadere non deſtiterunt, uſque dum Auguſtiſſimus Imperator cujus v iteratas inſidias ſtruxerunt, miſſis in Hu garia

gariam copiis, sub Comite Sparcavio hæc rebellium capita comprehendi, & vinctos teneri curavit, arcibus & urbibus, quæ rebellibus faverant, vel favere meditabantur, receptis, & Germano præsidio custoditis, Comites Zrinius & Frangippanus Viennam: Tattenbachius Græcium in Styria, Nadastus Neostadium captivi ducti.

Die 2. Januarii Cæsareus aquilex aulici putei fores violatas, adjectis ponè canino cadavere, ascià, vannoque calce refertâ, reperit, unde potens suspicio veneni in fontem immissi exorta est.

Judæi die 14. Februarii publico Cæsaris edicto Viennâ proscribuntur, & die 18. Augusti interest ipse Imperator Ecclesiasticæ inaugurationi, quâ synagoga Judæorum in Templum Dei, ejus jussu dedicabatur sub patrocinio S. Leopoldi Austriæ Tutelaris.

Die 17. Februarii celebrantur nuptiæ inter Michaëlem Poloniæ Regem, & Eleonoram Archi-Ducem Austriæ, Augustissimi Cæsaris sororem, quæ ad omnia copulationis quæsita Latinè respondit.

Ex Augustissima Imperatrice die 20. Februarii nascitur Archi-Dux Austriæ Joannes septimestris, & moritur eâdem die.

Princeps Ragotzkiana vidua pro filio suo læsæ Majestatis reo, supplex Augustissimo Cæsari transactione quâdam veniam sollicitat, & obtinet, filio in certam multam condemnato.

Franciscus Josephus Borry Medicus & Chymicus in fide suspectus jussu Cæsaris capitur, & Romam transmittitur.

Joannes Adolphus Comes à Schwartzenberg creatur ab Augustissimo Princeps S.R. Imperii.

Die 27. Julii Cassovia hactenùs rebellis Cæsareo Generali Sporckhio se dedit. Idem Sporckius die secundâ Augusti rebellibus Eperiesinum eripit.

Egregiè quoque per Hungariam & Croatiam in schismaticorum reductione ad unionem Ecclesiæ, & cum optato successu laboratur, maximam operam ad id conferente Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Comite Leopoldo à Kollonitz, tunc Episcopo Neostadiensi.

Duces Brunswicenses occupant Brunswicum, quæ urbs se pro liberâ multis jam annis gerebat.

Obiit in Dania Fridericus hujus nominis III. Rex variâ fortunâ exercitus, qui ob singularia sua merita hæreditariam familiæ coronam à Statibus regni consecu-

tus est: Cui filius Christianus hujus nominis V. successit.

Carolus IV. Lotharingiæ Dux, quòd, contra initos cum Ludovico Rege tractatus copias aleret, & crederetur nova in eum moliri Regis jussu à Marchione Forillio penè Nanceii interceptus die 26. Augusti celeri se fugâ surripuit, occupatâ Gallicis armis repentinâ invasione totâ Lotharingiâ: Aliquot mensibus antè, scilicet 2. Januarii decesserat è vivis Franciscus Caroli IV. Ducis frater, vir per omnia probatæ pietatis, & novercantem ubique fortunam expertus, qui pater fuit Caroli V. Ducis Lotharingiæ.

Ludovicus XIV. Rex Galliæ invadit ditiones Hispanicas in Belgio.

DECAS VIII.

(*Ab anno Christi 1670. ad 1080.*)

1671. TAndem post multos & inutiles questus, & mendicata à variis Principibus officia, quîs mortem deprecarentur, conjuratæ rebellionis pœnas ultimo supplicio dedêre Viennæ Franciscus Comes Nadasti, & Neostadii Petrus

Comes Zrinius, & Franciscus Christophorus Marchio Frangippanus die trigesimo Aprilis ense carnificis cæsi, & bona illorum ad fiscum devoluta sunt, quæ tamen hæredibus pietas Cæsaris, exceptis arcibus & locis munitis (ne iis ad novam defectionem abuterentur) concessit. Dilatum est Erasmo Comiti Tattembachio per aliquot menses supplicium ob natam cum Brandenburgico Electore controversiam de aliquibus feudis, quæ hac morte ad se devolvenda præsumebat: Sublata hac controversiâ die primo Decembris ipse quoque Græcii in Styria in domo Provinciali tertio ictu decollatus est. Ingemuit quidem ad fortunam tantorum virorum Clementissimus Leopoldus, sed *benignissimi etiam Principes coguntur interdum cædes, quando acerbitas mali pietatem non admittit.*

Clemens X. quinque Beatos in numerum Sanctorum refert, Cajetanum Thienenm, Philippum Benitium, Franciscum Borgiam, Ludovicum Bertrandum, & Rosam Limensem: die 24. Augusti utraque Cæsarea Majestas Canonizationem S. Borgiæ Viennæ solenni pompâ recoluit.

Tota Christianitas concurrit ad arma. Poloni inter se & cum Rege discordant. Hun-

Hungaria rebellis armis & suppliciis subigitur: Augustissimus Imperator, Hispanus, Gallus, Anglus, Danus, Svecus, magni Imperii Principes, Moschus & Polonus distrahuntur curis defendendi & offendendi, qui si unanimiter contra Turcă, potiùs, quàm in se mutuò arma convertere voluissent, Ottomannico Imperio haud levem ruinam intulissent: Interim Cæsar Hispani, & Hollandi progressibus Gallicis metas ponere volentes fœdus inter se ineunt, nonnullis Imperii Principibus Gallo adhærentibus, cujus dissidii auctor fuisse fertur (præcipuè ejus, quod fuit inter Electorem Colonienſem & civitatem Coloniam) Wilhelmus Fürstenbergius, publicâ fide Gallis devotus.

Propter annonæ caritatem magna exoritur Messanæ seditio populariũm contra nobiles, eò quòd hi frumenta avaris quæstubus aliò averterent; quare ad sedandum populum multi nobiles expulsi exilio & bonorum jacturâ mulctati sunt à Præfecto armorum, adversùs quem propterea pars nobilium arma convertit tanquam fautorem plebis, quo in tumultu, qui Regiis partibus adhærebant, nomine *Merlorum*; qui verò seditiosis popularibus, *Malvizorum* nomine compellati sunt.

✲(1672.)✲ Naſcitur Viennæ die 9 Februarii Archi-Dux Auſtriæ Maria Joſepha, Antonia, Apollonia, Scholaſtica, ſed die 23. eadem è vivis excedit, uſque adeo verum eſt: *Naſcimur & morimur, ideoque naſcimur morituri, quia priùs morimur naſcituri.* S. Bernardus.

Auguſtiſſimus Imp. Viennæ die 19. Aprilis in Eccleſia RR. PP. Auguſtinianorum Cardinali Baadeno Durlacenſi Fuldenſis Eccleſiæ Abbati & S. R. I. Principi Cardinalitium biretum imponit.

In Podolia Caminecum à Turcis capitur die 27 Auguſti incuriis nimiùm ad defenſionem Polonis, quia fortuna cæptis Turcarum obſecundavit, inſuper totam Podoliam, Uckraniam & Boruſſiam à Polonis expoſcere non ſunt veriti: & quod dictu factuque probroſum eſt, Poloni has Provincias non aliter quam pacto tributo redemêre, & ne ulterius armis vapularent, turpem pacem mercati ſunt.

Auguſtiſſimus Leopoldus multa templa per iniquitatem temporum ab hæreticis prophanata uſibus Catholicorum reſtituit, in ſuperiore autem Hungaria, *Malè contenti* ut vocabant, die 2. Octob. cum exercitu viginti millium Eperieſinum occupant, quos miſſi cum exercitu excellentiſſimi

Duces

Duces Esterhasius & Koppius fortiter reprimunt, non procul Cassovia plurimis eorũ cæsis, multis captis & 15. vexillis ereptis.

Ludovicus XIV. triplici exercitu Gallico invadit Hollandiam & maximos belli progressus facit victoriâ ubiqúe Gallos comitante & urbium claves porrigente, ut fere actum videretur de Hollandica republica, nisi arma conjunxissent Imperator, Hispani, Hollandi, Brandenburgicus & Imperii Principes & torrentem Gallicarum irruptionum cohibuissent.

Vocati quoque à Gallis in Belli societatem Angli cum Batavis navali certamine acerrimo contendunt pro his Adriano Ruitero, pro Anglis autem, Duce Eboracensi & Comite Estreo classium Architalassis imperantibus.

Seditioso plebis tumultu Hagæ Comitum fratres Cornelius & Joannes de With trucidantur, quòd auro Gallico corrupti pessum ire omnia (ii quibus maximæ reipublicæ cura incumbebat) permiserint, in aliis quoque locis in eorundem clientes & amicos sævitum est, & superior armorum præfectura collata Wilhelmo Henrico Principi Auriaco.

Romæ Josephus Borry hæresiarcha, anno præterito in Germania jussu Imperatoris

toris captus, sua deliria solenni execratione ejurat, cui pietas Leopoldi Cæsaris impetravit à Pontifice ut vita donaretur.

✲(1673.)✲ Diem clausit Viennæ in Austria Margaritha Leopoldi Cæsaris conjux die 12. Martii anno ætatis 21. gravida prole masculâ. Quem partum rapax mors Augustissimæ domui & toto Imperio invidebat.

Die 21. Aprilis nascitur Sereniſſima Wilhelmina Augusti Regis Josephi Augusta Conjux.

Die 13. Octob. Augustissimus Leopoldus suam secundam sponsam Claudiam Felicitatem Archi-Ducissam Tyrolensem in Gotzwien salutat, & die 15. Octob. Græcii nuptias celebrat, & 11. Novembris solenni pompâ **Viennam cum** FELICITATE ingreditur.

Augustissima Domus Austriaca, cujus operâ, zelo, ac industriâ fides Catholica in Europa conservata, in Indiis autem longè latéque propagata, quartum sæculum Imperii complet.

In Polonia Sobieskius summus regni Mareschallus de Turcis insignem in Ukraina victoriam reportat, & Caminecum obsidet, verùm ob anni tempestatem, tum etiam ob instantia Comitia, Rege Michaële defuncto desistere, cogitur. In

In Lusitania Proceres quidam conjurant in Petrum regni Lusitanici Administratorem, sic enim se appellabat, & nunquam sibi *Regis* nomen usurpabat, quamdiu frater ejus Alphonsus adhuc in vivis esset, sed mox præcipui conjurati capite luunt, & Petri filia unica hæres regni declaratur futura post Petri mortem.

Oriuntur dissensiones inter Ludovicum XIV. Regem & Rempublicam Genuensem propter triremes Gallicas à Genuensibus hostiliter infestatas: Ut iræ Regis satisfaceret Respublica, nobilium aliquot Legationem jussu Ludovici destinare debuit pro pace & venia exoranda, atque ita placatus est, maximeque Caroli Regis Britanniæ interventu.

Magnus Dux Moschoviæ ad Summum Pontificem legationem destinavit, pollicitus in rei Christianæ favorē, opem contra Turcas, & offerens se socium belli Polonis contra eosdem pugnantibus, sed quia Cæsaris titulum, quem à Pontifice Legatus Duci suo dari præsumebat, non accepit, re infectâ & irritatus abiit.

Ludovicus XIV. in Alsatia urbes, quas vocant *Imperiales*, occupat, itemque Treviros, & quia Cæsar tracto in societatem belli Imperio jam bellum denunciârat

tanquam alienarum ditionum invasori, Turrenium cum exercitu mittit in Franconiam ad Cæsareum exercitum vel morandum, vel debellandum.

Die 14. Augusti Cæsar Viennâ abiit Egram ad armilustrium sui exercitûs in Imperium destinati: ibidem die 20. Augusti salutatur Augustissimus in campo Egrensi à Joanne Georgio secundo Electore Saxoniæ, quò etiam accelerato itinere venit Episcopus Bambergensis, Petrus Philippus ex familia Dernbach Franconici Circuli Director expositurus imminens ab hoste jam præsente periculum deditionis munitissimæ arcis Mariæburgensis supra Herbipolim, nisi auxiliares Cæsareæ copiæ in præsidium advolarent: Quod & præstitum celeriter, Montecuculio cum Cæsareo exercitu incredibili celeritate in Franconiam veniente, qui Turrenium propè Oxovium subsistere, & castra aliquamdiu otiosa morâ figere compulit, donec Gallos aut viribus fractos, aut spe suâ delusos inopinato & festino Cæsarei exercitûs motu, quo ad Bonnam obsidendam properabat, ex Franconia iterum extraxit, & ad Rhenum regredi coëgit.

Bonnam porrò die 12. & 13. Novembris Montecuculius & confœderati post obsi-

obſidionem octiduanam Gallis eripuit, & reliquam Electoris Colonienſis ditionem recepit.

Intereà quoque Britanniæ Rex poſt triplicem navalem pugnam cum Batavis geſtam eiſdem non tam conſilio, quam juſſu Anglorum reconciliatur, unde Ludovici XIV. armorum progreſſus multùm retardari & ſufflaminari cœpit, ut Batavis redderet 32. oppida, ſed munitionibus bellicis & pecuniis valde emuncta.

✲(1674.)✲ Mandato Auguſtiſſimi Imperatoris Marchio de Crana Wilhelmum Principem Fürſtenbergium Ludovico Regi Galliæ contra Cæſarem & Germanos contribules ſuos devotum, Coloniæ conſilio & induſtriâ uſus, per armatos milites comprehendit, & cum eo ingens pecuniæ pondus (quam poſtea ut ſuam Rex Ludovicus repetiit) & Viennam die 14. Februarii tranſmittit, ubi cuſtodiæ traditus eſt tanquam auctor & ſuaſor multorum contra Imperium & Imperatorem perperàm actorum.

In Comitiis Polonorum die 10. Maji Rex ſalutatur Joannes Caſimirus Sobieski Coctzinienſi victoriâ illuſtris, quam anno ſuperiore à Turcis retulit.

In Hungaria Prædicantes tanquam in-

centores & authores rebellionis judicialiter Posonii convicti ex regno Hungariæ proscribuntur, Acatholici autem rebelles in Superiore Hungaria palàm Turcis adhærent, & his nihilo meliores, varias hostilitates in Catholicos exercent. Interim in civitatibus liberis & Regiis Hungariæ Magistratus Catholicus Acatholico substituitur.

Rex Ludovicus iterum invadit Burgundiam, & Turrenius cruentum prælium die 2. Augusti committit ad Seneffam, in quo Gallorum septem millia, & fœderatorum vix pauciores occubuerunt, Galli tamen primi campo cesserunt.

Die 24. Septembris Turrenius propè Argentoratum post decem horarum prælium Cæsareis cedere cogitur, amissis undecim equestribus & aliquot peditum vexillis, nec non quatuor millibus armatorum, sed & Cæsarei propè tria millia suorum, & quatuor vexilla desiderabant: *Nullum enim bellum durius aut atrocius est, quàm illud, quod adversùs viros fortes ac sapientes geritur.*

Carolus Elector Palatinus mittit ad Turrenium, qui eum ad singulare inter utrumque certamen provocaret, eò quòd miserè devastâsset suum Palatinatum

sum, & talem vastationem indignam nobili Duce crederet, sed Turrenius detrectato duello victorum privilegio uti perrexit.

Dux Schömburgius cum Gallico exercitu vincitur ab Hispanis in Catalaunia, copiis suis partim cæsis, partim fugatis, & Belgardiâ non ignobili civitate iterum ad Hispanos redeunte, & periisset in Catalaunia penitùs res Gallorum, nisi Messana seditio Hispanos avocâsset, & vires distraxisset.

Seditionis autem Messanæ tale fuit initium: Cùm in die quodam festo, quod solenni pompâ Messanæ celebrari consueverat, quidam picturam exposuisset, in quâ ad Regis Catholici pedes duo simulachra jacebant, cum hac epigraphe: *Cadit falsitas, surgit veritas*: per falsitatem quidam sugillabant armorum Præfectum, minari & insultare cœperunt expositori, quem etiam Præfectus carceri propterea mancipavit, pars verò populi Præfecto adversa tumultuari & expositorem imaginis laudare, atque in libertatem restituendum deposcere, Præfectus, ut se contra tumultuosos tueretur, milites convocat; & Senatum tanquam huic seditioni consentientem severiùs increpat, quo facto

populus adhuc efferatior factus compulsatis campanis & civibus, unanimiter cum militaribus copiis congreditur, fit strages utrimque etiam tormentis bellicis ex castello contra cives haud bruto fulmine detonantibus exciti sonitu tormentorum, & ære campanæ rustici ex pagis quoque accurrunt pro armatis civibus & urbe contra Præfectum & Regios pugnaturi, Præfecto interim cum militibus intra palatium se recipiente, & fortiter muniente: civibus autem partes urbium & mœnia ac propugnacula ex Senatûs Imperio occupantibus: eóque tandem devenit, ut nec Pro-Regem cum manu militari adventantem admitterent, sed tormentorum explosione arcerent, imò & Regi Ludovico sese dedere parârent, si in hac seditione assisteret; nec defuit Ludovicus XIV. opportunam occasionem nactus, etiam in his ditionibus Hispanos infestandi, & navali prælio oppugnandi, quod utrimque multis sumptibus longo tempore arte, industriâ, sanguine & vitâ multorum constitit.

Carolus Dux Lotharingiæ, qui exauctoratus & exutus suis ditionibus, propriis tamen copiis in Cæsareo exercitu militabat, cùm audiîsset prope Argentinam utroque exercitu sese mutuò observante, quin-

gentos

gentos nobiles Gallos in castra Turrenii adventare per Lotharingiam, per invia montium cum aliquot equitum cohortibusillis occurrens, ita incautos oppressit, ut ferè omnes cæsi fuerint, centum tantùm & quinquaginta captivis abductis cum opimis spoliis, quæ nobilium illorum supellex suppeditabat,

Carolus Rex Sveciæ, ut Gallis gratificaretur, Cæsari & Brandenburgico Electori bellum indicit; verùm Rex Daniæ contrario fœdere eodem tempore Cæsari se adversùs Svecum conjungit.

In Hungaria novus rebellium Ductor Töckelius apertâ vi & occultis insidiis Leopoldo Imperatori & Catholicæ religioni excidium machinatur.

✲(1675.)✲ Jubilæum Romæ magno concursu celebratur.

Die 5. Januarii obsidio Brisaci à Cæsareis & confœderatis, advolante cum exercitu Turrenio, solvitur. Die 11. Januarii Germani Gallis in Alsatia prævalentibus planè excedunt.

Die 19. Martii S. Josephus Christi in terris Nutritius à piissimo Cæsare Leopoldo in Tutelarem suorum regnorum & Provinciarum magnâ pietate & solennitate eligitur.

Die

Die 25. Martii castrum Leodiense per aureos cuniculos Galli ingrediuntur perfidiâ Commendantis, qui idcircò pœnas dedit, *Quisquis enim scelus fabricat, vindictam sibi cudit.*

Rex Ludovicus XIV. antequam fœderati de armis sumendis ex hybernis prodituri cogitarent, præviis incendiis, quibus hominum 25000. se in sylvas recipere coacti sunt, suæ potestatis fecit, seu terrore, seu obsidionibus varias urbes in Belgio, & sic in Galliam revertitur, dato militaribus Archistrategis documento: *Frustrà eos fortunæ favores præstolari, quos piger in stadio cursus remoratur.*

Dum prope Rhenum ad oppidum Sasbach Cæsareus & Gallicus exercitus cursu & recursu sese exagitant, & Turrenius locum captat, quo castra tueatur adversùs Montecuculum, majoris tormenti globo percussus vitâ prorsùs improvisâ clade amittit die 25. Julii rectè Strada, *Unâ*, inquit, *interdum clade amissis fortibus viris tanquàm succisis nervis reliquus exercitus vigore & viribus destituitur.* Castra enim Gallica tormentis Cæsareis ibidem usque ad 30. diem Augusti continuò impetita, nocte ab imbrium copiâ valde intempestâ sublatis castris ultra Kinsigium ac Wildstadium se reci-

recipiunt, relictis bis mille curribus impedimentorum & copiosâ annonâ Cæsareo militi.

Die primo Augusti cæduntur Galli prope Wasseneckum, pelluntur etiam à suo ponte navali intra Goldscheuer & Altenheim & à fugâ Sasbacensi usque in hanc diem amittunt quinque millia virorum: cedentes Cæsareis multa vexilla equestria & pedestria: pro Turrenio occiso successit Condæus è Belgio à Rege avocatus.

Die 5. Aug: Treviros obsident Cæsarei.

Die 11. cæsi Galli ad Saarbruck amittunt tria millia suorum, & quingenti capiuntur cum undecim tormentis, 47. vexillis, duobus tympanis majoribus.

Die sexto Septembris cæso priùs exercitu Gallico traduntur victoribus Cæsareis Treviri, ipso Crequio captivo cum perruptis obsidentium castris suppetias obsessis inferre tentaret.

Die 13. Septembris Viennæ nascitur Serenissima Archi-Dux Maria, Josepha, Gabriela.

Poloni hoc anno cum Turcis vario Marte confligunt, ad Leopolim autem ingenti clade afficiunt, ut per plura milliaria viæ cadaveribus occisorum stratæ fuerint.

Bran-

Brandenburgicus fusis Svecis varias urbes eripit.

Ducatus quoque Verdensis & Bremensis, unâ urbe Stadiâ exceptâ Principibus Brunswicensibus & Monasterienſi Episcopo cesserunt.

Rex Daniæ quoque deletâ classe Svecorum in Wismarienſi portu omnia navigia, quæ ibi erant, incendio destruxit, & Wismariam occupavit.

Carolus Lotharingiæ Dux extinguitur anno ætatis 75. Princeps per omnes Fortunæ casus exercitus.

Hispani & Hollandi totâ æstate steterunt in armis, & nihil memoriâ dignum attentârunt.

Messinenses rebelles paulatim deficiunt à Gallis, & auxilia illorum aversantur, quia annonam non sufficientem pro octoginta hominum millibus in urbe congregatis invehunt, tum etiam quia experti sunt, quòd in contubernio mulierum isti hospites suo genio liberaliùs indulgeant.

Mare insolitâ fluctuum agitatione intumescens, in sinu Balthico classem 36. onerariarum Batavicarum absorbet, & rupto aggere in Hollandiæ quodam tractu quadraginta pagos cum omnibus hominibus & jumentis undis profundissimè cum tectis & turribus sepelit. 1676.

✲(1676.)✲ Corona Svecica Gallicæ confœderata Ratisbonæ trium Imperialium Collegiorum consensu à voto & à sessione suspenditur.

Die 16. Martii duo Campi-Ductores Gallici Monclasius & Laproschius cæduntur in pago Buchholz a Cæsareo Belli-Duce Schultzio amissis suorum sexcentis, & ambo ipsi cum quatuor tormentis captivi abducuntur.

Die 8. Aprilis moritur Imperatrix Claudia Felicitas, anno ætatis suæ 24. naturæ & gratiæ donis suâ ætate nulli Principum fœminarum inferior.

Die 29. Aprilis Munimentum Rhenanum, vulgò die Rhein-Schantz / ab exercitu Cæsareo Imperiali eminùs angitur, & datur initium victoriosæ obsidioni Philippopolitanæ.

Mars quoque Gallicus etiam in tempestate hyemali irrequietus fervet, in mari siculo die 8. Januarii pugnatũ est inter classes Gallicam & Hollandicam damno utrinque æquali: Ditio Bipontina à Ludovico occupatur, prætextu fœderis cum Sveco ad quem jus successionis pertineret si Bipontinus tunc provectæ ætaris moreretur, itaque Cæsari præveniendum esse in favorem coronæ Svecicæ.

In

In Belgio capta sunt à Gallis Condæum & Buchainum, aliæq; plures urbes, in finibus Alsatiæ & Burgundiæ urbs montis Pelicardi.

Iterum die 22. Aprilis pugnatum in mari Siculo, Quesnio Comite, Gallis & Ruitero fœderatis Hispanis & Batavis Imperantibus, etiam nunc æqualibus damnis, nisi quod mors Ruiteri damnum majus intulisse fœderatis videatur.

Die 9. Maji munimentum Rhenanum ad Philipsburgum expugnatur a Cæsarianis.

Die 11. Julii moritur sereniſſima Archi-Dux Maria, Josepha, Clementia, Anna, Gabriela, Antonia, Franciſca, Dominica, Theresia, Eva, Placidia.

Die 17. Septembris Carolus V. Lotharingiæ Dux, extincti anno præterito Caroli alterius nepos, præfectus summâ auctoritate copiis Cæsareis Imperialibus, Philipsburgum validissimum munimentum, formatâ obsidione post sex mensium acerrimam oppugnatione deditione accipit, repertis intus 85. tormentis, fuit autē Dux Generosissimus & expertissimus non tantum munimenti fortissimi victor, sed insigni etiam clade affecit Luxemburgicum Ducem, qui, neglecto Condæo, Gallico exercitui præpositus à Ludovico urbi

obsessæ

obsessæ suppetias variis & miris machinis adhibitis inferre moliebatur.

Die 15. Octobris declarata pro tertia Cæsarea conjuge moderna Augustissima Imperatrix Eleonora Magdalena, Theresia ex Domo Palatino-Neoburgica. Die 12. Decembris Augustissimus sponsus suam tertiam sponsam Neoburgi prope Passavium salutat, & die 14. Decembris solenni ritu nuptias Passavii celebrat.

In Hungaria quamvis Clementissimus Imperator heterodoxis rebellibus ministris ad triremes damnatis pœnam remiserit, pergunt tamen Acatholici rebelles Turcarum auxilia contra suum legitimum Regem & Christianitatem sollicitare & excursionibus, rapinis & latrociniis Hungariam turbare. Cæsar autem fœdus init cum Moschis.

Stetinum à Brandenburgicis obsidetur & aliæ complures munitiones eripiuntur à confœderatis autem Trajectum ad mosam frustra oppugnatur.

Classis Hispanica in portu Panormitano à Duce Vivonio novis copiis ex Gallia aucto, immissis celocibus incendiariis flammis majori ex parte absumitur. Non tamen obtinuit Vivonius præcipuum facinoris fructum quem intendebat, si inter con-

confusos hostes in portū illabi, & à Panormitanis recipi posset, quorum exemplo sibi cæterarum Siciliæ urbium defectionem spo debat.

Moritur Clemens X. Pontifex optimus & in ejus locum omnium calculo dignissimus eligitur Cardinalis Odeschalcus Innocentius XI. dictus.

✲(1677.)✲ Cogitatur de pace tractanda Neomagi & die 11. Maji primæ generales conferentiæ de pace sancienda habentur Neomagi, tum à Mediatoribus tum à Legatis partium litigantium.

In Hungaria rebelles continuant consueta Latrocinia per Hungariam: Eperiesinum autem irrito conatu oppugnant, excursiones tamen suas ad montanas usque civitates promovent, eodemque anno in caput factionis suæ Emericum Töckelium constituunt & mox viribus suis diffisi petunt à Cæsare armistitium & impetrant.

Vix remittente summâ hyemis asperitate Rex Ludovicus Valencenas Hannoniæ urbem, Cameracum & Audomaropolim aliaque loca occupat.

Carolus autem Dux Lotharingiæ & septuaginta armatorum millium Archistrategus, trajectis cum exercitu suo Mosæ & Mosellæ fluminibus ad fines Campaniæ

niæ penetrat, frustra omnibus viribus, & pagorum exustione & viarum intercluſione obſtante Crequio, ne tamen ultra progrederetur, prohibuit neceſſitas Duci Saxoniæ Eiſſenaci ſuppetias in Alſatia ferendi. Crequius autem jam æſtate elapſa & ſimul deferveſcente jam ineunte hyeme Germanorum impetu, Briſcojenſem tractum invaſit, & Friburgum ejus primariam urbem improviſâ obſidione, & feſtinatis impreſſionibus poſt dies octo deditione accepit, non tamen abſque ſuſpicione proditionis, unde parva gloria in victorem ex aliena perfidia dimanavit.

In Hiſpania Carolus novâ auctoritatis Regiæ adminiſtratione ſuſceptâ rebus gerendis primarium miniſtrum præficit Joannem Auſtriacum fratrem ſuum, rogaturque Regina ut libero oſtraciſmo cum quibuſdam regni adminiſtris ſeſe ſubducat.

Colligitur vis ingens auri, argenti, gemmarum & ſupellectilis pretioſæ ex unius Ferdinandi Valenzoulæ marchionis Villaſerienſis bonis fiſco addictis, qui hactenus totius regni arbiter, Reginæ auctoritate abuſus dicebatur: Unde tumultus varii in aula Hiſpanica & ſermones in regno. Lues deinde gravis graſſata eſt per totam Hiſpaniam quæ vix vertente anno eſt ſeda-

ta,

ta, reperto ejus sanandæ remedio, quod promptissimum fuerat, expressus scilicet è malis limoniis succus, quod hactenus ignorabatur.

Auranum in ora Africæ frustra Barbari obsident, immissis protinus auxiliis tum ab Hispanis, tum à Petro Lusitaniæ Administratore.

Dani & Sveci clade alternâ se conficiunt, Stetinum autem in Pomerania postquam omnia passum esset, quæ in longa obsidione ferre solent obsessi, maximè inediam, quæ ad equos, canes, feles, & mures comedendos jam adegerat, tandem Brandeburgico Electori se dedidit, post annuam ferè obsessionem.

Romæ inter Pontificem Innocentium & Oratores Hispanum ac Gallicum oriuntur dissidia: prævaluit autem æquitate Pontifex, & propter gravissima incommoda, quæ ex prætensis Oratorum immunitatibus in urbem illam, Caput Orbis Christiani emanabant, prohibuit edicto Principum exterorum insignia figere ad januas, quasi hæc contra publicæ justitiæ ministros quorumvis criminum vindictam arcerent: quod uti acerbam querelarum fegetem primò, sic posteà dum sanioris judicii sensus maturuêre, fructus optimos parturiit. 1678

✲(1678.)✲ Ad instantiam Augustissimæ Imperatricis Eleonoræ Iñocentius XI. Pontifex decernit Officium Desponsationis B. Mariæ Virginis cum S. Josepho recitandum die 23. Januarii.

Die 6. Februarii copulatur Neostadii Austriæ ab Ordinario loci Episcopo Leopoldo à Kollonitz, Augustissimi Cæsaris soror Eleonora, Poloniæ Regina vidua, cum Serenissimo Lotharingiæ Duce Carolo V.

Die 22. Martii Cæsareus Archistrategus Comes Raymundus Montecuculi in Principem Imperii à Cæsare evehitur, eique titulus mortui Ducis Amalffi attribuitur ob Imperatore.

Sponsalia inter Serenissimam Archiducem Austriæ Mariam, Annam, Josepham, Augustissimi Cæsaris sororem, & Serenissimum Joannem Guilielmum Electorem Palatinum contrahuntur die 2. Junii, & die 25. Octobris nuptiæ celebrantur Viennæ.

Die sextâ Julii Crequius Cæsarianos ad Pontes Rheinfeldanos valde premit, ita ut plures ex ponte (dum instantibus à tergo Gallis intra urbem sese festinanter recipere voluerunt) attriti, & plures de ponte in Rhenum dejecti periêrint: quos

inter ſuffocatus etiam eſt Sereniſſimus Princeps ac Marchio Badenſis Carolus. Obſedit deinde Crequius Rheinfeldam, ſed cedere coactus eſt, ſtrenuè Cæſareis ſe defendentibus.

Die 26. Julii naſcitur Sereniſſimus Archi-Dux, nunc Auguſtus Romanorum & Hungarorum Rex JOSEPHUS I. *Magnum & non mediocre munus DEI, dare liberos, propagatores generis, ſucceſſionis hæredes.* Ambroſius in Luc. 1.

In Hungaria Acatholici rebelles accitâ Gallorum colluvie & infimæ ſortis Polonorum Eperieſinum irrito conatu aggrediuntur, deinde montanas civitates auri- & argenti-fodinis abundantes invadunt & expilant, multaque alia oppida & pagos expoliant.

Rex Ludovicus XIV. ſummâ celeritate movet in Belgium, & Gandavum, Iprim, ac Læviam occupat.

Dux Lotharingiæ Carolus Friburgum in Briſcovia recuperare fruſtrà conatur, impeditus à Crequio; unde æſtas alternis tantùm caſtrametationibus utriuſque exercitûs, & velitationibus utriuſque partis alternis victoriis & damnis tranſacta eſt.

Epidaurienſes à Turcis laceſſiti rogant ſuppetias apud Pontificem, alioſque Principes.

Sveci

Sveci & Dani mutuò se atterunt.

Ludovicus XIV. Rex pertæsus protectionis, quam hactenùs Messanensibus exhibuerat, eos tandem fatis propriis relinquere statuit, revocatis militibus suis in Galliam, quos ut salvos & incolumes educeret (res enim erat plena periculi, ne Messanenses ipsos conficerent, si deserendos, & Hispanis ad ultionem severam sese relinquendos esse, experirentur) immissus est Dux Foliadeus, qui prudenter & cautè id efficeret; Finxit itaque primò, se vicinarum urbium obsidionem moliri, quo prætextu jussis naves subire copiis, se è civitatis aspectu proripuit, ibiq; subsistens Consules ad se vocatos, quasi rem cum eis majoris momenti collaturus, eos Regis sui voluntatem edocuit. Biduum vix Consules exoravêre, in quo liceret iis è Messanensibus classem conscendere, qui Hispanorum clementiam despondentes, libero se exilio subducere vellent; unde factum, ut quadringentæ quinquaginta præcipuæ familiæ Messanensium discederent, & in Massiliam navigarent, ex quâ urbe, protractâ paucorum mensium morâ, novo iterum exilio è totâ Gallia facessere jussi sunt, eo vel prætextu, vel verâ causâ, quòd Massilienſem portum prodere & incendere voluerint.

IV. Idus Augusti Batavi seorsim cum Rege Ludovico XIV pacem ineunt, recipientes Trajectum ; Insequente autem Septembri iterum seorsim pangunt pacem cum Ludovico Hispani recipientes Gandavum, Limburgum, Carloreum, Bingium, Athum, Audenardam, Cortracum, Læviam, lubenter in hæc inclinante Ludovico, ut Cæsarei ad duriora pacta adigerentur.

✠(1679.)✠ Die 5. Februarii constituitur Noviomagi Cæsarem & Imperium inter ex unâ, Galliæ item & Sveciæ coronas ex alterâ parte pax nova, vel potiùs confirmatur, pax Monasterii & Osnabrugi concluſa ante annos triginta. Viennæ pax promulgata est die 14. Maji.

Hungaria necdum ab intestinis tumultibus rebellium conquiescit, novis suggestionibus Töckelio & Abaffio Transylvanorum Principe animos accendentibus, fortiter autem obnitentibus Cæsareis & Præsidiariis Germanis strenuè & fideliter urbes sibi demandatas custodientibus.

Fatis concessêre Monachii Ferdinandus Maria, utriusque Bavariæ Dux, & Madriti Joannes, Philippi Hispaniæ Regis nothus; uterque florentis ætatis, cùm neuter quinquaginta annos attigisset.

Ad

Ad sancitæ pacis inter Hispanos & Gallos firmamentum Rex Carolus Mariam Aloysiam, Philippi Aurelianensium Ducis filiam in uxorem duxit.

In Anglia famosâ alicujus hominis nauci temeritate & fraude multiplici, mendaciis, ac perjuriis traducuntur Catholici, quasi rei proditionis in Regem Carolum, quem conjurato facinore efferre statuissent. Titus Oates Calvinianorum ad Catholicos, & ab istis ad primæ hæresis sectatores transfuga, accusationis auctor fuit, eo solo diris & suppliciis devovendus, quòd nullum repererit, qui suæ criminationi adstipularetur: nihilominùs tamen quasi de re necessariis argumentis probatâ statuere gestiens plebejus Parlamenti Ordo, urgebat Catholicos omnes Angliâ eliminari, cui furori, cùm aliquorum vitâ, ac præsertim Sacerdotum ex Ordine S. Benedicti & Societate JEsu litatum esset, non obstante, quòd Rex & Regina eorum innocentiam contestarentur, pax, zelosissimorum virorum sanguine innocenter fuso, restituta est, & criminator, tanquam re suâ bellè gestâ, conquievit; tam quidem auro & honore pro perjuriis remuneratus, paulò pòst autem ad infames carceres, & virgarum iteratum sup-

plicium condemnatus, ac quovis evoluto trimestri publicè per urbem cæsus, justâ & meritâ pensione.

Princeps Guilielmus Fürstenbergius die 5. Maji à Clementissimo Cæsare libertate donatur: Observavit Leopoldus illud Marci Tullii Ciceronis epist: ad Quint. frat. lib. 1. *Exorabilem Principem esse præstat, quàm implacabilem, etiam in maximis injuriis sibi illatis.*

Nascitur ex Augustissimâ Imperatrice Archi-Dux, quæ vix Baptismo ablutа moritur.

Cæsar 23. Augusti ob metum grassantis pestis Pragam discedit. Pestis autem depascens Viennam intra breve temporis spacium centum hominum millia absumpsit, rediit Viennam extinctâ lue anno 1681. die 11. Aprilis.

☆(1680.)☆ Augustissimus Cæsar cum Imperatrice & Archi-Duce Josepho peregrinatur ad Divam Sacro-Montanam in Bohemia, & pro avertenda lue epidemica pretiosa anathemata Sospitatrici offert die 3. Aprilis,

In Hungaria armistitium inter Cæsarem & malè contentos rumpitur, & magnæ regni devastationes inferuntur.

Sereniſſimus Emmanuel Maximilianus Bava-

Bavariæ Dux initium facit sui regiminis, & Augustissimæ Domui Austriacæ favere incipit.

Turcæ pro bello Christianitati inferendo, summâ industriâ se parant.

Nubit Mariæ, Annæ, Christinæ Bavariæ Ludovicus Galliarum Delphinus pridie Nonas Martii, in Campaniæ confinibus à Rege & aulæ Primoribus eâ pompâ exceptæ, & Parisios deductæ, quæ tantas nuptias deceret.

Comes Æneas Caprara contra rebelles Hungaros vario armorum eventu pugnat, Huic dum aliquando deesset, quo stipendia militibus numeraret, & insolenti pervicaciâ præ cæteris cohors integra rebellâsset, his nil territus propriâ ipse manu seditionis antesignanum obtruncat, & jubet ante oculos suos decimum quemque cohortis militari supplicio enecari, quo militaris auctoritatis experimento tumultuantes reliquos compescuit.

Ludovicus XIV. otio pacis prudenter utitur, & regni sui magnam partem circumeundo lustrat.

Die 13. Decembris Lincii nascitur Serenissima Archi-Dux Maria Elisabetha.

DECAS IX.

(Ab anno Christi 1680. ad 1690.)

1681. ✠ REx Ludovicus Casale sibi à Mantuano Duce permissum & Argentoratum minis ad suas partes pertractum occupat uno eodemque die 30. Septembris.

Occupatur quoque à Rege Ludovico Comitatus Chimiensis & prætenditur titulo dependentiæ Luxemburgum.

In Hungaria Sopronii generalia Comitia celebrantur, & in iis Augustissima Imperatrix Eleonora Magdalena in Reginam Hungariæ antiquo & Catholico ritu coronatur, & simul excellentissimus Dominus Comes Paulus Esterhasi in regni Palatinum eligitur; liberum quoque exercitium Acatholicis ad certa duntaxat & determinata loca restringitur.

Innocentius XI. Pontifex insolitæ moderationis exemplo sedecim Cardinales simul Kalendis Septembris creat.

Funestus ac prodigiosus comparet cometa in festo S. Stephani Proto-Martyris.

✠(1682.)✠ Die 6. Februarii Legatio soleu-

solennis oratore Caprarâ ad pacem stabiliendam cum Porta à Cæsare Constantinopolim mittitur.

In Hungaria Acatholici Tökelii asseclæ in Sacerdotes Catholicos sæviunt, & Patres Societatis Jesu Eperiesino & Cassoviâ, aliisq; in locis in exilium ejiciunt, & superior Hungaria, prævalentibus heterodoxis tota ferè à Regis sui fidelitate deficit. Cæsar autem ad avertendum bellum adversùs Christianitatem, tam Turcis, quàm malè contentis in Hungaria favorabiles conditiones offert, quas ii acceptare recusant: quod sanè providentiâ Dei singulari factum fuisse, eventus docuit, ex tot malis tantorum bonorum proventum Cæsari & Ecclesiæ suæ elicientis.

Cassovia à rebellibus, auxilio Budensis Vezirii ad deditionem coacta, occasio fuit optatissima Turcis, multa millia Christianorum in captivitatem abducendi; nam rebellibus vicissim auxiliantibus Turca Fileckinum præstantissimum munimentum expugnavit, defendente & propugnante usque ad extrema fortissimo heroë Stephano Kohary, ob quod etiam ab hostibus captus tyrannicè prorsùs ab eisdem habitus, & longissimo tempore in carceribus detentus & emaciatus fuit.

Naſcitur Laxenburgi Leopoldus, Joſephus, Philippus, Wilhelmus, Franciſcus, Antonius, Eraſmus, Archi-Dux Auſtriæ die 12. Junii.

Naſcitur quoq; 8. Idus Auguſti Delphino Galliarum filius, cui cum titulo Burgundiæ Ducis nomen quoque Ludovici datum, ut cum nomine quoq; Ludovici patris & avi & atavi felicitatem aliquando hæreditaret.

Rex Ludovicus XIV. inſolentes direptiones Algerienſium immiſſâ claſſe, & urbis eorum, rapinarum congeſtarum nidi, per injectas ignivomas glandes fædâ devaſtatione caſtigat, atque ſic caſtigatos in pace iterum dimittit.

Ingentes procellæ & exundationes maris & fluminum ubique per Europam ruinas & damna inferunt, ab hominum memoria inauditâ eluvie aquarum.

Luxenburgum à Gallis obſidetur, ſed mox ab iis iterum liberatur, proteſtantibus Gallis, Regem ſuum Ludovicum ab urbe obſidendâ ſuperſedere, ut Cæſari pro ingruente bello Turcico tantò promptiùs auxilia ſubmittere poſſit. O felicem Leopoldum, ſi hic Gallorum cantus vera vaticinatus eſſet!

Clerus Gallicanus celebrat ſolemnia Comi-

Comitia propter *Regaliæ Jus* à Rege Ludovico prætensum in omnes regni sui Ecclesias. In his Comitiis varia dogmata eruperunt, quæ Pontifici Innocentio XI. summoperè displicuerunt, tanquam ad Pontificis auctoritatem infirmandam excogitata.

Töckelius Dux & Antesignanus rebellium in Hungaria nubit viduæ Ragotzkianæ, cujus divitiis auctior novam unionem cum Bassa Budensi stabilivit, & simul à Sultano Principis, imò Hungariæ Regis insignia, chlamidem, frameam, & sariſſam, sive clavam accepit, unde etiam in numismatis hunc titulum sibi arrogavit: *Princeps & partium regni Hungariæ Dominus.*

✲(1683.)✲ Augustissimus Leopoldus cum Regibus Hispaniæ, Sveciæ, & Ordinibus Belgii, nec non cum Veneta Republica, item cum Lüneburgicis confœderatur. Die 21. Aprilis jubet Augustissimus Sereniſſimum Lotharingiæ Ducem Carolum hujus nominis V. suis exercitibus cum summâ potestate præesse. Decimo tertio Junii Carolus Dux Lotharingiæ cum exercitu Cæsareo obsidet Vivarinum, ut sic hostes imminentes præveniret, fortissimum munimentum, cum quadraginta millibus vegeti adhuc roboris ar-
virorum, sibi subigendo. Spor

Rex Poloniæ Joannes Casimirus sua auxilia; neque destitit Summus Pastor Ecclesiæ Innocentius quà Jubilæo indicto, quà pecuniâ & milite suppeditato expeditionem adversùs Christianitatis hostem ardentissimè promovere. Fœderatur quoque Cæsar die 14. Junii cum Electore Saxoniæ, ut jam nihil deesse videretur in necessario apparatu ad fortiter repellendum Turcarum impetum, si ille ingrueret, quàm promissorum & fœderum executio, dum opinione celeriùs erupit ex Portâ Ottomannica exercitus Barbarorum infensissimus, & priusquàm Carolus obsidionem Vivariensem optato exitu finiret, prodito ab aliquibus Hungaris Arrabonis fluvii transitu, latè cædibus & incendiis vastatis omnibus ad Viennam Austriæ obsidendam, torrentis instar cursu rapidissimo perrupit: Unde Carolus Lotharingiæ Dux ad solvendam obsidionem compulsus, ut Viennam Cæsari & Christianis servaret, immissâ illicò ad urbis defensionem copiarum parte, ipse aliquantò longiùs cis Danubium Crembsium versùs obsidioni & hosti invigilaturus, castra cum

no exercitu metatus est.

ri tunc cœpit Vienna die deci-

lii à ducentis millibus & am-

pliùs

plius (Tartaris alibi graſſantibus) ſupremo Campi-Ductore Karâ Muſtaphâ,& oppugnata eſt acerrimè uſque ad diem 12. Septembris ejuſdem anni per omnia genera offenſionum , quêis ſolet in obſeſſas urbes ſævire armatus furor.

Interea Imperator cum Imperatrice & Archi-Duce Joſepho , & Auguſtiſſimâ familiâ celeri ſe fugâ Paſſavium proripuit , nihil curarum , conſilii & induſtriæ omiſſurus ad afflictam urbem maturè eliberandam ; neque Lotharingiæ Dux otioſa ſtativa tenuit in omnem occaſionem hoſtium vires infringendi attentiſſimus. Sexto Auguſti Töckelium ad Poſonium magnâ clade attrivit , & die 24. Auguſti apud Stammerſdorff in Marckfeld prope Viennam Turcicas copias delevit , obtentis viginti quinque vexillis , & duobus paribus tympanorum.

Auguſtiſſimus verò ut jam ſuo exercitui fieret propinquior, & auxiliaribus exercitibus ad ſolvendam obſidionem approperantibus Paſſavio Lintzium ſeſe contulit , ubi ab Imperatrice felici partu Archiducis Mariæ, Annæ, Joſephæ , Antoniæ , Reginæ exhilaratur.

Circa idem tempus obiit Pariſiis 5. Nonas Julii Maria, Thereſia Auſtriaca , Franciæ

ciæ Regina & Regis Ludovici XIV. conjux, innocentissimæ vitæ & integerrimæ pietatis.

Ludovicus autem, dum bello atrocissimo arderet Hungaria & Austria, atq; ex partibus variis Christiani Orbis ad extinguendum incendium concurrerent suppetias & opem laturi, juribus suis intentus, alibi belli flammas sparsurus in Belgium mittit sub Mareschallo Hummerio exercitum unum, ubi Cortracum & Dixmudam capit, & alterum ad Luxenburgum expugnandum Duce Crequio, qui ingenti ignivomorum globorum procellâ urbem obruit, non alio tamen damno tunc, quàm ædium privatarum, & munimento his ignibus non expugnato.

Protracta jam fuit ad duos menses Viennensis obsidio tandem Rex Poloniæ Joannes Casimirus, Sereniſſimi Electores Ferdinandus Emmanuel & Joannes Georgius Saxoniæ Viennæ, & rei Christianæ in subsidium advenientes, in persona, cum Cæsarianis sub Sereniſſimo Duce Lotharingiæ se conjungunt, & die 11. Septembris cum omni bellico apparatu montem Cetium superant, ac die duodecimo Turcicum exercitum ab obsidione Viennensi depellunt, tanto Barbaris incusso terrore & confusio-

fusione, ut non jam milites certamen sed stupida animalia lanienam sustinere viderentur. Cessêre victoribus opipara hostilium castrorum impedimenta, omnis generis opibus, & munitionibus referta; tunc immortalis gloriæ fastis suum nomen inscripserunt Ernestus Rogerius Comes Starenbergius, in urbe obtessa præfectus, & præstantissimi Duces, qui adhortationibus & exemplis milites & cives tempore obsidionis ad perdurandum, & intrepidè resistendum animârunt. Hac strage Turcarum Constantinopolim delatâ, factus est ingens fremitus & confusio portæ Ottomannicæ, à Christianis ferè per Italiam, Poloniam, Hispaniam, Germaniam actæ Deo Conservatori & Domino exercituum solennissimæ gratiæ, & publica lætitiæ signa ubique edita festivis plausibus & triumphis resonantibus. Starenbergius à Leopoldo honoribus & divitiis & à Catholico Rege aurei velleris torque in fidei & fortitudinis commendationem donatus est. Turcarum autem Kara Mustapha brevi post cum aliquot Bassis infelicis belli mulctam luit, Sultani mandato laqueo suffocatus. Infensissimâ hac irruptione, computo post Viennam eliberatam inito, deprehensum est in servitutem Turcico Tartaricam

ricam ex Christianis abacta esse sex virorum millia occisis aliis innumeris, fœminarum conjugatarum undecim millia ducentas & quindecim, puellarum innuptarum quatuordecim millia nonaginta duas, Puerorum quinquaginta sex millia & nonaginta tres: ex parte Viennensi oppida & pagi incinerati sunt quatuordecim millia sexaginta duo, ex parte Posoniensi ducenti septuaginta & unus. Quam ferox hoc flagellum Christianitatis, quo Ecclesia percussa est!

Solutâ obsidione Viennam Augustissimus Cæsar ingressus est die decimo quarto Septembris.

Die 10. Octobris Cæduntur Turcæ à Lotharingo ad Barkanum, amittunt quinque millia armatorum, viginti tormenta, & Barkanum incinerarur, ibi quoque repertis 25. tormentis.

Die 28. Octob: egrediuntur Turcæ Strigonio, factâ deditione Cæsarei exercitûs Ductori Carolo Lotharingiæ Duci, reperta sunt intus 50. tormenta.

Die 11. Decembris eripitur Turcis Setschinium Hungariæ munimentum repertis intus 20. tormentis, recipiuntur & aliæ urbes circa hæc tempora quæ debitam Cæsari obedientiam reddiderunt.

Abdn-

Abducitur jussu Cæsaris Passavio Rottenburgum Zrinius Comes, Petri Zrinii filius ob notorium delictum carceri addicendus.

In Anglia duplex conjuratio de Rege è medio tollendo auctore & capite conspirationis Comite Schafburiensi alterâ vice detegitur, & jussu Regis complices partim intercepti & mulctati, partim fugâ supplicium declinaverunt.

✲(1684.)✲ Treviri à Gallis violentè occupantur die 15. Januarii & mœnibus denudantur.

Tota inferior Hungaria Cæsari reconciliatur, Vicegradum à Cæsareis & Pestum expugnatur.

Buda quoq; sed irrito eventu à nostris oppugnatur: meliori fortuna nostris favit in campis cæso ac fugato iteratis vicibus hoste.

Schulzius & Bakoczius Generales rebelles sæpius cædunt; in Dalmatia acriter Turcas premunt Morlaci.

In Croatia capitur Verovitieza cum ducentis pagis & castris; Veneti in Insula S. Mauri egregios faciunt progressus contra Turcas.

Poloni quoque extra limites suos profligant Tartaros.

Töckelius ad Leuschoviam ac iterum

ad

ad Eperiesinum utrinque magnâ strage afficitur ac fugit.

Innocentius XI. Principibus confœderatis, quin & ipsis Cosaccis copiosum subsidium pecuniarium pro bello Turcico submittit.

Ludovicus XIV. Rex Galliæ 8. Idus Junii occupat Luxenburgum per mensem & amplius obsessum, premit quoque Hugonottas in regno suo inquilinos.

Misit quoq; Ludovicus hoc anno classem suam in Italiam cum Marchione Segnelario: quæ cum videndam se urbi Genuensi 16. Kalend. Jun. exhibuisset, officii causa reipublicæ Legati adnavigârunt, quibus Segnelarius mentem Regis aperuit in eo sitam, ut ob illatas nomini & genti Francicæ contumelias Parisios quatuor Senatores satisfactum ablegentur & Regi cederent quatuor triremes, quas de novo instructas, libertatisque nomine insignitas quasi ad ejus potentiæ fastum ostentabant, quæ à nullo sibi periculo timeret. Datum est ad deliberandum quinque horarum spatium, cumque Genuenses arbitrarentur his petitionibus libero suo dominio multum detractum iri, & eo usque submittere se Regi renuerent, Marchio ab incendiariis navibus in urbem æra igni-

voma

voma jussit vibrari, quibus brevi ædes innumeræ arserunt, continuata diebus undecim hac infestatione, quâ pars major elegantissimæ civitatis attrita est,& numerati sunt decies & ter mille trecenti globi, qui ignem fatali ruinâ in ædes, palatia, templa & cænobia confuso & indiscriminato casu evomuêre. Experti sunt Genuenses, quàm sit fatale Jovem irritare gestantem fulmina. Neque aliter Rex Ludovicus placari voluit quàm adventu Ducis cum quatuor Senatoribus Parisios,& modestâ excusatione coram Rege factâ. Et sic pristinæ pacis argumenta iterum apparuerunt.

Summus Pontifex dissidia inter Galliæ & Hispaniæ Reges componere summopere laborat.

Vicennales induciæ inter Cæsarem & Regem Hispaniæ cum Ludovico Rege Galliarum Ratisbonæ compactantur.

Carolus Rex Angliæ munitus ad sui defensionem & securitatem copioso milite quem prætextu belli Belgici comparavit, ut eos compesceret qui Ducem Montmuthium, tametsi ortûs non legitimi, cupiebant successionis privilegio gaudere, in publicis Comitiis tum Edimburgi tum Londini Jacobum fratrem Ducem Eboracensium unicum

unicum sibi successorem renunciari cura vit, quia ipse legitimâ prole carebat, nequicquam publicè tunc Anglis vel Scotis contra mussitare præsumentibus.

✠(1685.)✠ Strigoniensis Archi-Episcopus & Hungariæ Primas Georgius Szelephanius moriens partem facultatum suarum (duos milliones Florenorum) Cæsari pro bello Turcico & partem ad pias causas in usum & commodum Strigoniensis Ecclesiæ testamento transcribit.

Carolus Hispaniarum Rex, Rudolphi Habspurgensium antesignani, exemplo ruri Sacerdotem offendens, qui pedes sacra Christi pignora ultimum ægrotanti rustico viaticum deferebat, eum reverentiæ ergò rhedam qua exscenderat subire jussit, & pedibus ipse ad rusticanum mapale procedentem comitatus est. Ejusdem hæreditariæ Austriacorum pietatis exemplum exhibuit anno 1. hujus Sæculi Josephus I. Rex Romanorum Viennæ qui ex venatione rediens, & obvium habens cum Sacro Viatico Mystam equo cum Comitatu toto desiliit & Deo suo sub sacro panis velamine latenti devotum pedisequum se exhibuit usque ad domum plebei ægrotantis, & divino pabulo refectum liberali quoque auri porrecti munificentiâ exhi-

exhilaravit, eâ humilitatis & modeſtiæ ſpecie, ut ſimilem ſæpe in plebeis capitibus deſideremus.

Carolus Electori Palatino Rheni hæretico ſine hærede defuncto in Electoratu & ditione ſuccedit Sereniſſimus Dux Neoburgicus Catholicus.

Carolus II. Angliæ Rex Catholicam fidem privatim ante mortem ſuam profeſſus ex hac vita decedit, cui ſtatim in regno ſuccedit Jacobus frater Dux Eboracenſis, qui eodem die adhuc ab univerſis Regni Proceribus Regiæ dignitatis ſucceſſor ſalutatus eſt, & publicè in initio ſui regiminis Catholicum ſe eſſe declaravit: cui nihilominus omnes regni Ordines ſolito obedientiæ juramento ſe obſtrinxerunt. Dux autem Jacobus Monmutius extincti Caroli filius Nothus, qui tunc inter Batavos verſabatur, ſpe populi à Catholico Rege abalienandi, atq; ad ſe alliciendi captus, comparatis ſibi ſociis Argilio Comite, & Nobili Graio, rebellionem meditatus eſt, eoſque in Scotiam cum armis & copiis aliquot præmiſit, brevi ſecuturus, ſi ipſi prima moliminis hujus fundamenta jeciſſent. Exſcenſione factâ rebellionis anteſignani, magnis promiſſis & ſparſis libellis populũ ad Monmutium vocabant. Poſtulavit Rex Jacobus

ut

ut regni Comitia de his seditiosis decernerent, exoravitque ut læsæ majestatis rei ideoque capitis supplicio mulctandi denunciarentur, quod etiam brevi effectum est, tunc Argilius à Regiis copiis interceptus Edenburgi capite luit & Monmutius pari sorte prælio ad Bridduaterum in Anglia victus, captusque Londini VII. Kalend. Aug. Regis titulum (cujus personam jam agere cæperat) & caput simul amisit.

Rex Ludovicus XIV. honorificam legationem mittit ad Regem Siamensem in extremis Indiæ oris positum, à quo Legati perhumaniter excipiuntur & Christianis libera facultas conceditur sacra sua in regno publicè exercendi.

Augustissimus Imperator religiosos Societatis JEsu in Hungaria non tantùm ad eas civitates ex quibus occasione rebellionis exturbati fuerant, benignissimè reponit, sed etiam in urbes de novo à Turcis recuperatas inducit.

Die 3. Martii Legatio Bavarica apud Augustissimum Cæsarem pro Serenissimo Electore Maximiliano Emmanuele deposcit in sponsam sereniſſimam filiam Mariam Antoniam Archi-Ducem Austriæ, publicatur nuptialis contractus die 25. Aprilis

& of-

& offertur sponsæ inter cætera donarium centum millium florenorum : Idibus Julii nuptiæ Viennæ celebrantur.

Lesleus Cæsareus Generalis cædit Turcas ad Effeckinum pontem, & occisis eorum 800. civitatem expilat non tamen arcem. Die 13. Augusti & altero die pontem ex majori parte exurit.

Turcæ die 26. Augusti cæduntur ad Strigonium à Cæsareis, recessum simulantibus, & obsidio solvitur : Occubuere quinque millia, capti sunt 200. tormenta accepta 24. cum vexillis 40. & omni commeatu & omnibus castris.

Vivarinum post obsidionem cœptam die 7. Julii armatâ manu die 19. Augusti à Cæsareis occupatur, assultum moderante excellentissimo Heroë Æneâ caprarâ, reperta sunt intus 98. tormenta.

Eperiesini à Generali Schultzio expugnati cives exarmantur, reperta sunt 34. tormenta, & 2. mortaria.

Die 1. Octobris nascitur Serenissimus Archi-Dux Carolus. Cæsarei 2. Octobris obsident Cassoviam & die 25. Octobris occupant.

Cæsareis Cassoviam obsidentibus Tökelius Varadinum pervenit exoraturus à Præfecto Turcico suppetias, sed ibi malè ex-

exceptus jussu Vezirii, & in vincula conjectus, viliqúe & rusticano plaustro impositus Adrianopolim tractus est.

In Morea Corona urbs & insignes aliquot portus à Venetis capiuntur.

Summus Pontifex Cæsarem Venetos, Polonos, Hungaros, Croatos pecuniâ pro bello Turcico adjuvat.

Luneburgici Cæsari militem suum accommodant.

Hugonottarum secta extinguitur in Gallia.

Romæ Michaël Molinos Sacerdos Hispanus, qui fictæ pietatis larva abusus, multos seducebat, decreto Congregationis Sancti officii è domo ad carceres trahitur.

DE HÆRESI QUIETISTARUM, ET AUCTORE EJUS MICHAELE MOLINOS.

Molinos fuit natione Hispanus Aragonensis Doctoris & Sacerdotis dignitate insignis, virtutum quoque simulator maximus, ita ut foris Angelo similis, & extases spirare videretur, detectus tandem est Romæ, & in carceres recluſus, postea publicè coram sacro Senatu aulâque Romanâ ac immensâ populi frequentia errores suos recantavit: tantâ autem omnium execratione ejus doctrinæ capita & obscœnitates

audite

auditæ sunt, ut repetitis populi vocibus ad flammas posceretur; summa verò doctrinæ illius fuit:

1. *Ut in elemento aëris, ita in animâ hominis duas regiones statuebat, quas Theologi duos appetitus vocant, rationalem scilicet & sensitivum, & rationalem quidem appetitum docebat semper esse occupandum in contemplatione Dei & amore Divino, ac in illo solo esse conquiescendum, unde & illius sectatores* Quietistæ *denominati sunt; sensitivo autem appetitui, docebat in omnibus obtemperandum esse, neque concupiscentias illius refrænandas esse, aut impediendas, sed permittendas potiùs explendasq́, quippe naturæ innatas, nec magis culpæ obnoxias, quàm naturam ipsam, cujus illæ flores ac fructus sunt. Ex hac verò generali doctrinà ad particulares alias propositiones non impias tantùm, sed obscœnas etiam delapsus est, dictu auditúq́ indignissimas. Quas inter fuêre etiam hæ*

1. *Solum affectivum & contemplativum amorem sufficere ad salutem, & in eo solo totam perfectionem hominis Christiani consistere.*

2. *Qui semel Deo voluntatem suam commisit, nihil amplius nec cœlum, nec infernum curare debet, nec perfectionem aut sanctitatem, virtutesq́, imò nec salutem propriam optare.*

3. *Deum offendi, cùm aliquis operari aliquid activè conatur, cùm Deus velit solus in homine operari, oportere igitur, ut quis se totum Deo*

deferat, & posteà instar mortui & cadaveris se habeat.

4. Deum operari in nobis sine nobis.

5. Anima nihil agendo, & nihil operando ad Deum redit.

6. Via interna est illa, in qua nec lumen, nec amor, nec resignatio in Deum cognoscitur.

7. Imò oportet nequidem ipsum Deum cognoscì, & tunc res bene habet.

8. Anima nec de inferno cogitare aliquid debet.

9. Petere à Deo aliquid, est imperfectio, sicut & gratias agere.

10. Postquam Deo voluntatem tuam commisisti, non amplius curandæ sunt tentationes, neque illis resistendum, nisi tantùm negativè, nullâq; adhibitâ diligentiâ, & si natura aliquid sentit, permitte ut sentiat, quia natura est.

11. Oportet, ut in oratione solam fidem obscuram & universalem habeas, & stes coram Deo ad ipsum amandum, nullum tamen actum eliciendo, nihilq; agendo, quia Deus hujusmodi mercibus haud delectatur.

12. Cogitationes quantumvis impuræ & contra Deum Sanctosque, si voluntariè non foveantur, nec etiam positivè repellantur, sed patienter tolerentur, non tantùm non impediunt orationem, sed eam potiùs perfectiorem reddunt.

13. Tædium rerum spiritualium bonum est, quia eo purgatur amor proprius. 14.

Prætermitto alias & ſpurcas, & fædas ejuſdem propoſitiones, & mollitiei faventes, quibus nihil turpiùs ſcribi, aut legi poteſt ſine horrore.

✠(1686.)✠ In Hungaria 22. Jan: armatâ manu à Cæſareis Turcis eripitur Szegedinum.

A Croatis, die 14. Martii eripitur eiſdem Jarona profligatis priùs in arce 1500. Turcis & mille captivis Chriſtianis liberatis, novus Vezirius ob rem ad Strigonium malè geſtam ſtrangulatur.

A Tranſylvanis ſolennis legatio ad Cæſarem pro fœdere contra Turcas ineundo mittitur.

In Provinciis hæreditariis Cæſaris, auctoritate ſummi Pontificis tertia pars bonorum Eccleſiaſticorum Regularium pro bello Turcico continuando applicatur, per Hiſpaniam autem, Italiam, Bavariam & Poloniam decimæ omnium proventuum Eccleſiaſticorum ad eundem finem deputantur.

Veneti magnam partem Pelopponeſi ſive Moreæ Inſulæ occupant. Et Navarinum expugnant.

Caprara incipit obſidere Monkatzium, in quo Töckelii uxor incluſa, neglectis conſiliis & minis, quæ ad eam Cæſari reconciliandam injiciebantur, omnis generis validâ ſe defenſione tutatur.

Die 19. Junii felicibus auſpiciis Metropolis Hungariæ Buda obſidetur à Ducibus Lotharingiæ & Bavariæ, ille cum Cæſareis urbem ſibi expugnandi, & Bavariæ Dux cum ſuis & Imperalibus copiis arcem ſeu caſtrum ſubigendi provinciam ſuſcepêre, protractâ jam aliquot hebdomades obſidione, & barbaris bis terque retuſis, quos Vezirius urbi ſuppetias laturos miſerat, urbs tandem violentâ impreſſione tentata & capta eſt, unà cum caſtro die 2. Septemb. deletis internecinâ clade præſidiariis & civibus, quorum pauci vitam ab iratis victoribus exorârunt, toto Turcico exercitu inſpectante, & cum Vezirio ſuo meticuloſâ fugâ ſe ſubducente, quanquam armatorum ſexaginta millia numeraret: Venit igitur in poteſtatem Auguſtiſſimi Leopoldi, poſtquam novies hæc Metropolis oppugnata fuit, & à Turcis defenſa, & ſervata.

Sub auſpiciis Imp. Leopoldi apponitur primâ vice crux cum aquila ad turrim S. Stephani Viennæ in locum Lunæ Turcicæ.

Princeps Badenſis Ludovicus obſidet Quinque Eccleſias & paucorum dierum obſidione expugnat die 22. Octobris.

Cæduntur Turcæ à Veteranio Cæſareo Duce die 20. Octobris ad Szegedinum & amittunt tria millia armatorum, 18. tor-

menta

menta quatuor millia equorum, quingentos onustos camelos, quingentos mulos, multa vexilla ac tympana, cum omnibus aliis impedimentis:

Darda munimentum Turcicum ad Pontes Effeckianos occupatur à Ludovico Badensi Cæsareo Archistratego die 1. Novemb. repertis intus 14. tormentis, & ponte Effeckiano fere medio incinerato.

Universitas Friburgensis non obstante Gallorum protestatione hoc anno translata est Costantiam.

Eleonora Imperatrix Ferdinandi III. Conjux Leopoldi I. noverca Viennæ diem obiit sexto Decembris.

In Gallia Parisiis in areâ victoriæ insigni opere fabrefactum Regis Ludovici XIV. simulacrum erigitur, & circa illud paris operis columnæ 12. terno complexu in quatuor angulos distributæ cum appensis æreis numismatibus, in quibus præcipua ejus gesta & victoriæ sculpta & scripta referuntur, lychni huic magnifico operi quatuor continuo igne circa Regis simulacrum illucent. Expensas ministravit Franciscus Albussonius Foliadeus, & Franciæ Par, uti singulari Ludovici favore ad summas dignitates evectus, sic ejus gloriæ cupidissimus.

Eodem die, quo Buda à Christianis capta, Innocentius quasi divinâ inspiratione tantam victoriam edoctus, 27. Cardinalium creatione lætitiam Orbis Christiani cumulavit.

Nascitur Delphino Galliæ tertius filius pridie Kalend. Septembris, eique Caroli nomen & agnomen Ducis Biturigensium attribuitur.

Regiam aulam Ludovici exhilaravit Oratorum Siamensium adventus, qui Idibus Septembris ad Regem introducti non solùm Regis sui potentissimi amicitiam & fœdera spoponderunt, sed etiam donis liberalibus Regem & Regiam familiam cohonestaverunt.

✲(1687.)✲ Jacobus Angliæ Rex Legationem ad Summum Pontificem Romanum mittit, & Apostolicum Nuncium à Pontifice in Angliam missum perhonorificè suscipit.

Nascitur die 6. Martii Archi-Dux Austriæ, Maria, Josepha, Coletta, Antonia ex Augustissima Imperatrice Eleonora. Septimo ejusdem ad munimentum Uzuvam cæduntur à Cæsareis quingenti palabundi Turcæ.

Budæ 9. Aprilis plectitur capite nobilis Prussus Conradus Finck à Finckenstain,

eò

eò quòd proditionem, Budæ duobus millibus aureorum nummùm cum Turcis pactus fuerit.

Viennæ die 30. Julii ponit Leopoldus Cæsar fundamentalem lapidem pro statua Sanctissimæ Trinitatis, & supponit nummum aureum, in cujus uno latere integer titulus suæ Majestatis, in altero hæc inscriptio: LEOPOLDUS I. Imperator, Hungariæ & Bohemiæ Rex, &c. Sacrosanctæ TRINITATI Votum exoluturus columnæ hujus primum lapidem posuit 30. Julii Anno 1687. Benedicta & laudata sit Sanctissima Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, Amen.

Observavit Augustissimus monitum S. Leonis ad Imperatorem Theodosium: *Tunc est optimus regni vestri status, quando Sempiternæ & incommutabili Trinitati unius DEI confessione servitur,*

Academia Naturæ Curiosorum Leopoldina sub manu & sigillo Cæsareæ Majestatis à Sacro Romano Imperio protegenda suscipitur.

Die 12. Augusti invaditur exercitus Cæsareus sub Ducibus Lotharingiæ & Bavariæ propè montem Harsanum à Turcico Vezirio (qui Christianos dum Dravum flumen, quem transiêrunt, repetunt, quasi regressuri, languore & timore debiles cedere, & Mohazium se recipere velle, suspicatus est) sed orto pleno prælio cæditur hostis viginti millibus suorum desideratis, vel ferro enectis, vel aquis & paludibus haustis, & totis insuper castris exuitur. Capti sunt bis mille, sexaginta octo tormenta, decem mortaria, decies mille centenarii pulveris pyrii, octo millia globorum majorum tormentorum, tria millia majorum sphærarum missilium (bombas vocant) undecim millia sphærarum manualium, septem millia boum, sex millia equorum, mille quingenti cameli. Post hanc victoriam Cæsaream Eszekinũ, Valponam, Prosegam, Mursam, Palottam, Orowizam, universamque Sclavoniam recuperant. Adhæc Dux Lotharingiæ fortalitia Transylvaniæ præsidiis Suæ Majestatis firmat, & Agria à Caraffa fame ad deditionem cogitur.

Æquè secundo Marte Veneti Corinthum castrum Tornesium, Athenas, sive Malvasiam, Neocastrum, Patras, Neopactum,

dum, aliaque loca suæ potestati subjiciunt.

Die 30. Octobris Augustissimus Cæsar cum filio suo serenissimo Archi-Duce Josepho solenni pompâ Posonium ingreditur, & die 9. Decembris Josephus Archi-Dux Austriæ ibidem in Regem Hungariæ hæreditarium coronatur.

Econtra Constantinopoli Turcarum Imperator Mahometes II. à suis deponitur, & in ordinem redigitur, fratre illius, qui hactenus privatam vitam duxit, in locum ejus substituto, unde Constantinopoli tumultus ingentes exoriuntur, & mutuæ cædes inter Turcas consequuntur.

Poloni & Moschi Tartaros ab excursionibus cohibent.

In Gallia Rex Ludovicus XIV. decreti sui contra Hugonottas facti executionem zelosè urget: sed & nova simul belli semina spargit, triplici petitione, quam fieri nomine suo Cæsari jussit, primò petiit armistitium vicennale converti in pacem perpetuam, secundò petiit variarum ditionum cessionem, quas cognatæ Aurelianensi debitas prætendebat: tertiò dissipationem fœderis Augustani, quod Cæsar iniit anno superiore cum Ordinibus Imperii & Republica Batavorum tanquam sibi infensi & noxii fœderis. Cùm verò

Cæsar nulli ex his petitionibus eo sensu obaudiret, quo poscebatur, conceptæ inimicitiæ novo belli fermento exasperantur.

XVI. Kalend. Decembris Henricus Carolus Marchio Lavardinus Regis Ludovici ad Pontificem Orator stipatus ferè ducentis armatis absque promiscua Tibicinum, epheborum, & familiarium, equorum, rhedarum, curruum & impedimentorum multitudine, more castrensi Romam ingreditur. Occasionem autem tanto apparatui præbebat constans, quam Innocentius tuebatur, voluntas, Oratorum asyla abolendi. Lavardinus igitur, posthabitâ excommunicationis sententiâ adversus omnes, qui dicta jura retinere quovis titulo præsumpsissent, cùm alii Oratores jam cessissent Pontificis voluntati, ipse circa palatium suum stationes & vigilias instituit, qui militari more obambulantes, publicos apparitores, & vim, siqua pararetur, arcerent, & similia fecit, quibus Pontificium decretum contemnere videretur. Cùm posthæc Orator se in Ecclesiam S. Ludovici 8. Kal. Januarii conferret, & sacris interesset, Pontifex, ne leges suas videretur negligere, publico edicto Ecclesiam, in quam Orator diverterat, devovit

rovit, & tanquam excommunicatum habuit: hinc enata querelarum & apologiarum seges, immoto in proposito suo, Pontifice, donec Lavardinus, protractis ferè biennio excubiis, à Rege tandem in Galliam revocatus est.

III. Idus Augusti Ulisipponem classe deducta est Maria Sophia Neoburgica Petro Lusitaniæ Regi nupta, à quâ etiam anno sequente 8. Kal. Octobris masculâ prole exhilaratus, sed paucorum dierum periodo iterum summo luctu privatus est.

☆(1688.)☆ Die 18. Januarii celebre Hungariæ fortalitium, Töckelii sedes, Monkatschinum integro triennio eminùs obsessum deditione Cæsaris potestati accedit, & Emmerici Töckelii consors Helena nata è Croatiæ Comitibus Zrinii, arcis propugnatrix captiva Viennam abducitur, atque ita, qui alienis inhiabat, Töckelius, propria amisit. Die 9. Februarii parùm abfuit, quin ipse quoque antesignanus rebellium Töckelius in manus Cæsareorum veniret, quando in oppido Tellegel à Cæsareo Belli-Duce Heuslero obrutus, cæsis suorum sexcentis, & ducentis viginti duobus captis, quos inter 18. officiales fuerunt, amissis 15. vexillis, & 118. equis, ipse fugâ sese proripuit.

Die 23. Martii prope Eisserneckium cæsi Turcæ à Cæsareis occubuêre sexcenti prætoriani, capti centum quinquaginta cum primario labaro & tympanis.

Die 19. Maji Alba Regalis deditionem paciscitur cum Cæsarianis, seque submittit, egressis inde ter mille incolis, repertis intùs 7. grandioribus mortariis bellicis, & 79. tormentis.

19. Junii Lippa Hungariæ civitas à Cæsareo Belli-Duce Caraffeo capitur assultu. Reperta intùs ingens vis pecorum, corii, & centum millia salis lapidum: arx arbitrio ejusdem Caraffei ducis dedita est 20. Junii Turcis bis mille & quinquaginta exarmatis, & sub custodia retentis; ter mille verò imbellioris ætatis & sexûs in tutiora dimissis.

Die 8. Augusti Cæsareus exercitus Savum transit expeditione à centum annis & ampliùs non auditâ, & die 12. Augusti à Belli-Duce supremo Cæsarei exercitûs Electore Bavariæ Maximiliano Emmanuele Belgradum obsidetur: Castanoviza autem à Marchione Ludovico Badensi die 15. Augusti occupatur.

Die 5. Septembris ab eodem sereniss. Ludovico Badensi cæduntur Turcæ in Bosnia, & amittunt quinque millia cæsa

in

in acie duo millia captivorum cum 4. vexillis.

Belgradum die 6. Septemb. ab Electore Emmanuele Bavariæ Duce armatá manu expugnatur, præsidiariis ferè omnibus interfectis. His malis attritus ferè & intestinis insuper seditionibus conturbatus Turca pacem postulat ab Augustissimo Imperatore, sed ea, quæ pacis sunt, nondum meruit à victore audire, qui ruptâ pace bellum intulit.

Dum Leopoldus in Hungaria victorias glorioso ferro metit, Turcis iteratò cæsis & attritis, Ludovicus XIV. Rex Galliarum in Badensem & Wittenbergensem ditionem & Palatinatum, ac superioris Rheni tractum exercitum emittit, & quà vi, quà arte multas civitates deditione accipit, Offenburgum, Neostadium, Spiram, Wormatiam, Treviros, Heidelbergam, Heilbronnam, aliaq; plura loca capta militibus Gallis adimplet: Moguntiam sine obsidione & sine sanguinis effusione ingressus, die 17 Octob. præsidiario milite firmat.

Philipsburgum acri omnis generis offensione, & protractâ obsidione à 6. Kal: Octobris usque ad Kalendas Novembris Delphinus deditione accepit. Manhemium, posteà die 11. Novembris. Franckentha-

ckenthalium, die 17. Novembris idem Delphinus vix ut vidit, & hostili explosione tormentorum ac bombarum uno alteroque die hostiliter salutavit, vicit & possedit; atque sic veluti torrente rapido armorum Gallicorum illapsu magnus Rhenanæ regionis tractus improvisò obrutus se se in Regis Ludovici potestate esse circumspexit & admiratus est.

Denuò etiam hoc anno sæviit Ludovicus in Algerienses, priusquàm ferrum & ignem immitteret in Germaniam, civitatem horum piratarum, cùm, nihili habitis conditionibus toties pactæ pacis, in novas quotidiè offensiones Regis erumperent, globis ignivomis grandioribus, quos classis Regia mille ducentos numero per aliquot dies vibrare non destitit, acerbo & ardente supplicio mulctavit; Barbari autem sic castigati viciſſim horribili lanienâ in Gallos sævierunt, quos vel captivos, vel hospites habebant, quorum aliquos vivos excoriârunt, alios tormentorum accensorum ori exposuerunt, alios alio invento crudelitatis excarnificârunt.

Dum Poloni hoc anno in hybernis diutiùs & segniùs torpent, Tartari sub Duce Nuradno irrumpentes, rapinis & incendiis omnia funestant, & decem millia Christianorum in servitutem rapiunt. In

In Anglia 13. Kalend. Julii nascitur Jacobo Regi ex uxore Maria, Eleonora Estensi (quam tredecim annis sterilem habuit) filius primogenitus, quem Caroli nomine, & Walliæ Principis titulo insignitum voluit: fuit hic partus feliciſſimus, invidiæ & maledicentiæ heterodoxorum ampliſſima calumniandi & mentiendi materies. *Et in ore omnium malevolorum inventum est mendacium, & mentita est iniquitas sibi.*

Tertio Nonas Junii obiit Maximilianus Henricus Elector, & Archi-Epiſcopus Colonienſis, & ſuâ morte liteu inter Pontificem & Ludovicum novis diſſidiis auxit, contravertentibus, pro electione in Archi-Epiſcopum Wilhelmo Fürſtenbergio Comite & Cardinali, ac Clemente Bavariæ Duce, quæ cauſa deputatis octonis Cardinalibus juſſu Pontificis, ſemel iterumque cognita, & pro Bavariæ Duce deciſa eſt, ægrè admodùm id ferente Fürſtenbergio, Ludovico Regi, & Gallicæ coronæ devotiſſimo Germano.

Ex ultimis partibus Indiæ à Siamenſi Rege potentiſſimo ad Innocentium Pontificem X. Kalend. Januarii Oratores veniunt, & ſummo honore excipiuntur. Eò quòd Rex ille Catholicis in ſuo regno valde faveret, ſed præciſa ſpes eſt anno

ſequen-

sequente mortuo Rege, & Catholicis à successore oppressis.

In Sinarum quoque Regno Catholica fides magna capit incrementa VIII. Id. Januarii Pechini in Sinensi Imperio obiit Ferdinandus Verbiest, Societatis JESU, Regiorum Mathematicorum antesignanus & Princeps, cui ut præcipuo Imperii Dynastæ solemnes exequias celebrari jussit Imperator Comitantibus funus Aulicis & descripto regia manu defuncti elogio, quod præconis voce lectum, feretro postea grandi pompâ appensum est. Sic Virtus & Scientiæ præsertim Mathematicæ quarum Sinenses cupidissimæ sunt, claves sunt ad aperienda Barbarorum regna & Principum Ethnicorum corda reseranda, & fidem Christianam introducendam.

Princeps Auriacus Wilhelmus IV. Idus Novemb. classem Angliam versus solvit, tutandæ, ut ipse asserebat, religionis & Anglicæ libertatis causâ, quas à Rege Jacobo opprimi querebatur, Rex autem Jacobus ob rebellionem & proditionem suorum subditorum cum Regina & filio Walliæ Principe in Gallias per periculosa terrâ mariqúe itinera fugam capescit. Et Princeps Auriacus Guilhelmus, ejusque

conjux Maria Jacobi II. Regis Angliæ filia in Angliæ Reges proclamantur.

✲(1689.)✲ Rex Jacobus nonis Januarii appulsus in Gallia à Ludovico Rege omni humanitate excipitur, qui regium S. Germani prope Parisios Palatium cum regio Prætorianorum & officialium apparatu inhabitat omnibus ærarii Regis expensis quamdiu in Gallia fuerit usurus.

Legatus Turcicus nomine novi Turcarum Imperatoris pacem sollicitat: sed audito bello, quod Rex Ludovicus grandi victoriarum præludio adversùs Cæsarem inchoavit, à propositis conditionibus paulatim resilientes valdè frigidè de pace tractant, & causas præbent spem pacis penitus præscindendi.

Sigethum die 12. Februarii fame ad deditionem coactum Cæsari se submittit.

Die 22. Februarii Heidelberga Imperialis civitas à Gallis accenditur, suppositis ignibus per totam urbem, à civibus tamen incendium sopitur & major pars urbis servatur, post urbem accensam Gallicis copiis emigrantibus.

Die 26. nascitur Serenissima Archi-Dux Austriæ, Maria, Magdalena, Josepha, Antonia, Gabriela; Econtra die 14. Aprilis moritur Maria, Anna, Josepha Augustissimi

stissimi Cæsaris Soror & Serenissimi Joannis Guillielmi Comitis Palatino Neoburgici consors.

Die 22. Maji nascitur ex Serenissima Archi-Duce Austriæ Maria Antonia Augustissimi Cæsaris Leopoldi filia Bavariæ Electoris conjuge primogenitus, ingenti utriusque domûs solatio.

Comes Joannes Draskovizius insignem victoriam de Turcis reportat cæsis in acie quingentis, bis mille in Unna fluvio suffocatis, & captis trecentis cum ipso ductore & 70. officialibus, equis 400. & undecim vexillis obtentis.

Die 28. Julii Cæsar cum Serenissimo Archi-Duce Josepho Viennâ Augustam abit ad coronationem Regis Romanorum.

Neoburgi ad Danubium die 28. Augusti in Ecclesia PP. Societatis JEsu peraguntur copulationis ceremoniæ novæ Hispaniarum Reginæ præsentibus Augustissimis Cæsareis Majestatibus.

Die 29. Augusti cæduntur Turcæ à Marchione Ludovico Badensi ad Moravam & castris exuuntur, & Nicea nullo impediente occupatur, multis millibus per internecinam hostium cladem deletis, ad complementum autem hujus victoriæ die

30.

30. Augusti, denuo cæsi Turcæ à Marchione Badensi amiserunt octo millia suorum cum centum & novemdecim tormentis bellicis, 3. mortariis & omnibus impedimentis & castris.

Die 11. Septembris Moguntia à Duce Lotharingiæ obsessa post acerimam trium mensium oppugnationem, tandem à Gallis deditur: exierunt ex urbe secundùm deditionis pacta, Gallorum sex millia, totidem inter obsidionis labores per strenuam urbis defensionem amissis.

Die 24. Septembris cæduntur Turcæ ad Nissam à Ludovico Badensi & Croyo, decem Turcarum millibus occisis & triginta tormentis majoribus obtentis, eodemque die occupata est Nissa.

Die 10. Octobris Bonna expugnatur à Lotharingiæ Duce, postquam illam Brandenburgici jam pridem ignivomis globis malè infestassent & defædâssent. Retenti sunt post deditionem à Cæsareis Ducibus ii, qui Principis ærarium tractaverant, & ab iis omnium Electoratûs redituum ratio à belli Principio postulata.

Die 14. Octob. Cæduntur Turcæ ad Vidinum amissis suorum bis mille, & die 19. Octob. Vidino Cæsareis dedito excedunt numero 6555. & relinquunt intus 26. tormenta majora.

Die

Die 6. Novemb. Briseranum Albaniæ Metropolis Cæsareo belliductore Piccolomineo se submittit obviam missis quinque bellatorum millibus, & die 8. Novemb. Arnautæ (sunt populi Albaniæ) per Episcopum Briseracensem Piccolominio fidelitatem jurant.

10. Octobris Cæsarei occupant civitatem Stippo cæsis bis mille Turcis & centum curribus onustis, & aliquot majoris & minoris pecoris millibus in prædam obtentis cum vexillis & tympanis.

Jacobus Rex Angliæ ex Gallia in Hyberniam descendit animo recuperandi regnum suum & Londondericam civitatem obsidet, sed illatis suppetiis spe suâ frustratus obsidionem solvit & traductis aliis insuper urbibus in partes rebellium novisq; auxiliis ex Anglia sub Schombergio Duce advenientibus contra Catholicos, Rex Jacobus cum suo exercitu ad tutiora se loca recipere compulsus est.

Interea Auriacus Wilhelmus & uxor ejus Maria filia Jacobi solenni apparatu Britanicâ coronâ insigniuntur.

Innocentius XI. summus Pontifex summo Orbis Christiani luctu pridie Idus Augusti Romæ obit ætatis anno 78. optimorum Catholicæ Ecclesiæ Pontificum nulli se-

secundus, ceu morum pietate & innocentiâ, ceu constanti & invicto Ecclesiasticæ disciplinæ zelo. Cujus liberalitati pietati & meritis magna pars victoriarum attribuitur quibus suo tempore Christiani Principes Barbaros domuerunt.

In ejus locum suffectus est Petrus Otto bonus Cardinalis assumpto nomine Alexandri VIII.

Cum hoc anno Cæsarei ad Gallis resistendum & Moguntiam aliaque loca recuperanda se accingerent, Ludovicus XIV. Rex suos maximam occupatarum urbium partem ad Rheni tractum deferere jubet, qui accenso longo regionis Rhenanæ tractu ab Argentorato ultra Moguntiam fæda miserrimæ vastationis & exustionis monumenta ubique reliquerunt, Spirâ, Franckenthalio, Wormatiâ, Oppenhemio, Offenburgo, Manhemio, Heidelberga & multis aliis urbibus aut oppidis, quæ muris claudebantur (post muros dirutos, munimenta eversa, & munitiones abductas) horrendo busto, nullo vel sacrorum vel profanorum discrimine, incineratis.

Romæ hoc anno vitam clausit Christina Alexandra Regina Sveciæ annorum 63. quæ rarissimo exemplo, ut securè Catholicam fidem profiteri posset, regno abdicato

cato Romæ inter religioſiſſimæ pietatis exercitia conſenuit, in hujus pietatis, ac generoſæ abdicationis commendationem voluit eam Innocentius in D. Petri Vaticano ſepeliri, ſepulturâ nulli adhuc præterquam Pontificibus, & duabus tantùm Virginibus, iiſque Reginis, Mathildi & Chriſtinæ Sveciæ conceſſâ.

✲(1690.)✲ Tertiâ Januarii infeliciter pro Chriſtianis pugnatum eſt in Serviâ prope Katzanecum, ubi Ducibus Straſſero, & Carolo Hanoverano poſt ſex horarum atrox prælium adversùs triginta millia Turcarum à permodicâ militiâ Chriſtiana fortiter exantlatum, hoſti quidem victoria, ſed cum victima ſuorum quinque millium acceſſit.

Auguſtæ Vindelicorum coronatur Auguſtiſſima Imperatrix Eleonora, Magdalena, Thereſia, die decimâ nonâ Januarii: Die autem vigeſimâ quartâ ejuſdem ibidem eligitur in Regem Romanorum Joſephus I. Archi-Dux Auſtriæ, & 26. coronatur Rex Romanorum ab Electore Moguntino, & toto Electorali Collegio præſente. Die 4. Martii inter magnificos arcus triumphales à coronatione redux Neo-Auguſtus Rex Romanorum Viennam ingreditur.

Die

Die 20. Martii Bosniæ Metropolis Bangyaluka noctu à Cæsareis obruitur, oriturque miserrima cædes integro duarum horarum spatio: victores redeunt optimis spoliis ditati, & eum quatuor millibus Christianorum Turcarum jugo ereptis.

Die 10. Aprilis Canisa Turcarum fortissimum præsidium deditione à Cæsareis accipitur, ferè annuâ obsidione ad extremam usque famem adactis incolis. Hominum quinque millia abire sunt permissa; quorum innatam adversùs Christianos malevolentiam cieurandi, spes nulla manebat, non sine damno regionis, quia excedentibus iis, qui ad arva colenda erant apti, soli milites, qui ad arma, non ad aratra tractanda erant idonei superfuerunt. Reperta sunt intùs 249. majora tormenta, 35. mortaria, & plurima supellex bellica.

Die 19. Aprilis moritur Welzii Austriæ incomparabilis Heros Carolus V. Dux Lotharingiæ, Turcarum terror, Cæsaris affinis, anno ætatis suæ quinquagesimo; concussus certè ad tanti viri casum Fortunæ Austriacæ globus intremuit, ipsâ tantùm non emotâ fortunâ.

Mortuo Michaële Abaffi, Transylvaniæ Principe, & hoste infensissimo Cæsaris ad mortem usque, Emmericus Töckelius fretus

tus Turcarum & rebellium copiis, omnibus viribus pro indipiscendo Principatu laborat, sed volente Augustissimo Imperatore, filius Abaffi annorum tredecim successor inauguratur.

Die 13, Maji fulmen illabitur Laxemburgi in Cæsareum cœnaculum, terrore prostratis aliis, solo Cæsare imperterrito.

Victori Amedæo Duci Sabaudiæ ab Imperatore titulus Regiæ Celsitudinis confertur, & cum eo fœdus initur contra Gallos.

Die 22. Julii nascitur Serenissima Archi-Dux Maria, Margaretha, Magdalena, Gabriela, Josepha, Antonia.

Turcæ prævalentes resumptis viribus Nissam obsidione cingunt & deditione accipiunt, die 9. Septembris.

Cæditur & Capitur Cæsareus Generalis Heuslerus à Töckelio in Transylvania, Siculis à Cæsarea militia primùm fugâ dilapsis.

Cum Ludovicus Marchio Badensis cum exercitu in Transylvaniam abiit opem laturus contra Töckelium, Turcæ Belgradum die 1. Octobris obsident & octavo ejusdem occupant armatâ manu, dum nux ignivoma decidens in turrim pulvere nitrato plenam, impressoque impetu & ruina mili-

milites terrens eos à defensionis cura avocabat, hinc vix navi furtivâ egressione aliquot salvati sunt, primarii scilicet Duces & milites trecenti, qui celeri fugâ Danubium aversum navigantes à communi laniena se se subtraxerunt. Turcæ posthæc suppetias tulerunt Varadino majori, jam à nostris aliquamdiu septo, & Esseckum quoque obsederunt, jamque militibus præsidiariis 1500. perterrefactis actum fuisset, nisi Croyus stratagemate feliciter usus esset, rumore nimirum sparso de adventante exercitu Cæsareo, noctu turbas & tympana secus Dravum audiri fecit, quâ fraude exterriti Barbari, qui numero 16000. urbem obsidebant, re infectâ, se se meticulosè subduxerunt.

Hoc anno Neo-Pontifex Venetam Rempublicam magnâ liberalitate & benevolentiâ contra Turcas adjuvat, qui etiam Epidauro subactâ, usque ad Adriaticum, classem suam reduxerunt, & exscensione magno robore contra obnitentes Barbaros factâ, Alonem (sive Vallonam) obsederunt. Unde etiam Franciscus Mauroce-nus factus ex summo armorum Præfecto Reipublicæ Princeps, Pileum Ducalem & ensem à summo Pontifice benedictum, glorioſam laborum suorum mercedem retulit

Horribilis hoc anno sæviit in Februario tempestas maris ad littora Angliæ, incredibili omnium navium damno, non tantùm quæ in mare tunc excurrebant, sed etiam quæ in portubus morabantur, præter illos, quæ pessum iêre in patente mari: in porto Pleimutensi tantùm novem, & triginta onerariæ collisæ & confractæ interierunt.

VII. Kalend: Aprilis emenso longo terrâ, mariqúe, itinere, portum Brigantinum in Gallecia appulit Maria Electoris Palatini filia destinata Carolo Hispaniarum Regi uxor, eò classe à Zelandiæ littoribus delata centum ferè navium, quas Batavi & partim Angli contulerant. Ei Vallisoletum usqúe sponsus Carolus occurrit, atqúe eâ, quâ decuit, pompâ Madritum deduxit.

X. Kalend: Maji Versaliæ decessit è vivis Maria, Anna Christina, Victoria, Bavara, Ludovici Galliarum Delphini uxor, relictis tribus egregiæ indolis filiis, fœmina Princeps non tantùm ob proles, sed etiam ob præclaras multiplices dotes marito & socero Regi acceptissima.

Galli pridie Nonas Julii sub Ductore Luxenburgico cum Hispanis & Batavis confœderatis confligunt prope Floriacum & utrosqúe insigni clade prosternunt, præser-

præsertim Batavos, quorum octo millia occubuêre: & Waldeckius Princeps Dux confœderatorum castris amissis Bruxellas se recipere coactus est, suorum quoque non mediocri strage profligatus. Similiter navali pugnâ Galli de Anglis simul & Batavis victores extitêre.

IV. Non: Septembris Viennæ obiit Wilhelmus Neoburgensis Elector Palatinus, ætatis anno 75. Princeps prudentiâ & fortunæ famâ celeberrimus, & numerosâ prole felicissimus, quas omnes utriusque sexûs altissimis conjugiis & dignitatibus adhuc superstes in vita stabilivit.

DECAS X.

(*Ab anno Christi 1690. ad 1700.*)

1691. Die 3. Januarii Alexander VIII. eâ quâ solet solennitate, scilicet in habitu Pontificio, & ore proprio, & coram Cardinalibus Bullam publicavit, quâ assertas à Clero Gallicano in Comitiis anno 1682. quatuor propositiones de auctoritate ceu Pontificis, ceu Ecclesiæ Universæ & acta circa *Regaliæ* extensionem rescidit

dit, ac nullius valoris aut roboris fuisse, declaravit, & hoc pridie mortis suæ fecit, ut sic animam suam deobligaret, & tutorem Ecclesiasticorum jurium incorruptum se sisteret DEO Judici, cui animam pie reddidit 1. Februarii, anno ætatis 81. Sedem Divi Petri relinquens Ignatio Pignatelli Neapolitano, ac illius civitatis Archi-Episcopo, qui nomen Innocentii XII. assumpsit, & mox pauperum necessitatibus subvenire, quâ potuit, curâ laboravit, ac confœderatos Principes contra Turcas pecuniâ liberaliter adjuvit.

Rex Ludovicus XIV. Montes Hannoniæ insignem civitatem obsidet, stipatus exercitu 66. millium armatorum Idibus Martii, & ad deditionem adigit post strenuam tum oppugnationem, tum defensionem. VI. Idus Aprilis, præsente exercitu fœderatorum, qui ægrè nimis ex hybernis ad auxilium ferendum adventabant.

Gallis quoque dedidit se tunc Nicea in finibus Liguriæ obsessa, & incredibili Gallorum obsidentium ardore pressa, ad deditionem adacta turris unius dejectione, in quam globus ignivomus illapsus, centum cados pulveris nitrati dissipavit. Sic arx subacta est, quæ olim integras Tur-

Turcarum vires sub Solimanno fregerat.

Jacobus Regis Poloniæ Joannis Casimiri filius connubio jungitur Elisabethæ Neoburgensi, & sponsam suam solenni apparatu per regium Oratorem deductam in finibus Poloniæ excipit, atque Varsaviam cum ea ingreditur ingenti comitatu & plebis acclamatione.

VI. Kalend. Junii Oeniponti pari plausu suæ quoque neo-sponsæ occurrit Joannes Wilhelmus, Elector Palatinus, Annæ, Victoriæ, Mediceæ Etruriæ Principi secundis votis sibi desponsatæ, quam Joannes Gasto ejusdem sponsæ Principis frater Florentiâ Tridentinum usq; cum aulicorum comitatu deduxerat.

Galli pridie Nonas Junii ignivomarum glandium tempestate per integrum triduum detonant in Leodiensem urbem, & pænè totam consumunt, sed re infectâ, & tantùm damno illato urbi, sine suo lucro recesserunt. Eodem æstu & accendendi ac incinerandi libidine in Catalaunia sæviunt in Urgellam Barcinonem & Alonem. Propter has clades Hispani in Catalonia adversùs Gallos insurrexerunt, qui hactenùs inter eos hospitii jure inquilini degebant,

Jacobus Rex Angliæ, expulsis iterum

Gallorum ſuppetiis, tentat Martis aleam in Hybernia, ſed caſu æquè ſiniſtro, ut antè ſæpiùs, Angli enim Auriaco mere-tes, brevi obſidione reliquas quoq; urbes, quæ Jacobo adhuc fidem præſtabant, ſub-egerunt, & exercitum Hybernorum atq; Gallorum fuderunt.

Die 22. Aprilis moritur Maria Marga-retha Archidux Auſtriæ. Sic Mors cupreſſos, & Mars lauros plantando alternat in Auguſtiſſima Domo.

Die 14. Auguſti Sereniſſimus Marchio Badenſis Ludovicus poſt varias caſtrame-tationes, quibus in hoſtium conſpectum captis aliquibus levioris momenti locis, pervenit, pugnam conſerendi occaſionem nactus eſt prope Salankameni ad Danu-bium, ubi hoſtis in Chriſtianos irruens ab iis egregiè retuſus & cæſus eſt, deſidera-to integro robore ſui exercitûs, Vezirio & præcipuis copiarum Ducibus, & vigin-ti quinque millibus Turcarum deletis in acie, totidem ferè in fuga redacti ſunt in Cæſareorum poteſtatem, 159. tormenta, præcipuum Vezirii vexillum, omnia ca-ſtra, & innumera armorum, commeatu-um, jumentorum multitudo cum omni pecunia publica ſolvendis ſtipendiis mili-taribus deſtinata, boum pluſquam de-

cem

cem millia noſtris ceſſerunt, præter camelos & pecora minora. Ex noſtris autem deſiderati ſunt in peditatu tantùm 1758. in equitatu 829. non pauci tamen ex officialibus majoribus, quos inter Chriſtianus Dux Holſatiæ, Comes Kaunitzius, Comes Colonicius, Comes Buquoi, Comes Potingius, Comes Starenbergius, Comes Adamus Zrinius, ultimus antiquiſſimæ familiæ, & de Hungaria, totâque Chriſtianitate meritiſſimus. Videri poteſt hæc prodigioſa victoria, ut rectè dixeris, de Auguſtiſſimo Leopoldo, ſi arma deeſſent Leopoldo Imperatori, non tamen pietati ejus deeſſent prodigia.

In præcipuis Belgii Hiſpanici urbibus centum & ampliùs in carceres detruſi ſunt pridie Idus Julii, qui conjurato facinore incendia in civitates moliti ſunt, ut, civibus reſtinguendis flammis occupatis, hoſtibus aditus in urbes præberetur, ingenti ſæculi hujus probro, quod præ omnibus præteritis ſæculis proditionum frequentiâ infame eſt, & pudorem omnem exuiſſe videtur.

Adrianopoli apoplexia in Julio mortuus elatus eſt Solimannus Turcarum Tyrannus ætatis 50. annorum, in cujus locum Achmetes frater ejus ſuffectus eſt, qui ut

præsentis belli apparatum præsentiâ sui promoveat mox Adrianopolim se deferri & Bisantii interim variis suppliciis in seditiosos à Vezirio desævire curavit.

Cæsarei Sabaudo fœderati sub Serenissimo Bavariæ Electore, die 8. Octobris ad deditionem cogunt Carmagniolam, Præsidiariis Gallis (quorum tria millia validi adhuc roboris & mille vel læsi vel aliter infirmi & debiles numerabantur) exire permissis. Quos tamen Germani insecuti omnibus impedimentis in via expoliârunt: propterea autem querulanti Marchioni de Pleffis qui fortalitii Regius Commendans & moderator erat, quod contra deditionis pacta Germani egissent, reposuit Serenissimus Elector, eadem mensura qua Galli anno superiore dum Carmagniolam occuparent, usi fuissent erga exeuntes, quos contra deditionis pacta expilârunt, nunc vicissim usos esse Germanos, & Gallis excedentibus par pari retulisse.

Dum Poloni Principis sui Jacobi Nuptiis celebrandis abstrahuntur à bellicis curis cum Tartaris suis, Nuradinus irruens longè lateque provincias davastat, & multa millia captivorum abducit priusquam ultricia arma pararentur.

3. Non: Decembris renunciatus est à

Rege

Rege Catholico Hiſpaniæ Carolo perpetuus Gubernator Maximilianus Emmanuel Bavariæ Elector, cum ea omni in rebus gerendis auctoritate, quâ dominus abſolutus poteſt, & quidem cum hæreditariæ ſucceſſionis ſuorum prærogativâ.

✲(1692.)✲ Galli obſident Rhinofelſam, Landgravii Haſſo-Caſſelani munimentum & nono Februarii à Landgravio Cæſari fœderato obſidionem ſolvere compelluntur.

Emmerici Töckelii conjunx hactenus Viennæ ſub cuſtodia detenta, commutatione militari pro ſtrenuiſſimo Belliduce Duce Donato Heuslero à Töckelio intercepto in libertatem 23. Januarii aſſeritur. Et primo die Maji reaſſumit obſidionem Varadinenſem, poſitiſque circa urbem caſtris acriter urget, ac quinto Junii ad deditionem compellit, Turcis abire permiſſis.

Turcæ porro clade tam grandi anno elapſo acceptâ Sultanum ad pacem ineundam valde urgent & ſollicitant, qui eandem etiam populo inſtantiſſimè petenti compromittit, nihilominus, retardante pacem Oratore Gallico iterum convolatum eſt ad arma: & quidem Cæſarea potentia hoc anno aucta fuit militiâ Lüne-

burgicâ Sereniſſimi Ducis Hanoveriæ
Convenerunt ergo uterque exercitus pe
Varadinum majus ab Heuslero jam occu
patum, & Cæſarei quidem ſub Campidu
ctore Duce de Croy (Sereniſſimus enim
MarchioBadenſis Ludovicus exercitui im
periali contra Gallos in locum Sereniſſimi
Ducis Bavariæ, qui Belgii gubernator fa
ctus eſt, cum poteſtate præpoſitus erat)
Ottomannicus autem exercitus ſub novo
Vezirio. Sed quia Turcæ cauti exem
plo ſuorum anteceſſorum, ſive aliorum
Chriſtianorum conſilio, uſq; ad finem au
tumni circa Belgradum in caſtris ſeſe con
tinentes, & pugnam, cui Cæſarei inhiant,
ſubterfugiunt, tandem uterque exercitus
ſine memorabili eventu in hyberna redu
ctus eſt: à noſtris Brodâ & Gratiſcâ aliiſ
que nonnullis locis obtentis. Sereniſſi
mus autem Dux Hanoveranus ob inſigne
auxilium contra Chriſtianitatis commu
nem hoſtem præſtitum ab Auguſtiſſimo
Imperatore in numerum Electorum coop
tatus eſt, variis licèt Imperii Principibus
tunc contradicentibus.

Ad Rheni tractum Mars alternante for
tunâ inter Gallos & Germanos incolas af
flixit & ſæviit reciprocis direptionibus
velitationibus & cædibus.

In

In Belgio 1. die Maji Rex Ludovicus obsidione cingit Namurcum exercitu suo, qui numerâsse fertur centum millia armatorum, corpore (ut vocant) diviso, ita ut 20. millia Ducis Bufflerii & 60000. Ducis Luxenburgici gubernio committeret ad auxilia undequaq; avertenda & impedienda, ipse autem Ludovicus cum 20. millibus, Namurcenses arctare cœpit & omni genere acerbissimæ & ardentissimæ oppugnationis eo adegit, ut quinto Junii civitas, & decimo octavo ejusdem castrum ad deditionem coëgerit, milite præsidiario, more militari, mille & sexcentis armatis tanquam strenuis & legitimè certantibus propugnatoribus liberè exire permissis cum 6. tormentis bellicis & duobus mortariis. Posthæc Hispanis, Anglis, Batavis, Brandenburgicis aliisque confœderatis sub Wilhelmo Auriaco ac Rege Angliæ, in exercitum robustissimum coëuntibus, die 3. Augusti acre prælium sub campiductore Bufflerio Gallos inter & confœderatos Hallam inter & Lembecam committitur, in quo cæsis ex parte confœderatorum ter mille, septem millibus autem ex parte Gallorum, magno etiam utrinque majorum & minorum officialium numero cadente, confœderatis tandem in-

gruente nocte, & Bufflerio aliunde suppetiis & munitionibus novis corroborato, absque tamen ulteriore damno, & potius in æquilibrio pendente victoriâ, cedendum fuit, & quidquid demùm in hac pugna campestri victoriæ Gallis accesserat, jam pridem in pugna navali à classe Anglo Batavâ multipliciter & anticipato compensatum fuit, quando die 19. Maji classis Anglica & Batava, longâ posterorum memoriâ dignissimam victoriâ reportavit, quinquaginta sex majoribus navigiis Gallorum cum sex millibus armatorum & duobus millibus nautarum ac remigum vel igne combustis, vel aquâ submersis, aut tormentis aut ferro enectis, aut captis cum ex confœderatis Anglo-Batavis non fuerint ultra octingentos viros desiderati.

Filia Augustissimi Cæsaris Leopoldi Maria Antonia Electoris Bavariæ conjunx parit Principem masculum Josephum Ferdinandum, Leopoldum, Antonium, Franciscum Cajetanum, ejus tamen ortum brevi subsecutus est matris occasus, nimirum die 24. Decembris, quo Serenissimi hujus Principis splendorem funesta mors magno luctu obfuscavit.

✠(1693.)✠ Initio hujus anni die undecimo Januarii ingens calamitas Siciliæ reg.

regnum obruit, quando terra tribus horis ante occasum solis ita concussa est, ut spatio medii quadrantis horæ undecim populosæ & venustæ urbes, quadraginta arces, & muris circumdata oppida supra centum, cum plusquam centum hominum millibus intra corruentium murorum rudera sepultis conciderint, & pars magna voraginibus & hiatibus terræ penitus intumulata fuerit, urbes vel ex parte dirutæ, vel fulminibus erumpentibus ex tumultuante quoque aëris elemento tactæ & incineratæ, miseriæ & vastationis deforme & horribile theatrum exhibuerunt.

Triduo ante Insula Malta hujus diræ vastationis præludia experta est, damno quod ex terræ concussione huic insulæ tunc emersit, æstimato supra ducenta millia aureorum, sed damno cum Siciliæ ruinis non comparabili.

Magnum incrementum capit Christiana religio in ampliſſimo & extremo mundi Imperio Sinensi, postquam superiore anno Potentissimus Sinarum Imperator publicè promulgato decreto propagandæ Christianæ religionis libertatem Patribus Societatis JEsu post difficillimos & multiplices multorum annorum conatus, anno tandem nonagesimo secundo hujus sæculi

perſpectâ virtute & ſcientiâ illorum miſſionariorum commotus clementiſſimè indulſit.

Sententiæ porrò quæ poſt actam & judicatam Chriſtianorum cauſam in Imperii ſupremo tribunali rituum (ut vocant) lata eſt, & cui decretum ſuum Imperator ſubſcripſit, ita ſe habet & in hunc ſenſum cum decreto promulgata eſt.

SUpremus Tribunalis rituum Præſes Carpatax, & cæteri mecum Judices, obedituri Majeſtatis Tuæ mandato, ſuper negotio propoſito ſententiam noſtram proferimus: Nos omnes rem ſedulò diſcutientes & examinantes, invenimus, quòd illi viri Europæi invitati famâ virtutum Majeſtatis Tuæ plura dena ſtadiorum millia, ac immenſum propè mare emenſi ſunt, ut huc pervenirent; hi mathematicæ præfecturam nunc obeunt, & aſtronomiam dirigunt; tempore bel-

bellorum ad conficiendas machinas gnaviter incubuerunt : missi ad Moscos egregiam operam, sinceramq; navârunt, efficientes ut negotium de pace feliciter concluderetur: Sanè illorum merita plurima & admodùm magna sunt, ipsi etiam Europæi Patres, & alii eorum socii, qui in singulis habitant provinciis, nihil omnino mali operantur, nullas excitant perturbationes. Tartarorum Sacerdotes,& Bontii Sinenses sua habent fora, & permittitur omnibus, ut illa adeant, & ibi venerationem exhibeant,thura cremantes. Econtra verò religio Europæorum (quibus nihil mali imputari potest) prohibita est in hoc Imperio : quod quidem videtur à ratione alienum. Par igitur est, ut in omnibus pro-

provinciis eorum templa, ſicut antè factum eſt, conſerventur, & omnibus ſecundùm antiquam conſuetudinem permittatur, Chriſtianam religionem profiteri, & templa adire, prohibitione omninò ſublatâ. Hanc noſtram ſententiam ſubjicimus Majeſtatis Tuæ arbitrio, ac judicamus (ſi ita annuat) promulgandam eſſe. Kamhii anno 31. Lunæ 2. die 3.

Huic Sententiæ (ſicut moris eſt apud Sinas decreta Imperatoris expediri) ipſe Imperator ſubſcripſit, quorum ſenſus eſt *Aſſentior Conſulto* ſubſcripſerunt etiam ſua nomina qui conſultationi interfuerunt, & ſequenti die quæ erat ſecundum noſtrum Europæum Calendariũ 22. Martii Imperator ſententiam ita exaratam & ſubſcriptam tranſmiſit ad ſupremum Colaorum Concilium in toto Imperio promulgandam, quod etiam factum Pekini die 5. Lunæ 2. ſecundum computum temporis apud Sinenſes uſitatum anno Imperatoris Kamhii

31.

31. anno ætatis ejusdem 39. à morte S. Xaverii ad portas Sinarum 140. à fundatione missionis Sinensis per Patres Societatis JESU 209. ab ejusdem missionis restauratione, post persecutionem scilicet Yamquamsieni 24.

Incredibile est quantus post factam promulgationem hujus decreti fructus animarum in horrea Christi invehatur, Mandarinis & Principibus ad Lavacrum Christi accurrentibus, & exemplo suo populũ ad baptismum & fidem Christianam suscipiendam in vestigia sua trahentibus, incomparabili Ecclesiæ Christianæ incremento in vastissimo mundi Imperio, quod non solùm magnitudine Europam quæ exculta est, provocat, & populorum ac incolarum numero etiam superat, sed etiam multa alia habet quibus certet cum Europæis, & in aliis vincat, quamquam in aliis etiam vincatur : & tametsi Imperator ipse certis rationibus retentus Christianum se nondum profiteatur, Christianam tamen religionem nec satis extollere, nec lætitiam suam in conversione populorum suorum ad Christum satis explicare potest, qui plures ex Societate JEsu secum retinet in aula & ex iis Mandarinorum quæ præcipua est dignitas in Imperio, honoribus

ribus & officiis exornat, quorum tum virtute tum Mathematicis scientiis mirificè delectatur, & missionarios ex Europæo Orbe advenientes benignissimè excipit, per Imperium suum ad propagandam fidem excurrendi atque habitandi ubivis locorum amplissimâ facultate impertitâ

Cæsariani hoc anno eripiunt Turcis Jeno & Vilagos, Var, Tartari autem in Valachia hybernantes, Transylvaniam invadunt, multaque animarum millia in servitutem trahunt, seriùs cum copiis Veterannio Generali succurrente, exercitu Cæsareo prope Varadinum ad hostium intentiones excubante, Turcæ declinantes pugnam ad Transylvaniam occupandam properant: nostri verò ad hostem ex itinere revocandum, quarto Augusti Belgradum obsident, & sic Vezirium, ut obsessis succurreret, retrahunt. Noster tamen exercitus ante Turcarum adventum cum omnibus impedimentis salvus & incolumis supra Savum transit, & ad pristina castra se recipit, atque ita sine notabili operatione tum nostrâ, tum hostium, in Hungaria hic annus elapsus est, nisi quòd minores velitationes & direptiones utrimque factæ. Memorabilior est

ope-

operatio illa, quâ Cæsareus Commendans Erodensis *Kiba* nomine die 3. Julii cum 500. militibus Cæsareis sex millia Turcarum Sclavoniæ præsidium Babinogradum obsidentium invasit, obsidionem solvit, & mille ac quingentos cum decem vexillis cepit, viginti tantùm ex suis amissis.

20. die Septemb: Budianus regni Croatiæ bannus Turcicum munimentum Bruntzeri Maidanum assultu cepit & expilavit, quingentis Turcarum cæsis.

Die 15. Augusti pientissimus & invictissimus Imperator Leopoldus Viennæ in Basilica S. Stephani votum emittit de Ecclesiis parochialibus per Hungariam resuscitandis & reparandis: gratias simul agens, Deo Domino exercituum pro tot victoriis & totum Hungariæ regnum Beatissimæ Virgini offerens & dedicans & hac super re sequens votum plenâ pietate & zelo Apostolico, utpote Rex Apostolicus publicè emittit & promulgat.

VOTUM
AB
AUGUSTISSIMO CÆSARE
publicè in templo S. Stephani
Viennæ factum die 15 Augusti
Anno 1693.

Om-

OMnipotens, Sempiterne DEUS, per quem & Reges regnant, & in cujus manu sunt omnium potestates, & jura regnorum: Ego Leopoldus, humilis servus tuus, coram Divinâ Majestate Tuâ prostratus, immortales Tibi gratias ago, quòd in virtute & magnitudine brachii Tui Turcarum & Barbarorum exercitus, immanes Nominis Tui hostes ab Austriæ Metropoli, ejusque finibus abegeris, quod Inclytum Hungariæ regnum olim à S. STEPHANO Rege Antecessore meo admirabili Matri Tuæ donatum, posteà verò Turcarum tyrannide ejus cultui ferè totum ereptum mihi clementissime restitueris; gratias, inquam, reddo Tibi DEO immortali victoriarum omnium largitori, &

re-

restitutum mihi à potenti Tuâ dexterâ regnum sanctissimæ & admirabili Matri tuæ, cœli terræque Reginæ, magnæ Hungariæ Dominæ iterum dono, dico, dedico, totumque ejus protectioni consigno, humillimè orans, velit in illud tanquam iteratò suum, misericordiæ oculos convertere, & paganorum gentes, quæ in feritate sua confisæ, illud infestare non desinunt, potenti suâ virtute conterere, ac utrumque hoc bellum pace universali ac stabili & securâ ad maximam tuam gloriam terminare. Insuper voveo, ac pro me & successoribus meis Divinæ Majestati Tuæ promitto, me ad propagandam Nominis Tui gloriam & Matris Tuæ, Dominæ nostræ honorem Parochiales Ecclesias

per

per Hungariæ regnum, tum Barbarorum tyrannide, tum temporum calamitate destructas, iterum erecturum, & competente Parochi sustentatione dotaturum, ut omnes à Clementiâ Tuâ meo Imperio subjecti populi Te verum Deum debito cultu adorent, & sanctissimam Matrem Tuam, magnam Dominam nostram venerari addiscant. Spondeo præterea me ad perpetuam tanti beneficii memoriam sacellum S. Leopoldi in monte Cæsio, unde primò singulare Tuæ protectionis auxilium in propulsandis hostibus apparuit, restauraturum, ac in eodem aram Divæ Virgini sub titulo *Auxilii Christianorum* dedicaturum.

Suscipe igitur, Clementissime DEUS, servi Tui demissè Te ado-

adorantis vota, & me, Conjugem meam, liberos, domum meam, populos, exercitus meos, & regna omnia, ac provincias meas continuâ misericordiæ Tuæ protectione custodi, guberna, tuere ac defende, Amen.

Pari devotione Augustissimus die 29. Augusti Viennæ interfuit dedicationi cofossi Sanctissimæ Trinitatis pro aversa peste, quem ipse in gratiarum actionem & memoriam accepti à Deo beneficii collocavit, Cui hæc indita Epigraphe.

TIbi Sanctissimæ & Individuæ TRINITATI ego Leopoldus humilis servus Tuus gratias ago quas possum, maximas, pro aversâ anno M.DC.LXXIX. per summam benignitatem Tuam ab hac urbe & Austriæ provincia dirâ pestis lue, atque in perpetuam debitæ gratitudinis tesseram præsens monumentum demissè consecro. Susci-

Suscipe, Clementissime Deus, servi Tui demissè Te adorantis, vota, & me, conjugem, liberos, domumque meam, populos & exercitus meos, regna & provincias continuâ misericordiæ Tuæ protectione guberna, custodi, defende.

ITA VOVI anno DOMINI SALVATORIS nostri IESV CHRISTI.

Hoc anno in Imperio contra Gallos Marchio Badensis Ludovicus jam bellis & victoriis Hungaricis clarus, exercitui Imperiali Cæsareo præfuit. Cum per Principem Eugenium Sabaudum priùs nomine Cæsaris aureum vellus accepisset: prævenit tamen Gallorum inexpectata contra Heidelbergam Electoralem sedem irruptio, & quamvis copiæ auxiliares in urbem à Ludovico Marchione Badensi tum Helbronnæ Franconici & Svecici circuli militiam lustrante immissæ essent, nihilominus commendantis cui urbis & arcis tutandæ cura incumbebat, vel pusillanimitate vel incuriâ accidit, ut die 11. Maji inopinato assultu urbem occuparent, & cives militesque

que obruerent, valde ferociter erga incolas nullo discrimine grassantes, arcemq; ipsam (quò se Commendans acceleratâ fugâ cum aliquot cohortibus præsidiariorum receperat, urbe probrosè neglectâ) præcoce deditione acciperent, exire tamen permisso præsidio cum aliis Belli Officialibus, quos puduit rei tam malè & infeliciter ex Commendantis conturbato imperio gestæ. Luit posthæc ignominiosâ pœnâ Commendans hanc suam vel socordiam, vel incuriam, aut timorem, militaris judicii sententia gladio simul & honore exutus coram toto exercitu Cæsareo Imperiali, & suomet ferro, quod contra Gallos stringere fortiter debuisset, caput suum tertiâ vice percussus, inermis, lictoris currui impositus, & per medias legiones extra castra extractus, atque in perpetuum circulis Franconico, Svevico, Rhenensi Superiori & Austriæ proscriptus & exterminatus est, quem justitiæ militaris æquus rigor infami morti addixerat: eò usque autem amicorum preces, & præcipuorum quorundam patrocinantium auctoritas promeritam supplicii severitatem mitigaverat.

Heidelbergâ occupatâ à Gallis, & præsidiario milite firmatâ, æstas tota castrame-

tationibus ultrò citróque euntium & redeuntium exercituum, direptionibus, & minoribus velitationibus transacta est; Gallos Ludovico Franciæ Delphino, Germanos Ludovico Marchione Badensi supremo imperio bellum moderantibus, & Gallo & Aquilâ vigili oculo sese observantibus (victoriâ in æquilibrio tenente stateram, & neutri parti fine pugnâ inclinanti) animo enim volvebat uterq;, *Quòd victoria magno pretio empta, non victoria sit, sed calamitas.*

Eâdem celeritate ad nocendum, & ventis insuper secundis usa est classis Gallica, quæ secundo Martii ante Neapolim inopinato adventu visa, sed industriâ & celeri operâ Regii Locum-tenentis ac nobilium repressa, cessit quidem ad paucos dies, sed fiduciâ proditionis intestinæ rediit, donec intùs proditione detectâ, foris quoque spe suâ Galli decepti, & ad confusionem suam illusi vela vertentes disparuerunt. Proditionis auctores & complices fuêre duo Hispani, iique in sacris constituti, tres nobiles, & duo naucleri, qui cum classe Gallica jam duobus ante mensibus ita de scelere perpetrando convenerant, ut in die sacerrimo Parasceves, si in honorem Christi patientis præcipui militiæ Officia-

les,& tota urbs solenni processioni interessent,ipsi accensis navibus portum invadendi & occupandi occasionem darent. Ita quidem in die universalis luctûs, totâ Christianâ Ecclesiâ Salvatori suo piis votis compatiente, sibi gaudium & risum Galli mente conceperant, quem, fraude & proditione obstetricante, parituri fuissent.

Fortiùs & glorioſiùs pugnatum est aperto Marte in Belgio Gallos inter & confœderatos Hispanos, Anglos, Batavos, Brandenburgicos, die primâ Augusti prope Ober- & Unterwindam Gallicum exercitum Luxenburgico Duce, & confœderatos Wilhelmo Auriaco (Angliæ Rege) & Sereniſſimo Bavaro moderantibus, quæ utrimque tam ardens & victoriæ ac gloriæ cupiditate tam æstuans pugna fuit, ut parti utrique pugnantium ingens gloria, major tamen Gallis strages, quàm confœderatis acciderit: ex parte enim Gallorum viginti millia (quos inter sexaginta Generales & illustrioris familiæ Duces, mediorum autem officialium ad tria millia numerabantur) acie cecidisse, perhibentur: Confœderatorum tantùm ad septem usq; vel octo millia desideratis.

✠(1694.)✠ Augustissimus Cæsar Leopoldus, tanquam Rex Hungariæ Apostolicus

licus diploma edit in favorem Sacerdotum Græci ritûs ad eosdem in unione fidei Catholicæ retinendos, & promulgari jubet, vi cujus vult & mandat, ut iidem omnibus privilegiis Ecclesiasticis gaudeant, quæ toti Clero Hungariæ Latini ritûs jure & consuetudine conveniunt. Rem quoque Catholicam promovet in Transylvania, ubi à Principibus illius Provinciæ Acatholicis multa damna Ecclesiæ Orthodoxæ inflicta fuerunt, quæ benigno remedio & curâ indigebant.

Leodii grave dissidium ortum est inter competitores Episcopatûs Leodiensis, hinc pro Cardinali Boullionio factionem Gallicam suâ auctoritate corroborante, & promovente Christianissimo Rege, inde duobus Serenissimis Germaniæ Principibus pro Infulâ zelantibus, scilicet Elector Colonienſi Clemente Bavariæ Duce, & Ludovico Leopoldo Neoburgico Duce Magno Magistro Ordinis Teutonici quorum primus die 10. Aprilis, alter undecimo ejusdem in Episcopum Leodiensem electus & promulgatus est; alterâ alteram eligentium factionem protestationibus, & annullationibus reciprocis feriente, & retundente, & Germanorum quidem Principum litem composuit justissimus

simus causarum arbiter Deus, ex causis in abysso inscrutabilium suorum judiciorum reconditis, Sereniſſimum Principem ac Ducem Neoburgicum acutâ febri afflictum die quarto Maji ex hac vitâ evocando, nimirum Principem, Virum & Heroëm fortiſſimum ac pientiſſimum, tum militibus Chriſtianis, tum religioſis, tum Eccleſiaſticis vivam virtutum idæam: cujus corpus translatum Duſſeldorpium, ibidem quâ meruit defuncti multiplex virtus & dignitas, funebri pompâ honorificentiſſimè conditum eſt. Controverſia autem Boullonium inter & Sereniſſimum Clementem, Colonienſem Archi-Epiſcopum ad ſupremam Sedem Pontificiam ventilanda delata, præponderantibus tandem rationum momentis, ſecundùm incorruptæ ſacræ Themidis trutinam, Clementi adjudicata.

In Hungaria quoque hic annus inter ſolos bellicos apparatus ex utrâque parte conſumptus eſt: & quidem Vezirius trajecto Savo noſtros in caſtris munitos aggredi non dubitavit, tormentis non ſecùs ac aliquam urbem munitiſſimam oppugnando triduo ferè, & viciſſim noſtri tormentis & acie explicatâ hoſtis irruptionem expectantes eidem ſtrenuè inſiſtunt.

Quare Vezirius visâ Cæsariani exercitûs constantiâ, repentè & quidem clanculariè se recipit, sed neque nostri recedentes (hostilem astum metuentes) insequuntur, quin potiùs incolumem exercitum ad hyberna reducunt die 15. Sept. Castra autem sua Petri-Varadino, ubi ambo exercitus hactenùs consistebant, moverunt die 1. Octobris.

In Sabaudia die 4. Octobris Cæsarei cum Regiis Pignerolam obsidentibus, Dux de Catina Gallorum Campi-Ductor suppetias immissurus confligit cum confœderatis pugnâ utrimque peracerbâ, ita ut Gallorum ferè octo, confœderatorum ad sex millia occubuerint, hi insuper acie cedere coacti fuerint cum octo tantùm tormentis, reliquis omnibus defectu equorum relictis.

Die 3. Octobris post longæ obsidionis violentas offensiones Carolo-Regium (Charleroy) deditione in manus Gallorum devenit à Duce Luxenburgico expugnatum. Confœderati autem Anglo-Batavi ultrò citróque meantibus & remeantibus copiis, & opportunitatem arma armis conferendi eventu quærentes numerosum exercitum sine fructu fatigant, & demùm lassi ad hyberna reducunt.

1695.

✲(1695.)✲ In Hungaria Georgius Szechenni Archi-Episcopus Strigoniensis & Hungariæ Primas ac Metropolita moriens anno ætatis suæ tertio infra centesimum, (nonagesimo septimo) opes suas amplissimas, quas industriâ & moderatione vitæ, ad promovendam Dei gloriam & publicum bonum, fideique Catholicæ incrementum comparaverat, ita per pia legata distribuit, ut de omni statu & conditione hominum optimè se meritum fuisse, ostenderit.

Collegia Societatis JEsu per Hungariam à Georgio Szechenni fundata.

Collegium Jaurinense, anno 1654.
Collegium Ginsiense 1684.
Collegium Budense Academicum, 1687.
Collegium Strigoniense, 1687.
Collegium Agriense, 1689.
Collegium Quinque-Ecclesiense, 1694.

Convictus & Seminaria sub ejusdem Societatis curâ à Georgio Szechenni instituta.

Convictus Jaurinensis, anno 1684.
Seminarium Budense Clericorum, 1687.
Convictus Budensis, 1687.

Convictus Leutsovienſis 1694.
Seminarium Trenchinenſe, 1694.

Monaſteria reditibus aucta, vel reſtaurata, vel ædificata à Georgio Szechenni.

Monaſterium
- S. Dominici in Caſtro Ferreo.
- S. Franciſci Reformatorum, Sicmeghini & Strigonii.
- Capuccinorum, Budæ ædificatum.
- RR. PP. Carmelitarum Diſcalceatorum.
- S. Philippi Bennitii Servorum B. M. V. Agriæ.
- S. Franciſci de Paula, Ovarini.
- SS. Trinitatis, redemptionis captivorum, Illaviæ.

Præter hæc militum in pugna adverſus Chriſtianitatis hoſtem læſorum Xenodochia erexit Peſthi & Poſonii. Sed nec immemor ſui Regis pro bello contra Turcas promovendo liberales largitiones erogavit, adeo ut ſumma ad ſanctas haſce diſpoſitiones ſe ſe extenderit ad vigeſies quinque centena millia. Meretur ſanè tam fidelis & prudens diſpenſator audire à Domino: *Euge ſerve bone & fidelis intra in gaudium Domini tui.*

In Hungaria fortalitium Gyula Cæſareis deditur 4. Januarii, præſidium autem Tur-

Turcicum eductum die 19. Januarii. Novus Turcarũ Imperator præsentiâ suâ exercitum corroboraturus, Belgradum unà cum uxore & matre (more hactenus apud Turcas inusitato) advenit; sed Augustissimus Imperator nequicquam territus, cum copiis selectissimis tam equestribus, quàm pedestribus Sereniſſimum Electorem Saxoniæ supremi campiductoris potestate impertitâ & adjuncto expertissimo militiæ Duce excellentissimo Generali Caprara adversus Ottomannicum fastum & minas emittit. Qui castris prope Petrivaradinum probè firmatis ac munitis ad prælium strenuè parati, avidè hostem (qui jam pontem navalem ad Savum transeundum constructerat) præstolantur. Verùm Turcicus Imperator consultiùs ratus Cæsarianos non adoriri, Danubium trajicit, *Titulum* (cujus præsidiarii Turcas Belgradenses supra modum vexabant) expugnaturus: quo intellecto Duces nostri *Tituli* præsidium adaugent: igitur hunc locum quidem Imperator Turcicus hac vice pertransiit, sed postmodum copiis navalibus aggressus expugnat, omnibus ferè præsidiariis trucidatis: quem tamen locum ex metu aliquo vano non diu retinuit, sed nostris occupandum & fortiùs quàm antè

firmandum reliquit, dum sponte excessit. Convertit posthæc Imperator Ottomannicus exercitum suum ad Lippam annonâ & omnis generis munitionibus instructissimam, & exercitu nostro, debito tardiùs, movente die 17. Septembris assultu fortissimo præoccupat, omnibus præsidiariis deletis, & planè opimâ prædâ potitus. Dum Cæsarei lentius quidem, sed tandem propinquiùs etiam Turcis insisterent, hi die 21. Septembris opportunitatem, nacti partem unam Cæsarei exercitûs, à se invicem inter movendum longius nonnihil divisi, aggrediendi, cum triginta & amplius millibus, numero Cæsarianas copias (septem scilicet millia) quadruplo excedente invadunt, neq; isti pugnã detrectant si non numero, robore tamen, & animis se se sub Veterani expertissimo Duce æquiparantes: ternis vicibus ferocissimè irruentes Turcas generosissimè repellunt, & conflictum in longum tempus protrahunt, pendente diu ancipiti victoriâ: donec Turcæ majoribus copiis aucti prælium restaurârunt, in quo Dux expeditionis hujus ipse tribus vulneribus saucius gloriosissimè occubuit, quo casu viso pars cætera militiæ Christianæ Caransebesinum recedit, hostique relicto campo ad por-

tam

tam ferream se collocat, transitum in provinciam impeditura. Periêre hac in pugnâ Christianorum circiter quatuor millia, hostium verò supra duodecim millia. Turcæ porrò experti in tam exigua manu Cæsareani exercitûs tantum robur inesse, ultra totius corporis militaris vires experiri non ausi ad sua se se receperunt, nostris similiter ad grata & optata sibi hyberna redeuntibus.

Hoc anno die 22. Martii prima vice admissus est ab Augustissimo Patre Leopoldo ad intimum conferentiarum consilium, & sessionem accepit Rex Romanorum JOSEPHUS.

Hic simul Heroum laudes, & facta parentis
Jam legere, & quæ sit, poterit cognoscere, virtus. Virgil. in Ecloga 4.

Romæ ex Camera Pontificia Jacobo Angliæ Regi expulso assignata annua Pensio quadraginta millium Dalerorum.

Veneti fortalitium Scio, & totam Insulam post generosissimam oppugnationem deditione 8. Augusti accipiunt, repertis in arce tormentis centum & quinquaginta ex ære seu metallo, & aliis ex ferro fusis quinquaginta, cum aliis omnis generis munitionibus: Smirnam abire permissis decem millibus incolarum, præter militare præ-

sidium - numerantur autem in tota insula octoginta millia incolarum qui remanserunt.

Die 11. Julii Casale à Gallis redditur initis conditionibus. Reperta sunt intus 218. tormenta cum nonnullis mortariis.

Confœderati Hispani, Angli, Batavi, circa 4. Julii sub auspiciis Regis Angliæ Wilhelmi & Electoris Bavariæ Maximiliani Emmanuelis (tunc Belgii Gubernatoris) obsidione cingunt Namurcum, & fortissimis assultibus, cum omni genere offensionis tandem die 21. Augusti Gallos Præsidiarios ad deditionem cogunt, toto Gallico exercitu numerosissimo (scilicet octoginta armatorum millibus) inspectante & deditionem nequicquam impedire valente. Tempore autem obsidionis Dux Villeroyus Bruxellas Gallicis copiis cingit, & ignivomorum globorum horrificâ tempestate immissâ fædissimis incendiis urbem devastat, mille & quingentis ædificiis cum templis variis & curia incineratis, & immenso damno incolis illato: & majus adhuc inflixisset, nisi 3. die Augusti, ipso scilicet die, quo sub vespertinam horam septimam igneos globos ex ollis accensis adversus urbem evomere incepit, Serenissimus Elector Bavariæ celerrimo ad-

adventu suo urbi auxilio & consilio fuisset. Urbem porrò fædare, occupare autem Villeroyus non potuit. Cujus lucrum tantummodo fuit intulisse damnum, aliis nocuisse & sibi non profuisse.

DE SECTARIIS CAVALLERIIS.

ROmæ cum Sacri officii Congregatio extinguendæ hæresi Quietistarum multas consultationes & inquisitiones impendisset, jamque radicitùs extirpatum esse malum, arbitraretur, novus ramus propullulavit, secta scilicet eorum qui sese Cavallerios appellabant Antesignano quodam Abbate Veneto Augustino Gabiano dicto, qui discipulos suos S. Joannis, *& se* Magnum *horum* Cavalleriorum Magistrum, *insuper &* Monarcham sanctissimæ Trinitatis *nominabat. Incedebant fanatici hi Cavallerii ornati gladio, sceptrum gestantes manu, seu virgam Imperatoriam, in cujus apice Crux & Stella eminebat: conventus suos agebant in domibus abstrusis, collectas instituebant ad eleemosynas liberales faciendas, præsertim puellis pauperibus, quæ nubiles erant. Moliebantur isti Cavallerii in urbibus majoribus sibi erigere justitiæ tribunalia, ut qui justitiæ vulneratæ & oppressæ vindices à Deo vocati & designati essent. Crucem ex candida tela Attalica assuebant thoracibus suis ante præcordia, eamque aureo filo circumdu-*

cto inclusam; institutum suum conforme esse jactabant Ordini Equitum Melitensium, qui sua exordia fundârunt in eleemosynis faciendis, aut peregrinis hospitio excipiendis. Antichristum in civitate Lucca proximè nasciturum esse ajebant, jamque prodromasigna adventûs ejus sibi cœlitus ostensa esse, ad quem in ipsis incunabilis extirpandum his temporibus ultimis à Deo sese inauguratos esse, fabulabantur. De his turbulentis & ratione turbatis capitibus Divini officii Congregatio nihil aliud statuit, quàm ut in morotrophiis veluti amentes curarentur. Itaque capti sunt, & illorum octuaginta, qui ad sanam mentem sanioré doctrinâ reduci noluerunt, in morotrophia inclusi & stultorum more tractati, donec resipiscerent. Fanaticus quoque Monarcha sanctissimæ Trinitatis secundùm suam stultitiam in communi stultorum domo ut stultorum Primas renunciatus est, cùm publicum priùs insaniæ suæ specimen præbuisset in Templo S. Salvatoris: quando enim ab universo Choro Capitularium illius Ecclesiæ in divina psalmodia decantatus est versus ille psalmi 24. Attollite portas Principes vestras & introibit Rex gloriæ. Augustinus Abbas, nihil de stultitia simili cogitantibus aliis, sed omnibus ad viri hujus subitam phrenesin obstupefactis, stricto gladio, quem secum sub amictu gestabat, altâ quâ potuit, voce cantando re-

do repetebat : Ego sum Rex gloriæ, ego sum Rex ille gloriæ, nolite timere. *Inquisitum posteà in ejus supellectile, & inventum est sigillum, quo patentes & testimoniales pro sectatoribus suis conscriptis expedire solebat. Et mirum sanè est, etiam ex præcipuis Ecclesiæ Prælatis unum inventum esse, qui huic fanaticæ cohorti suum quoq; nomen dederit, & his deliriis adhæserit.*

✲(1696.)✲ Augustissimus Leopoldus Saxoniæ Ducem & Electorem Fridericum Augustum Rudolphum, qui propter suum egregium in domum Austriacam affectum, decem millia suorum egregiè instructorum Cæsareo exercitui adjunxit, bello præficit hoc anno in Hungaria contra Turcas continuando, eidemque excellentissimum Dominum Generalem Æneam Capraram adjungit, qui quidem, optimè animato milite, adultâ jam æstate ternis vicibus Temeswarinum obsidione cingunt, fortiterque aggressi oppugnant, tamen ob imminentium Turcarum formidabilem potentiam à strenuè cœptis desistere coguntur, tandem igitur in aperto campo rem cum hoste decidere, & generosè confligere unanimi consilio decernunt. Itaque die 20. Augusti fortissimè licèt vallatum circumcingunt, & confligendi necessitatem indi-

indicunt, Qui noſtrorum aggreſſionem fortiter excipit, & retundit, & incaleſcente Marte acerrimè utrinque pugnatur, victoria nunc his, nunc illis favente: prælium tandem ſequeſtra nox diremit, ex hac pugna deſideratis Chriſtianorum tribus millibus, & octo fere millibus Turcarum. nocte igitur concubiâ Turcæ plenis caſtris Temeſvarinum versùs receſſêre, Chriſtiani autem versùs Szegetinum: indeutrimque in hyberna exercitus reducti ſunt. Obicem majori victoriæ (uti à tam copioſo & lecto milite ſperabamus) obtinendæ objecerunt regimina aliquot Cæſarianorum equitum, qui in ipſo actuali prælio proſequi, & alios ſubſequi & generoſis præeuntium veſtigiis inſiſtere tergiverſabantur, pugnare nolentes.

Turcæ in ſuo reditu Marockiam arcem à Raſcinis militibus cuſtoditam ſpatio unius tridui expugnant, & ſolo æquant.

Comes Adamus Battyani regni Croatiæ Bannus hoc anno aliquot fortalitia erepta redigit in Cæſaris poteſtatem. Moſchi Aſſacum fortiſſimum Tartarorum præſidium expugnant.

Moritur hoc anno die 16. Maji Maria Anna Hiſpaniarum Regina vidua, Auguſtiſſimi Cæſaris Leopoldi Soror Eberſdorffii.

28. Septemb. moritur Sereniſſima Archidux Maria Thereſia.

Galli cum urbibus & arcibus expugnandis difficiliorem experirentur fortunam, ſatagunt omnibus modis animum Amædæi Sabaudiæ Regis vincere, & in partes ſuas pertrahere, qui etiam illectus promiſſis nuptiis filiæ ſuæ, cum Gallo Principe jungendæ, à fœdere Cæſareo recedit, & partiali cum Ludovico XIV. pace compoſitâ, univerſali paci in Imperio, totaque Chriſtianitate viam ſternit: *Sic nimirùm nuptiarum inter ipſos hoſtium Principes pactio & matrimonii nodus, eſt facillimus belli diſſolvendi modus.*

Galli die 6. Octobris Leodium ignibus infeſtant, & operâ perditâ recedunt, fitq; ipſa cupiditas habendi, dum non aſſequuntur, quod ambiunt, hoſtibus quoque non exiguum tormentum.

Innocentius XII. Pontifex admiranda liberalitate pergit continuare variorum Xenedochiorum erectionem, pro cujuſq; conditionis pauperibus & egenis.

Sereniſſimus Chriſtianus Auguſtus è Ducibus Saxoniæ fit Epiſcopus Jaurinenſis in Hungaria.

DE SECTA PIETISTARUM.

AD ultima tempora hujus exeuntis sæculi exorta est hæc secta inter Lutheranos superioris & inferioris Saxoniæ, occasionem ad id præbentibus multis nominatis tum Theologis, tum politicis Confessionis Augustanæ viris, qui calamitosum statum suæ Ecclesiæ jam multò antehac lamentabiliter deplorârunt, & reformationem suspirârunt. Partialiter autem id sibi cordi sumpserat D. Philippus Jacobus Spener, qui variis concionibus & scriptis hanc rem diu ursit, donec tandem alii juniores & ferventiores similibus propositionibus & querelis commoti propiùs scopum tangere aggressi sint, hac opinione, ut si non plenam reformationem & correctionem cunctorum ipsis in Lutheranismo displicentium obtinerent, pro salute tamen animarum suarum pietati & probæ vitæ studerent, ac suis etiam contubernalibus similem vitam persuaderent, atque hac ratione se imminenti necessariæ reformationi Ecclesiæ præpararent. Verùm contra hos ab aliis concionatoribus & Professoribus Lutheranis Lipsiæ, Wittembergæ, Lubeci, Dantisci, Hamburgi, aliisque in locis scriptis acriter actum, & persecutio mota est, ita ut partes indies magis & magis ab invicem doctrinâ & moribus dissentirent, & istis novis zelatoribus nomen Pietistarum, publicè attributum sit, quod quidem tantùm abest ab infamia, ut

potiùs

potiùs de eo gratulati sibi sint, quod per illud ab aliis Babylonicis, & ventris Concionatoribus ac carnalibus, & literariis Theologis (quemadmodum reliquos Lutheranos Doctores compellare consueverunt) discernantur. Hæc verò Pietistarum à cæteris lutheranis separatio maximè circa annum 1688. erupit. Scopus autem Pietistarum est primò: propria cujusque emendatio, prout scilicet, unus præ altero, magis probam vitæ rationem sibi præscribere novit, deinde suæ vitæ vitiosæ, & omnium aliarum Ecclesiarum & Communitatum Christianarum reformatio. Media verò ad hoc adhibent. Primò lectionem frequentem & meditationem sacræ scripturæ. 2. privatos conventus, in quibus interpretationem scripturarum, colloquiis & cantilenis condunt, se invicem hortantes ad voluntatem Dei indies magis & magis cognoscendum, & unitis orationibus insistentes ad auxilium desuper, pro optata reformatione impetrandum. Tertiò communem tolerantiam omnium religionum & opinionum Christianum nomen præferentium, & universalem quandam charitatem, hâc spe freti, quod paulatim omnes veræ charitatis & unionis vinculo in unum colligabuntur. Cæterùm in multis accedunt ad fidem Catholicam. Admittunt siquidem bona opera esse necessaria ad salutem, nec solam fidem sufficere. Item cum auxilio

divinæ

divinæ gratiæ, præcepta ſervari quidem, licet non impleri poſſe. Volunt quoque, ut ſui ſi penitus abnegent, & perfecti evadant, qua de cauſa, etiam concilia Evangelica ſervare concendunt, & multi eorum Concionatores, contra communem Lutheranorum conſuetudinem complures in annos cœlibes vixerunt, ideoque amant etiam varios Catholicorum libros præſertim aſceticos. Atque de his quàm optimè ſperandum eſt, & plusquàm de omnibus ſectarijs, quod nimirum tandem redituri ſint ad Eccleſiam Romano-Catholicam, à quâ tam temere receſſerunt eorum anteceſſores. Sicut enim mala, & ſcelerata vita ſectariorum quorumcunque eſt maximum obſtaculum, ad eorum converſionem ad fidem Catholicam, ita vita bona eſt proxima diſpoſitio, ad eandem cognoscendam & amplectendam. Nam licet fides ſit donum Dei, hoc tamen Deus confert ijs qui non ponunt eidem obſtacula per malam vitam & obſtinationem, ac pervicaciam & pertinaciam, in mala vita, vel erroribus fidei. Facienti autem quod ex ſe eſt, Deus non denegat gratiam, auget hanc ſpem & fiduciam Exemplum Cornelij centurionis, cujus vita ante ejusdem ad fidem Chriſtianam converſionem Actor. 10. v. 11. & 2. Sic deſcribitur: Vir quidam erat in Cæſarea, nomine Cornelius 1. Religioſus ac timens Deum,

2. Cum

2. Cum omni Domo suo, *hoc est, curabat, ut omnis Domus, id est tota familia sua talis esset.* 3. faciebat Eleemosynas multas plebi. 4. Deprecabatur Deum semper, *id est, assiduæ orationi vacabat, ut DEUS se ad cognitionem veritatis ac salutis perduceret. Hæc erat dispositio ad veram fidem ex parte Cornelij, cui non distulit DEUS conferre fidei gratiam, misit enim Angelum suum ad Cornelium, qui eidem diceret.* Orationes tuæ & Eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei, & nunc mitte viros, & accersi Petrum, *id est Principem & Caput supremum Ecclesiæ, hic dicet tibi quid te oporteat facere.*

DE SECTA NOVORUM CHILIASTARUM.

DOgma hoc recenter resuscitatum est, ab una parte Pietistarum (sunt siquidem jam in varios divisi inter se ramos) hi cum summis votis præstolantur Millesimum Annum Christi in terris, quo credunt ex Prophetijs cujusdam herulæ Rosimundæ ab Affenburg, & quorundam aliorum, omnem aliam Babylonicam Religionem abolendam. Atque ex his multi Anno 1693. & 1694. in Peninsulanam Armeniæ provinciam navigârunt hâc intentione, ut in nova ædificanda civitate Philadelphia antiquam Apostolicam communitatem constituerent, juxta

juxta suum sensum seque humanis legibus penitus subtraherent, sub prætextu Regni mille annorum in plena conscientiæ libertate fruendi: verum præterquam, quòd inanis sit hæc expectatio, ipsimet ignorant, undenam computari debeant hi mille anni Christi, & quandonam inchoabitur initium illorum. Veterum Chiliastarum, alia fuit de his opinio, nempe: ante Judicium mille annis Christum in mundum adventurum & sanctos resurrecturos ac per mille annos integros terrenis bonis eos fruituros, post hos autem mille annos, impios quoque resurrecturos & tunc judicium extremum fore. De his vel aliis similibus Chiliastis sic scribit S. Hieronymus Homil. 3. in Matth. Caput 19. Ex occasione hujus sententiæ (videlicet quam Christus dixit suis discipulis: Vos qui secuti estis me, cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, quando & mortui de corruptione resurgent incorrupti, sedebitis & vos in solijs judicantium condemnantes duodecim tribus Israël, quia vobis credentibus illi credere noluerunt. Et omnis qui reliquerit domum vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit) *Quidam introducunt mille annos post resurrectionem, dicentes; Tunc nobis*

centu-

centuplum omnium rerum quas dimisimus, & vitam æternam esse reddendam : non intelligentes, quodsi in cœteris digna sit repromissio in uxoribus appareat turpitudo : ut qui unam pro Domino dimiserit centum recipiat in futuro. Sensus ergo iste est : qui carnalia pro Salvatore dimiserit, spiritualia recipiet ; quæ comparatione & merito sui ita erunt, quasi si parvo numero centenarius numerus comparetur. Chiliastæ tamen moderni voluptates quidem Epicureorum corporeas rejiciunt, Annum nihilominus millenarium admittunt. Sed æquè ac illi sine ullo fundamento.

✠(1697.)✠ Sereniſſimus Elector Fridericus Auguſtus Saxoniæ Dux, cùm hoc anno rursùs contra Ottomannicos in Hungaria exercitum ducere cogitaret, & interea, dum tempus expeditionis adesset, Viennæ commoraretur, nactus opportunam occasionem suæ saluti consulendi, fidem Romano-Catholicam, ejuraris Lutheri erroribus, publicè amplectitur, & eodem die, scilicet decimo septimo Junii, quo se Catholicum Sereniſſimus Elector professus est, nuncium accepit de electione Regis Polonorum Varsaviæ legitimè peractâ, in qua (Cæsare favente, & suffragiorum copia in comitiis adstipulantibus) ele-

electus esset FRIDERICVS AVGVSTVS SAXO, REX POLONORVM. Nuncium hoc magnâ omnium gratulatione, & non minori honore Neo-Electi Regis, quam gaudio Imperatoris exceptum est: *Tantùm enim* (scribit Hesiodus) *damni est ex malo vicino, quantùm ex bono commodi, & præmium nactus est, quisquis bonum vicinum nactus est.* Obluctatus tamen est, quibus & quantis viribus potuit auro & armis Dux de Conti, cui Primas Poloniæ & pars magna, quæ pro Gallia faciebat, diu tenaciter adhæserunt, pro Friderico Saxone potenter quoque causam urgente & promovente per suos Legatos Magno Moschoviæ Duce.

Cæsarei Bihaczium Croatiæ metropolim obsident, sed ob plurima incommoda obsidionem solvere coacti sunt die 6. Julii. Turbata est deinde tumultibus superior & inferior Hungaria: & in inferiore quidem Ruscinorum non pauci, duce quodam Perlâ, extremæ audaciæ homine, sed abjectissimæ sortis, deprædationes circa Danubii ripas, ingentes exercebant, pagos incendebant, & adjacentia Quinque-Ecclesiis loca infestabant, verùm à Cæsarianis non multò pòst circumventi, cæsi & dissi-

pati

patij sunt, Ducibus eorum captis, Eszeckiniq; supremo supplicio affectis: quibus interemptis, hæc prædonum colluvies, ùt membra capite destituta, illicò collapsa est, & evanuit. Majus periculum emersit in Hungaria superiore, ubi jam à longo tempore occulte cusa, & clancularijs internunciis facta conspiratio, insperatò primâ Julii currentis erupit; more enim turbinis ili prædatores omnia pervagati mox Tokainum, Patakinum, & Szerenes arces ex insidiis occupârunt, omnibus locorum præsidiarijs cæsis, jamque adscitâ sibi rusticorum & plebis colluvie prædabantur omnia: cui furiatæ & malesanæ inconditæ plebis multitudini in ipsis exordiis Deus terminos posuit, & frænum singulari providentiâ suâ injecit. Contigit enim, cùm ad Onodinum quoque occupandum agminatim procederent, ut in Cæsareas, Germanicas, & Hungaricas cohortes inciderent: hos igitur utprimùm Cæsareus exercitus prædones & tumultuantes esse, agnovit, aggressus est, neque illi pugnam detrectârunt, sed pro virili restiterunt: tandem autem inclinante acie terga verterunt, salutem fugâ quæsituri; itaq; amissis jam multis, & plusquàm mille trucidatis, quà data porta pars Tockainum, pars Pata-

kinum se recepit. Sed nec illic tutis esse licuit: Princeps enim Vaudemontius advectis præproperè Agriâ tormentis, sine mora Tokainum obsidet, cúmque consternati rebelles defensionem simulando per tenebras noctu deserto præsidio clam omnibus profugissent, & majori ex parte Patakinum se recepissent, Princeps fugientibus insistendum, ratus, Patakini quoque obsessos noviter urget, rursùs tamen ad consuetas sibi fraudes confugientes, peditatui persuadent, speciosèque imponunt ii, qui equos habent, se in Cæsareos excursionem facturos, verùm cùm apertis portis equitatus totus viam exeundi nactus esset, non versùs castra, sed aliò iter deflexit, & quà potuit, profugit, peditatus autem (quem ferè totum plebs rustica conflaverat) videns, se adeò turpiter delusum, ad gratiam petendam confugit, sed hac, uti non merebatur, ita non impetratâ, gratiæ & disgratiæ Vaudemontii se submittere coactus est, quorum non pauci deinde pro varietate & gravitate scelerum variis ex justitiæ sententia pœnis affecti sunt. Perla rebellium antesignanus cum aliis adhuc viginti, auditâ mortis sententiâ, noctu alterâ manu ac pede vinculis ferreis, quâ potuit arte aut vi, ex-

exemptis, conati sunt carceris parietes perfringere, sed observati ab excubitoribus arctiùs custoditi sunt; cùm verò manè hora executionis immineret, ut ad locum supplicii educerentur, omnes sublatis lapidibus, quos de nocte ex muro perforato in carcere sparserant, adversùs milites & lictores ita pertinaciter obluctati sunt, ut multos dirè vulnerarent, conjurâverant enim omnes frustatim in carcere potiùs inter resistendum mutilari & concidi velle, quàm carnificis manu propudiosè occumbere: adeò quidem, ut necesse fuerit igni-vomas pilas, sive granatas manuarias & picem accensam immittere in carcerem, quarum & ictibus, & igne, & sulphure, & fumo ad exeundum è carcere compellerentur, & sic denique semiadusti, fædati & saucii, vivi tamen comprehensi sunt: Perla autem insuper bombardæ globo ventrem trajectus, & propendentibus intestinis ad locum supplicii raptus, atque vivus adhuc brachia pedesq; confractus, & in rotam actus est, tres uncis ferreis transfixi, reliqui inhastati & partim in furca suspensi sunt.

Die 11. Septembris Turcæ ad Szentam veloci adventu Cæsareorum confusi cæduntur ab Eugenio Sabaudo, clade non facilè auditâ, exuuntur enim omnibus ca-

ſtris & tormentis ; paucis Chriſtianorum deſideratis. Ceſſerunt Chriſtianis in prædam 99. tormenta, tria quidem maxima, dicta organa, eò quòd quatuor in ſe tormenta concluderent, in morem fiſtularum organicarum : copia ingens omnis generis munitionum, duo millia bubalorum, cameli, muli, equi, oves & boves innumeri : quinque millia vexillorum, inter quæ ſexaginta novem majora, & Janitſcharorum maximum cum ſeptem caudis equinis, tentoriorum multa millia, quæ inter etiam ſummi Vezirii, cum ejuſdem curru, equis, & decem concubinis, & omni pretioſâ ſupellectile, atque ipſo etiam ſigillo, quale Sultanus ſummis Veziriis inſignum poteſtatis ſupremæ in totum exercitum tradere conſuevit. Conſtabat Turcicus exercitus octoginta armatorum millibus, ex quibus cæſi inventi ſunt triginta millia gregariorum, præter officiales minores, majoreſque Baſſas plurimos, & præter ſaucios haud dubiè magno numero : cùm econtra Chriſtianorum occubuerint tantùm quadringenti & quinquaginta octo, & officiales viginti quinque, vulnerati univerſim 1460.

Memorabile eſt, quod Vezirius de ſtrage ſuorum prognoſticon habuiſſe ipſemet aſſe-

asseveravit, eâ scilicet nocte, quæ pugnam præcesserat, visum sibi fuisse, videre supra tentorium suum viginti quatuor veste candidâ conspicuos viros, Cæsarea signa in aëre explicantes, qui, relictis Turcarum tentoriis supra Cæsarianorum castra volantibus vexillis sese contulerint, eademque obtexerint.

Die sexto Novembris Generalis Roboutinius civitatem Turcicam Vipalunkam assultu expugnat.

Eodem mense die 27. ad Rhenum Ebernburgum Marchioni Ludovico Badensi à Gallis deditur.

Viennæ Austriæ Augustissimus Leopoldus Societatem JEsu edicto publico vindicat à gravissimis calumniis, ritè observans illud ex lib. 6. Thucyd: *Violatæ religionis prætextu sæpe in viros bonos & reipublicæ utiles ac egregios (quoniam aliâ occasione everti non possunt) insidiæ & criminationes magnæ & falsæ struuntur ab inimicis, quæ proinde non sunt admittendæ.*

Jussu ejusdem Augustissimi Cæsaris 4. Julii Viennam adfertur imago Deiparæ Boëzensis (pagus is est in superiore Hungaria) quæ hoc & superiore anno iteratis vicibus à pluribus visa est fudisse lacrymas. Allata hæc in urbem singulari totius

urbis veneratione excepta & ab Augustissima Imperatrice pretiosissimis thesauris ex margaritis & gemmis ornata atque solenni supplicatione exposita est. Haud dubiè imago ista, uti gravissima mala impendere prænunciavit, ita etiam ejusdem Virginis Consolatricis afflictorum, quam repræsentabat, piâ apud Deum intercessione ab Hungariæ regno & devotissimo hujus Matris cultore atque Cliente Leopoldo & Augustissima Austriaca Domo propitiato Numine misericorditer aversa esse hoc miraculo cadentium lacrymarum significavit: Et merebatur sanè publico triumpho adornari ejus imago, quæ invictissimo Leopoldo in tot insidiis, proditionibus & difficillimis præliis, & tot tamque glorioſis cum inimicorum confusione & stupore reportatis victoriis fuit fortissimum & tutissimum propugnaculum, *Cujus precibus apud Filium suum Arma Barbarorum facta sunt tela infantium, & lancea, & galea, & jacula inutilia & inefficacia*, ait Andreas Cretensis Orat: 2. de Deiparâ Virg.

Dignissimus relatu est apparatus splendidus, quo die secundo Aprilis Romanum Pontificem (qui reparationem portûs Antii inspiciendi causâ iter illud susceperat) cum octo Cardinalibus, magno Prælatorum, Abbatum, virorumque illu-

illustrium numero, Princeps Burghesius in oppido suo Corviettano excepit. Novo, eoque insolito humanitatis genere portas & diversoria omnia venturis hospitibus occludi jusserat, soli sibi hospitalitatis tam magnificæ & sumptus, & gloriam servans. Hunc in finem per apertos campos tabernacula multa frondea pro famulis, equis, curribus, aliisque impedimentis, Pontifici verò mapale ampliſſimum erexerat, Romæ novæ sanctiorem Romulum agresti in curia salutaturus. Tugurium ligneum erat, panno cerato, arcendis pluviis accomodo, instratum, omnique exteriore cultu squallidum adeò & horridum, ut casam diceres pastoritiam, quam suo cum dolio pauperrimus Diogenes haud invitus permutaret. At ubi ædificii structuram interiorem inspiceres, latebat sub tecto ignobili palatium splendore plusquam regio adornatum. Parietes peristromatis, telâ holoserica, Damascenâ, intextis ad naturæ invidiam Phrygiâ acu floribus speciosâ, picturis artificiosis, cælatis Phydiaco labore toreumatis vestititi, accedentibus speculis, candelabris, expositâque reliquâ aureâ, argenteâque supellectile miro fulgore intuentium oculos perstringebant. In contignatione in-

feriore octo pro Cardinalibus, proximis his, pro Abbatibus, Prælatisque instructissima erant conclavia, quibus omnibus impendebat aula Pontificia, quæ tapetibus filo aureo argenteoque insertis gemmis, margaritisque coruscantibus, aliisque ad pompam, decoremque necessariis abunde decorata fulgebat. Sub meridiem in campum hunc Elysium Sanctissimus appulit, & ab obvio Burghesio, aliisque Principibus, Comitibus, nobilibusque Romanis humanissimè exceptus in mapale pastoritium, summo Ovilis Christiani Præsidi dignissimum, ductus est, ibidem aditiali epulo recreandus. Sigmata extructa erant duo, utrumque in decempedarum quadraginta duarum longitudinem protensum: singulis impositæ stabant patinæ majores quinquaginta duæ, ingenti lancium minorum satellitio utrinque stipatæ, quæ omnes elevatæ in pyramides pulchra exhibebant, exhaustæ in epulum tam opiparum Italiæ, trophæa. Quam primùm mensæ Sanctissimus accubuit, novo artis prodigio velocissimo raptu ex oculis evanuêre suspensa ex parietibus peripetasmata, & subductâ nube hac sericâ, domum dicam, an cœlum? apparuit illustre totum, totum diaphanum: latera enim conclavis soli-

solida è cryſtallo ſurgentia ſubitâ luce beatiſſimum Præſulem circumfulſerunt. Ex his ſuſpenſa, eoq; ordine diſpoſita erant ſpecula, ut convivas omnes Pontificis oculis objicerent, Sanctitate interim ſuâ, nulli visâ: quo miraculo attonitus Papa ſummoperè delectabatur. Inſerviêrunt convivio tam ſplendido ciborum diribitores decem, Pincernæ quinquaginta, coci quinquaginta, totidem veſtiſpici: In utrâque menſâ præcipuâ, reliquiſque aulicorum abſumpta ſunt dolia vini octoginta, boves Luſitani duodecim, agni quingenti, agnelli quingenti, quadraginta vituli materno lacte carnis tenellæ delicias adhuc ſaginantes, totidem vituli majores ſolidioribus paſcuis innutriti quater mille pulli columbarum, totidem capones, bis mille aves (Italis Hortulani Bolonienſes dictæ) bis mille coturnices, capreoli 50. apri 50. attagines centum, perdices centum, caſei, urbinates minores bis mille, majores Parmenſes quinqnaginta, vaccini equinique bis mille, recentes aut muſtei bis mille, totidem à menſe, quo coagulantur, dicti *Martii*. Botelli Bolonienſes bis mille, Pernæ totidem, bis mille libræ Pemmatum, vaſa quatuor ſiceræ, quatuor vini pyratii, libræ bis mille uvarum recen-

tium, totidem recentium piſorum, libræ mille toſtorum fornace ceraſorum, pondera quatuor, aut ſarcinæ fœniculi recentis, ſarcinæ decem cinararum, ter mille libræ Cocolatæ, bis mille capſulæ cydonite, quinquaginta ciſtæ bellariis, viginti majores ſaccharo plenæ: mille libræ caſiæ, libræ centum cariophyllorum, libræ centum piperis, libræ centum capparum, bis millè cytria, ſarcinæ quatuor pomorum aureorum, ſarcinæ ſex variarum herbarum & embammatum. Pro ſtabulo equorum quingentorum capaci inſtructi erant currus quadraginta onuſti fœno, modia avenæ centum, de quibus ad libitum cuivis citra menſuram jumentis ſuis pabulum depromere licebat. Non ſtetit intra convivii lautitias munificentia Burgheſiani Principis, quin potiùs ulteriùs progreſſa, largiſſimis muneribus abeuntem Pontificem proſecuta, obtulit miſſus ſex ſtruices patinarias multiplices, quatuor citrino ſacchario Florentiæ præparato, quatuor malis punicis citriiſque, quatuor prunis paſſis, quatuor cryſomelis, quatuor perdicibus, quatuor avibus hortorum Bolonienſium inquilinis refertas: Inſuper duodecim pavones vivos candidos, quatuor vivos capreolos,

quæ-

quatuor lactentes vitulos ungulis deauratis, capsas quatuor uvis Apianis vinearum Perusinarum, vasa quatuor vini de monte Palcino, & deniq; hyalothecam, seu crystallina, vitreaque in usum convivarum vasa, ter mille scutatis æstimata.

Rex Sveciæ Carolus XI. 5. Aprilis moritur, anno ætatis suæ 42. relicto Carolo filio minorenni successore: quo mediante pax quidem diu optata, & legationibus ultrò citróque meantibus studiosè ardenterque inter Europæos Principes quæsita, sed hoc tandem anno post obitum mediatoris hujus elaborata est.

Die 14. Octobris pax inter Hispanos & Gallos.

Die 30. Octobris inter Sacram Cæsaream Majestatem LEOPOLDUM I. & Sacrum Romanum Imperium ex unâ, Regiamque Majestatem Christianissimum LUDOVICUM XIV. ex alterâ parte, in Palatio Riswicensi in Hollandia pacis instrumentum subscribitur. *Finis belli pax est: sed longi belli sæpe nimis brevis clausula pax est.*

paX InIta rIsVVICI VIDetVr breVe soLatIVM.

* * *

Septimo Decembris inter Ludovicum de Bourgogne & Mariam Adelheidam RegisSabaudiæ duodennem filiam nuptiæ Parisiis celebrantur : quarum illicio nuptiarum Sabaudiæ Rex à Cæsareo fœdere priùs defeeerat, & ideò Maria Adelheida à Gallis tanquam margarita & Ludovicus Bourgogne velut unio pretiosus, quibus pax comparari cœpit, celebrati sunt.

RAMI EX SECTA PIETISTARUM HOC TEMPORE PULLULANTES.

DE SECTA VISIONISTARUM.

Hic ramus sectæ Pietistarum est. Dicuntur Visionistæ, quia sibi persuadent & imaginantur, se quandoque spiritu, quandoq; etiam corpore abripi, & varias res doceri. Hi omnem authoritatem Ss. Patrum, imò & quatuor primorum conciliorum, uti etiam doctrinam suorum Pietistarum quando cum ipsorum opinionibus non concordat, condemnant, adeoque duntaxat privatum suum spiritum & proprias suas opiniones pro regula fidei habent. Unde facilè est colligere quantum tam ipsi Visionistæ inter se, quàm cum alijs Pietistis in rebus fidei consentiant.

DE

DE SECTA RENATORUM.

HÆc est alter ramus Pietistarum, qui se renatos & Dei filios vocant & populum Dei, & regale sacerdotium esse existimant & motus primo primos cum stoicis comprimere satagunt, & in hoc sitam esse perfectionem hominis judicant. Cùm tamen S. Paulus Apostolus de se ipso dicat ad Rom. 7. v. 15. 16. 17. 18. 19. Non quod volo bonum hoc ago. Sed quod odi malum illud facio. *Hoc est: vellem bona multa, & magna facere alacriter, promptè, expeditè, sed invalescente concupiscentiâ sæpiùs non perficio: è contrario verò,* quod odi malum facio: *hoc est: quod mente odi, nempe motus primo primos concupiscentiæ, sæpissimè per naturam facio, vel potiùs patior.* Si autem quod nolo illud facio, consentio legi, quoniam bona est. *Hoc est,* si autem illud facio nolens, *vel potius involuntariè patior, secundum naturam mente consentiente legi divinæ, non consentiendo pravis illis motibus,* Sequitur quod non jam ego operor illud, *scilicet voluntariè,* sed peccatum, quod in me habitat, *id est natura mea corrupta. Et tamen S. Paulus vir erat perfectus, & qui de se ipso ausus fuit scribere. 1. ad Corinth. 4. 5. v. 4.* nihil mihi conscius sum. *Licet jam exploratum haberet se facere; quod nolebat, hoc est habere in se motus primò primos purè naturales, qui penit⁹ evitari nequeunt.*

DE CONTEMPLATIVIS.

HI sunt tertius ramus sectæ Pietistarum. Hi more Pietistarum in spirituali quiete & contemplatione abrepti à publico cultu divino, concionibus, & sacramentorum usu abstinent. Tanquam similium nonindigi privatâ tamen communione utuntur, quam ipsis etiam fœminæ distribuunt, auricularem quoque confessionem cum Calviniſtis rejiciunt, econtra cum Catholicis purgatorium credunt.

Ejusdem Pietismi quartus ramus est eorum, qui super alios Pietistarum errores etiam hunc superdunt, quod primam Personam in Trinitate seu æternum Patrem aliquando incarnandum sperent sine ullo prorsus fundamento.

DE SECTA INSPIRATISTARUM.

HUjusmodi sunt complures Acatholici magis politi & moderati. Hi nullas disceptationes fidei cum Catholicis ineunt, nec fidem Catholicam calumiantur ac vituperant, sed neque suam Religionem pertinaciter propugnant. Si autem interrogentur, & quæstionibus premantur. : Cur non tandem fidem Catholicam amplectantur? Respondent : sibi necdum hanc inspirationem à Deo datam fuisse, sed ubi eam à Deo acceperint, se eidem minimè reluctaturos, quin potius promptè obsecuturos. Verùm quamvis indubitatum sit fidem opus Dei esse.

Ut

Ut habetur Joan. 6. v. 29. Hoc opus Dei est, ut credatis in eum quem misit ille, & v. 66. nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum â Patre meo. *Illud tamen etiam certissimum est, quòd Deus exigat humanam cooperationem ad suam gratiam, ut ea reddatur efficax, juxta illud Proverb. 16. v. 1.* Hominis est, animam præparare: *& 1. Regum 7. v. 3.* Præparate corda vestra Domino: *& Zachar. 1. v. 3.* Convertimini ad me, & ego convertar ad vos, dicit Dominus. *& Ezech. 18. v. 31.* facite vobis cor novum, & spiritum novum, *1. & ad Corint. 3. v. 9.* Dei enim sumus Adjutores. *& Apoc. 3. v. 20.* Si quis aperuerit mihi januam intrabo ad illum. *Unde sapienter hoc totum negotium concludit S. Augustinus Tom. 10. sermone 14. de verbis Apost. sic inquiens.* Totum ex Deo non tamen ut simus quasi dormientes, non quasi ut non velimus, sine voluntate tua, non erit in te justitia Dei: Qui fecit te sine te, non te justificat sine te. *Tales igitur disponant se per Dei gratiam (quæ nulli hominum denegatur, bene vivendo, peccata cavendo Deum pro illuminatione & illustratione ac pro fidei dono orando, & certi sint de obtinendo, sancto instinctu & inspiratione ad veram fidem amplectendam.*

1698.

✠(1698.)✠ Parisiis diverso tempore pax promulgata est, primò quidem pax cum Anglis & Patavis, tum cum Hispanis & demum solennissimè promulgatio pacis cum Augustissimo Imperatore Leopoldo & Imperio initæ, celebrata est die 7. Januarii & die octavò multiplices ignes festivi accensi Parisios illuminârunt post mane decantatum Hymnum Te Deum Laudamus, & magnas undique optatæ pacis gratulationes peractas. Cardinalis autem Fürstenbergius insuper seorsim pacis promulgatæ festum in Abbatia sua ad S. Germanum adornavit, cum in plurium Cardinalium præsentia ipse solenniter ad aram litavit, ac splendidissimo convivio refecit, sub noctem deinde artificiosis ignibus accensis Regem & urbem mirificè exhilaravit. Struebatur autem pyria illa pompa inter duas turres in hunc finem in altum ædificatas, quas inter artefacti igniarii pyrobuli multiplici scenâ theatrum igneum variabant, & symbolicis repræsentationibus illustrabant.

Primò repræsentabatur sol radiis tremulis effulgurans & civitati Argentinæ subterjacenti irradians. Cum epigraphe pariter distinctis characteribus ardente ex Psalmo 35. vers. 10. *In lumine tuo videbimus lumen.*

2. Re-

2. Repræsentabatur Mars strategus bellicosus & armatus manum alteram ad calicem, thuribulum, & similia Ecclesiæ insignia extendens, alterâ autem vexillum explicans, in quo exprimebantur tormenta militaria, globi tormentarii, vexilla, hastæ, enses, & similia bellica arma cum epigraphe pariter ignitis characteribus relucente. *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Gen. 14. vers. 21.

3. Videbatur Hercules medius palmam inter & olivam sub umbra utriusque considens, dextrâ clavam gestans & sinistrâ super altare innixus, cum verbis illis flammeâ epigraphe expressis, quibus Henricus Imperator utitur ad Stiliconem apud Claudium: *Robur in armis pace probata fides.*

4. Manus è nubibus eminebat inter duos digitos complexa margaritam, cum verbis Evangelii: *Vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam*, Matth. 13. vers. 26.

5. Proponebantur aspectui pulli quidam gallinacei, qui subter alas gallinæ congregantis confugiebant, ut absconderentur, cum verbis Christi: *Quoties volui, &c.* Matth. 23. vers. 37.

6. Imago Pastoris arbori innixi cum pastorali baculo, circumcirca pabulante grege circumdatus: ad dextram pastoris

Ie-

legere erat extentam epigraphen illis verbis eradiantem, quibus utitur Virgilius in laudem Augusti toti orbi pacem reducentis. *Deus nobis hæc otia fecit.* Virgil.

Circa eadem tempora post pacem in Anglia promulgatam, etiam ii qui Jacobo Regi expulso adhuc favebant, variis in urbibus nummismata disperserunt, in quorum una parte imago Ducis Walliæ expressa cum inscriptione *Jacobus Princeps Walliæ* in altera parte variabant nummismata, ita ut quædam præferrent nubem fumo impulsam cum inscriptione, *quo compressa, magis extollitur.* In aliis sol oriens pulsâ caligine cum lemmate: *Clarior è tenebris*, In tertia sorte nummismatum sol oriens cum epigraphe: *Facit iste serena omnia.* In aliis denique videre erat columbam rostro olivæ ramum gestantem cum hac inscriptione: *Mansuræ nuncia pacis.* Quibus imaginibus Angli bene adhuc animati erga Jacobum affectum suum si non apertè sub ænigmaticis saltem figurarum involucris significabant.

Magnus Moscoviæ Dux Petrus Alexevich excitus famâ Augustissimi Cæsaris Leopoldi & dissimulatâ sua persona cum suis legatis urbem Viennensem die 26. Junii ingressus, & maxima pompâ, quâ fieri po-

potuit in Favoritta (ut vocant) elegantissimè ac pretiosissimè multis diebus ante in hunc finem præparata ab Imperatore Augustissimo exceptus est, ubi mutuis salutationibus benevolentiæ & amicitiæ signis ac contestationibus alter in alterius honore ac veneratione, colloquium sat longum protraxerunt, ut quamvis simulatâ unius personâ, nequicquam tamen simulatis affectibus ambos convenisse luculentum videretur. Die 9. Julii Guttendorffii prope Viennam, in quem juxta Calendarium vetus, festum SS. Petri & Pauli, adeoque diei natalis hujus Principis memoria incidebat, genethliacis gratulationibus à tota Imperatoria aula serenissimo hospiti applaudebatur, & sub epulis à præstantissimis musicis diversi generis centum septuaginta instrumentis Amphioniâ arte concertatum est, choream trecentis Damis & totidem Cavalleriis splendidissimâ (ut vocant) Gallâ adornantibus. Choream excepere incumbente jam nocte festivi ignes Zarii nomen præter cætera visu jucunda ignis artificiosi spectacula, repræsentantes V. P. Z. M. *Vivat Petrus Zaar Moscoviæ*, quæ gaudia lautissima merenda omni ferculorum & bellariorum genere sumptuosissimè & elegantissimè instructa

ſtructa complevit, ut nihil deeſſet, quo peregrinum & adeo rarum gratumque hoſpitem oblectare poſſet, *Pietate* enim inquit Caſſiod. Var. lib. 12. epiſt. 9. *Pu num opus eſt, peregrinam gentem publicis b neficiis obligare.* Die 21. Julii ejuſdem magni Hoſpitis honoribus in Favorita Cæſarea celebratum eſt feſtum epulare (quod hoſpitalitatem, vulgò Wirtſchafft appellant) ubi à Comitibus ac Principibus illuſtriſſimis & ſereniſſimis actoribus ac perſonis utriuſque ſexûs ſcenico veſtitu præcipuæ totius mundi nationes ſecundùm conditionum, ſtatuumque ac ſexuum diverſitatem repræſentatæ, utad menſam octoginta ſex pedum Viennenſium longitudine hoſpitum epulantium numero haud imparem, ex toto mundo convivæ peregrini confluxiſſe viderentur, ſic appoſitè magno Zaario in incognito (ut loquuntur) aſſidenti hoſpiti omnibus pariter convivis in incognito officiosè honorem deferentibus. Inter has epulas Auguſtiſſimus Imperator accepto in manus præſtantiſſimi cryſtalli poculo, ipſi Zaario propinavit in ſanitatem Magni Zaarii Moſcoviæ, quem ipſe haud dubiè omnium optimè nôſſet, ſumma quoq; veneratione Zaarius repoſuit, eſſe utiq; haud alium qui-

in-

intùs & extra, intimiùs & certiùs noviſſet Magnum Zaarium præter ſe, de quo id quoque certâ ſcientiâ noverit, Auguſtiſſimo Imperatori Leopoldo & Auſtriacæ domui addictiſſimum eſſe & permanſurum in perpetuum, quod viciſſim ejuſdem poculi liberaliſſimo hauſtu & alias ſi opus fuerit ferro ſuo & ſanguine ſuo conteſtari paratus ſit. Et ſic quidem inter mutuas amicitiæ conteſtationes & epularum illecebras & gaudia jucunda illa Hoſpitalitas peracta eſt. Poſthæc luſtratis omnibus tum Viennæ, tum extra Viennam viſu dignis, etiam Presburgo, quò ſe in paucorum comitatu contulit, Viennam redux Auguſtiſſimo Imperatori valedixit, die 25. Julii oblatis priùs præſtantiſſimis muneribus, quæ Legati Moſcovitici attulêre, & per manus vigiati quatuor civium honoratiorum Viennenſium, holoſêrico nigro decorè & pretiosè indutorum ad Cæſarem deportata ſunt. Imperator autem veluti præſentem hoſpitem honoravit, ita diſcedere volentem cum honore dimiſit, qui in Moſcoviam accelerato itinere remeavit, poſt peregrina curioſo oculo perluſtrata, nunc in iis quæ ſua & propria ſunt, proſpecturus, & motus nonnullos compoſiturus.

Annus

Annus hic majori ex parte in Europæ legationibus ultro citroque inter coronas reciprocandis consumitur, uti & in pacis initæ tractatibus declarandis, & in querulantium partium gravaminibus aliisque componendis, quæ longi & calamitosi belli appendix sunt, & sicuti morborum reliquiæ in convalescente corpore ipso morbo sæpè diutiùs & tenaciùs adhærent, donec redintegratis perfectè viribus de novo reconciliata valetudo firmetur, ac plenè restituatur. Et quemadmodum dives institor naufragium perpessus, si tabulæ auxilio eluctando per undas portum obtinuit, inopiam suam circumspicit, & jacturam computat, sic urbes quas ferox bellum incineravit, & incolæ quos bonis suis exutos abegit, illi nunc ad paternos fundos remeantes circumspiciunt nuditatem & miseriam suam, ac dolorosâ amissorum recordatione damna inflicta ad calculum revocant. Ita sedens inter rudera sua Wormatia damna sua reduxit ad summam 3009020. Imperialium. Episcopatus Wormatiensis reduxit ad summam 1262745. Imperial: Spira similiter inter rudera & cineres reduxit ad summam 3334004. Florenorum. Præter ea damna quæ Spirensis Episcopatus & Camera Imperialis valde aeer-

acerba & gravia sustinuerunt. Ducatus Würtenbergensis reduxit ad summam 366281. Livres sive Tonnas auri viginti quatuor & 55426. Imperal: sic Heidelberga, sic aliæ & aliæ urbes, sic Palatinatus sic alii & alii dominatus nunc in ortu pacis computantes damna, renovant dolorem suum; & sine fructu restitutionis, amplissimam sementem prætensionum in sterilem chartam projiciunt.

Hoc anno die 23. Novembris primùm in aulâ Cæsarea Viennæ declaratur Wilhelmina Amalia Dux Brunsvigo-Hanoverana pro sponsa Augusti Regis Romanorum Josephi I.

Galli vi tractatuum pacis Riswicensis die 7. Novembris excedunt Philippopoli Cæsareo præsidio immisso, similiter Cæsari redditur Friburgum.

Serenissimo Marchioni Ludovico Badensi die 22. Decemb. Electorem ac Imperialium civitatum consensu ad Augustissimi Cæsaris postulata munimentum Khell cum omnibus appertinentibus transcribitur, etiam ad omnem masculam successionem ex hac linea derivandum.

✲(1699.)✲ Augustissimi Cæsaris jussu die 1. Viennâ abit Princeps Lobkovitzius ad Regiam sponsam Wilhelminam Amaliam

liam è Ducibus Hanoveranis salutandam & adducendam Augusto Romanorum Regi Josepho & Mutinæ celebrantur copulationis ceremoniæ, vices Regii sponsi obeunte Duce Mutinensi, Rex vero Josephus Augustam suam neosponsam in oppido Tulna coram salutat die 19. Februarii, & inter festivos applausus urbis Viennensis die 24. ejusdem Hymenæi solennia celebrat. Cui Augusta sua primam filiam Mariam, Leopoldinam, Theresiam, Josepham, Elisabetham, Xaveriam, die octavo Decembris hoc anno feliciter enixa est: Faxint superi ut tales pergat filios parere, quales constat Josephum Patrem & avos habuisse.

Die 25. Maji moritur Sereniſſimi Electoris Bavariæ primogenitus Leopoldus Augustissimi Cæsaris ex filia Maria Antonia nepos.

Turcæ missis Belgradum Legatis pacem petunt ab Invictissimo Imperatore Leopoldo, quem in finem Cæsareus exercitus castra locavit, haud procul Futackoza, Turcicus autem juxta Semendriam, & inter duos exercitus juxta Sirmium in patenti campo oblongum Tabernaculum sumptibus utriusque partis ita ædificatum fuit, ut in quatuor angulis conclavia pro

qua-

quatuor legatis & inter quatuor conclavia media aula ampla & oblonga construeretur, à quatuor partibus foribus aperta & pervia. Indictum adhæc armistitium, & ad quatuor milliaria in circumferentia complanatæ viæ ut securus esset omni ex parte euntium & redeuntium aditus, & locus amplior tentoriis in circuitu pro cujuslibet ex legatis comitatu collocandis: Initium deinde datum est tractatibus die 3. Novembris Plenipotentiariis præsentibus Cæsareo, Moscovitico, Veneto, Turcico Vezirio, ac Tartarorum Chamo, cum assectis suis, nec non Legato Britanniæ Regis & Ordinum confœderatorum Belgii tanquam mediatorum, & pax demum post plures sessiones 25. annos servanda, die 29. Januarii currentis anni 1699. concluſa: atque interea mutuæ visitationes Dominorum Legatorum solenniter & amicè exceptæ, & redditæ, & ab offensionibus hostilibus usque ad ratihabitionem Principalium utrinque cessatum. Ratificatio & Confirmatio ab Augustissimo Leopoldo transmissa die 15. Februarii, compactatio mutuò extradita, adhibitâ consuetâ solennitate die 4. Martii. Domus Conferentiarum, in qua pax optatissima concluſa est, ad perpetuam & tam glorioſi belli

à Leopoldo ſuperis adſpirantibus geſti, & feliciter ac victoriosè ad finem perducti memoriam, RR. Patribus Franciſcanis Provinciæ Boſniæ donata pro cœnobio & templo Carolovicenſis pacis. Ubi etiam templum inauguratum eſt ſub nomine MARIÆ DE PACE.

Veneti decimo Septembris navali prælio cum Turcis confligunt, & victoriam glorioſam evincunt, ſuorum mille quingentis quadraginta quatuor cæſis, & centum ac novemdecim vulneratis, hoſtium autem ad quater mille interfectis & bis mille vulneratis, quæ victoria Venetos ſupra modum erexit, & impulit ad Deo ſolennes gratias perſoluendas.

Magno Moſcoviæ Duce peregrinas terras & mores Europæorum gentium perluſtrante, Sophia ſoror Zarii, & cum ea quidam Religioſi Rufficæ Eccleſiæ aut potius ſchiſmatis metuentes, ne forte Eccleſiæ Latinæ ritus & unionem cum Romana redux in Moſcoviam Zaarius ſecum inveheret, conſpirant, & motibus in regno concitatis, cum non parva manu Strelizzorum (ſunt hi Cuſtodiæ magni Zarii præcipui & fortiſſimi pugnatores) adverſus Zaarium inſurgunt, ſed adeo temerariè & infeliciter, ut primo ſtatim reditu

Ducis

Ducis compressi fuerint, quorum plurimos crudeliter mulctavit: duas enim moniales ejus claustri, quod Sophia incolebat (fuerat enim in pœnam similis rebellionis anno 1682. concitatæ, in illud intrusa, & in ordinem redacta) vivas, ante fenestras Sophiæ in terram defodi, & intumulari, Strelizzios mille circa muros in circuitu monasterii suspendi, aliquot Bojarios inhastari, duos religiosos vivos curifragio contusos, & semi-enectos in rotas agi, & Vice-Patriarcham exercitus funestam quoque furcæ infamis appendicem fieri mandavit, & huic barbaræ executioni crudelis spectator adesse non exhorruit, suam ulciscendi cupiditatem hoc spectaculo exsatiaturus.

Rex Christianissimus Ludovicus die 13. Octobris Cathedrali Ecclesiæ Argenti, nensi Pretiosissima ornamenta transmittit. candelabra argentea, Crucifixi Imaginem argenteam magni ponderis, casulas & similia, liberaliter, & fere regiâ munificentiâ auro & gemnis consita.

DE RATIO-STATISTIS.

Hi pro fine suorum omnium consiliorum, ac cunctarum actionum, & operationum præcisè rationem status ponunt ac statuunt, nihil pensi

habentes, an media, quæ adhibent ad promovendam vel conservandam rationem statûs, sint justa vel injusta, doctrinæ Christianæ consona vel dissona, dictamini conscientiæ conformia vel difformia, pluribus innocentibus noxia vel innoxia, dummodò ea aliquatenus ad hunc finem utilia & proficua esse videantur. Magnus hic est error, & utplurimùm Magnorum coram hoc sæculo. Magnus inquam error & maxima iniquitas. Quæ enim major iniquitas esse poterit, quàm ut ex eo præcisè unus & quidem nocens elevetur, alter innocens humilietur, unus injustè ditetur, alter justè rebus comparatis aut possessis exspolietur, mille mortes promeritus ut splendide vivat & honoretur, alter vitam piam ducens eadem privetur, condemnetur & morte plectatur; unus sine labore & otio diffluens divitiis affluat, alter in sudore vultûs sui panem quærens, multis miserijs & calamitatibus involvatur: ut nocentes & turbulenti dominentur, innocentes spolientur & quieti perturbentur. Describit græphicè regius Psaltes horum Ratiostatistarum instabilem & miserabilem statum, & simul ostendit, quod cum alia media adhibent ad conservandam vel promovendam rationem statûs minimè illam stabiliant, seu stare ac consistere faciant, quin potius eandem maximæ ruinæ exponant, sic de ijs, prophetico spiritu psalmo 72. loquens: Quia in labori-

laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. *v. 5. Hoc est: quia non proprio labore sed, aliorum oppressione rationem sui statûs promovere & conservare volunt nec conflictantur cum inopia & aliis malis, quibus plerique hominum vexantur, & flagellantur.* Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate suâ. *v. 6. Id est. propterea superbiunt & cooperti sunt flagitiis, iniquitate & impietate.* Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum. *vers. 7. Id est ex abundantia, saturatate, prosperitate, bonorum affluentia iniquitas eorum prodit valde copiosè & abundanter, sicut effluit adeps ex pinguissimo animali.* Transierunt in affectum cordis, ibidem. *Id est: totos se tradiderunt explendis animi affectibus, ut non legi Dei, vel rectæ rationi & suæ conscientiæ, sed suis concupiscentijs & designationibus obsequantur.* Cogitaverunt & locuti sunt nequitiam: iniquitatem in excelso locuti sunt *v. 8. In excelso, hoc est, ex sublimi, & excelso loco palam publicè.* Posuerunt in Cœlum os suum *id est blasphemum, scilicet contra Deum & sanctos ac sanctorum doctrinam legemque Dei.* Et lingua eorum transivit in terra: ibid. *Vel ut sanctus Hieronymus legit:* lingua eorum deambulavit in terra; *vel ut Chaldæus:* lingua eorum ardet in justos, *quasi diceret: nemini hominum in terra parcunt,*

sed omnes opprimere volunt, ut se ipsos extollant & rationem sui status promoveant. Hactenus de illorum prosperitate regius Propheta. Jam videamus quid prædicat de illorum ruina & interitu.

Verùntamen (*inquit v.* 18.) propter dolos posuisti eis (*subintellige mala*) *aliqui textus græci habent expressè*: propter dolos posuisti eis malum *ita ut sensus sit: propter dolos, quibus impij & injusti ac Pseudo Ratiostatistæ usi sunt erga proximos suos, ut divitias augerent, & rationem sui status per illicita media promoverent & conservarent, reposuisti eis mala & feciſti, ut doli in eorum perniciem, ruinam & interitum verterentur. Hebraica lectio quæ est apud D. Hieronymum sic habet:* Verumtamen in lubrico posuisti eos, dejeciſti eos in interitum. *Id est: dum injustis divitias & prosperitatem ac felicitatem dediſti, posuisti eos in loco, unde facile labi possent, & qui suo vitio nesciverunt, in lubrico cautè ambulare, lapsi sunt, justo tuo Judicio in interitū. Pergit idem S. Propheta dicens:* dejeciſti eos dum allevarentur: ibid. *Hoc est: ut dum in altum eos evexisti subitò dejiceres, & præcipitares eos, ut sic lapsu graviore ruant.* Quomodo facti sunt in desolationem, subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam: *Hoc est facti sunt similes civitati desolatæ*

&

& dirutæ, ubi nihil apparet præter ruinas: & tandem concludit: Velut somnium surgentium Domine in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges. *Id est: velut evigilantium è somno somnia, quibus somniârunt suam felicitatem, evanescunt dum expergiscuntur, ita dum ventum fuerit ad alteram vitam, imaginariam eorum & somno similem felicitatem quam ipsi tanto labore comparârunt, ad nihilum rediges, imo nec in hac vitâ diu durabit. Experientiâ siquidem habemus, tales acquisitiones & conquisitiones intra exiguum tempus deperire.* De malè quæsitis non gaudet tertius hæres, *ut commune fert adagium.*

DE SECTARIIS CALUMNIANTIBUS NOSTRI TEMPORIS.

HUjus furfuris *sunt quàm plurimi, tum Lutherani, tum Calviniani, qui dum suæ sectæ veritatem probare non possunt, neque doctrinam genuinam Catholicæ fidei improbare, confugiunt ad enormes Calumnias, ea impingendo fidei Catholicæ, quæ Catholica Ecclesia nunquam docuit aut tenuit, imò quæ ùt falsa reprobat, damnat, & anathematizat, & hujusmodi calumniæ & impudentissima mendacia sunt sequentia:* 1. *Nos pluris facere traditiones hominum quàm verbum Dei.* 2. *Sacram scripturam à*

nobis corrumpi & adulterari. 3. Fidem à nobis negligi, sola opera commendari. 4. Nos docere peccatorem suis operibus mereri gratiam & remissionem peccatorum, 5. Non minùs Sanctos quàm Christum à nobis coli. 6. Imò Sanctos pro Dijs apud nos haberi & adorari. 7. Dum moriendum est, nos non confidere in meritis, & passione Christi, sed partim in patrocinio sanctorum. 8. Nos asserere Pontificem disponere posse contra vetus & novum testamentum.

✠(1700.)✠ Annus hic evoluto Sæculo secundùm laudabilem Ecclesiæ consuetudinem Annus Sanctus sive Annus Jubilæus est, quod est Jubilæum majus, Romæ his cæremoniis publicatum & celebratum est.

Post præmissam vigesimo die Decemb: denuo promulgationem Jubilæi, & inter applausus tormentorum bellicorum & compulsatarum companarum per urbem, in vigilia Nativitatis Domini Eminentissimi Cardinales in Sacello S. Sixti, in Vaticano, præmisso Hymno *Veni Creator Spiritus*, solenni supplicatione omnes sacerdotalibus paramentis pretiosè & piè adornati candelas ardentes è virginea candida cera gestantes contulerunt se ad Ecclesiam S. Petri, tunc (sicut & cæteræ Ecclesiæ) clausam: ad hujus portam muratam, quæ dici solet SANCTA, in throno altiore

tiore ad hanc solennitatẽ constructo, Cardinalis Bouillonius (Erat ille tanquam Vice-Decanus Eminentissimi Collegii Cardinalium ad sanctas has functiones obeundas designatus, summo Pontifice, uti & Cardinale Cybo Decano Eminentissimi Collegii infirmitate impeditis) tantisper consedit, cui Vice-Auditor de la Rote Mr: Caprava, argenteum & deauratum malleum obtulit, quo Cardinalis tertiâ vice portam percussit & quidem primâ vice præcinens: *Aperite mihi portam justitiæ*, & musico Choro respondente: *Ingressus in eam confitebor Domino*, secundo ictu illud simul insonuit altâ voce, *Introibo in domum tuam Domine*, respondente Choro, *adorabo ad templum sanctum tuum*, ad tertium ictum addidit: *aperite portas, quoniam nobiscum est Dominus*, cui Chorus subjunxit, *Qui fecit virtutem in Israël*. Posthæc à fabris murariis murus S. Petri foribus oppansus dissectus est, populo Romano ac Peregrinis cæmentum & lapides magnâ devotione rapientibus. Dicitur autem hæc PORTA SANCTA, eò quòd per illam uti decet ingredientes sanctitatem, seu gratiam divinam consequantur, & quando illa claditur, tunc lapides, calx, & alia id genus benedicantur.

Interea rediit Cardinalis Bouillonius ad thronum, in eoque consîdens aureum malleum Auditori Rotæ Capravæ reddidit. Consveverunt autem Pontifices ejusmodi malleos Principibus viris peractâ cæremoniâ dono mittere, sed hac vice ipsi Bouillonio à summo Pontifice qui eò ut instrumento in opere sancto ritè usus erat, tanquam operario bene de Ecclesia merito dono relictus est. Malleo deposito, assurgens è throno Cardinalis nudato vertice oravit Collectam: *Actiones nostras, &c. aspirando præveni.* subdidit dein: *Dominus vobiscum.* & respondente Choro, *Et cum spiritu tuo*, tertia nunc vice resedit in throno, musicis solennissimè cantantibus Psal. 100. *Jubilate Deo omnis terra*, populo adhuc in lapidibus & cæmento reverenter attollendo, aliis etiam nummos, qui post ultimò terminatum Jubilæum, dum porta sancta occluderetur, cæmento & lapidibus commixti erant, perquirentibus. Pœnitentiarii in vestitu quoq; Sacerdotali pavimentum & PORTAM SANCTAM aquâ benedictâ aspergunt. Ante introitum per PORTAM SANCTAM Cardinalis præmisit, *Hæc dies quâ fecit Dominus.* respondente CHORO: *Exultemus & lætemur in ea*, CARDINAL: *Beatus populus tuus, Domine*, CHOR: *qui fecit tabernaculum*

culum, CARDINAL: *Hæc est porta Domini*, CHOR: *Justi intrabunt in eam*, CARDINAL: *Domine exaudi orationem meam*, CHOR: *Et clamor meus ad te veniat*, CARDINAL: *Dominus vobiscum*, CHOR: *Et cum spiritu tuo*. Cardinalis cantat Collectam: *Deus, qui per Moysem famulum tuum populo Israëlitico annum Jubilæi & remissionis instituisti*, &c. Quâ cantatâ descendens de throno à Caprava porrectam Crucem dextrâ,& sinistrâ ardentem cereum excipiens, subter PORTAM SANCTAM in introitu procidit in genua&insonuit alta voce:*TeDeum Laudamus*: & denuò sese erigens, crucem ac cereum Primati Pœnitentiariorum in manus tradidit,processitq; in templum, ubi in alio altiore quoque loco, eminente in Sacello SS. Petri & Pauli, iterum resedit, & à Primariis quibusque excepto manuum osculo (quod alias Pontificis summi Cæremoniam sanctam obeuntis pedibus exhiberi solet)portæ aureæ custodiam nobilibus viris commisit,totâ interim splendidissimâ & devotissimâ supplicatione inter Hymni Ambrosiani festivum cantum per SANCTAM PORTAM introeunte. Et demum à singulis Cardinalibus, factâ Cardinali Pontificis vices agenti eâdem, quæ aliàs summo Pontifici præstari solet, reverentiâ, & (sano

pioque Catholicorum ſenſu) adoratione, veſperæ decantatæ ſunt, iiſque finitis populo benedictio ſolenni ritu impertita, inter tormentorum crebras exploſiones, & tympanorum & tubarum clangorem, & per totam urbem compulſatarum campanarum ſonitum : præſentibus huic actui viduâ Regina Poloniæ, Coronarum nunciis atque Legatis Prælatorum diverſarum Eccleſiarum & Ordinum, Nobilium quoque & illuſtrium virorum admirandâ multitudine, & populo innumerabili, cum conſtet illo ipſo die in urbe quinquaginta millia peregrinorum fuiſſe. Eorũ verò qui Urbis Romanæ conſtantes inquilini ſunt paulò antè inchoatum Jubilæum numerati fuerant 1300000 non computatis Judæis & advenis, qui & ipſi ad viginti millia tunc fuiſſe ſcribuntur.

Interea tres Cardinales *Panciatici*, *Panfilio* & *Moriggia* tanquam Legati Pontificii, poſt acceptam à ſummo Pontifice benedictionem, dum veſperæ ad DD. Petrum & Paulum decantarentur, magno Comitatu Prælatorum, nobilium, & illuſtrium virorũ & Moriggia propter debilitatem virium rhedâ vectus, in comitatu multarum rhedarum ad tres alias Eccleſias, nimirum S. Pauli, S. Joannis Lateranenſis & S. Mariæ majoris

majoris, eodem ritu aperiendas se se, contulerunt, quibus solenni processione ab Ecclesiasticis cujuslibet dictarum Ecclesiarum obviam itum est: die verò sequente, festo scilicet Nativitatis Christi Cardinalis Bouillonius loco Pontificis solennissimè ad Divum Petrum divina peregit, & omnes Cardinales Diaconi Epulo Eucharistico piè refecti sunt. Et sic magnâ solennitate, pietate & gaudio singulari anno Sancto felicibus auspiciis initium datum est.

Memorabilis hic annus est duplici legatione Augustissimi Imperatoris ad Ottomannicam portam & vicissim.

In munere Cæsarei Oratoris anno 1699. die 20. Octob. Wolffgangus Comes de Oetingen cum splendido comitatu secundo Danubio navibus sexaginta eleganter ornatis & instructis Vienna Constantinopolim solvit, ibidem octavo Februarii juxta dignitatem utriusque Majestatis Christianæ & Ottomanicæ introductus est. Die autem 30. Januarii currentis anni Caduceator Turcicus Ismaël magnifico quoque comitatu Viennam ingressus est. Ambo Legati munera pretiosissima pro more in signum conciliatæ pacis & amicitiæ firmatæ offerenda secum attulêre, quæ

utramque Majestatem decerent, & magnam munificentiam palàm ostentarent.

DONA AUGUSTISSIMI ROMANORUM IMPERATORIS, *PRO MAGNO SVLTANO.*

TAbula mensalis rotunda, inaurata, & opere malleato affabrè elaborata, utrinque ansata, globis innixa. Ejusdem operis ovata tabula. Subex focarius argento malleato procusus, cum operis ejusdem umbella. Frigaria duo nodosa, falcatis basibus. Minora 12. monopodia, portatilia (vulgò Geridons) cum 12. lychnuchis pensilibus, quovis in sex ramos porrecto. Malluvia 2. deaurata, globatim malleata cum gutturniis. Vasa sex ad usum potûs Turcici, dicti *Caffeè*, singulari opere malleato & globato procusa. Scutellæ 12. argenteæ semi-deauratæ ad usum potûs Arabici, dicti *Serbet*, cum operculis & disco suppositorio. Lagenæ sex semideauratæ cum catenulis. Disci majores duo, argento malleato elaborati. Ejusdem operis acerræ duæ. Sex urcei florales operis ejusdem. Patera argentea, malleati operis. Specula lychnophora sex opere malleato argentea. Salinum Hispanicum, & acerra cum appertinentibus.

Sex

Sex volumina telæ ſpiſſo auro intertextæ lemniſcatis floribus,& coloribus diſtinctæ, volumen quodvis tegebat ſaccus holoſerico-carmeſinus, aureis, argenteiſque tæniis celatus. Ejuſdem telæ volumina ſex è filo argenteo. Fons ſaliens vaſtæ molis pluſquam centum marcarum ex argento puro, operis malleati, vario aquarum luſu & artificio admirabilis. Horologium magnum perpendiculare, quadrantes & horas pulſu indicans, opere malleato argenteum, cum artificioſo luſu tintinnabulorum. Horologium ovatum ex argento puro malleatum, horas & quadrantes pulſu indicans. Affabrè confecta machina cum globo & luſu tintinnabulorum, atque horologio nocturno. Horologium argenteum in formam globi, ſe ipſum artificiosè revolvens. Horologium Anglicanum penſile, quod continuis quatuor ſeptimanis volvitur, horas & quadrantes indicans. Horologium ſtabile cum perpendiculo ex argento puro. Menſa graphiaria, ſpeculum, horologiothecæ 2. monopodia 2. & menſulæ muſini operis, in uſum potûs Turcici Caffeé. Supellex minuta deaurata in eundem uſum. Supellex focaria argentea. Abacus luſorius argenteus.

Pro

Pro Magnâ Sultanide.

COrbis inaurata cum operculo, opere malleato. Similis argentea, ansis inauratis. Ejusdem generis alia ex argento mundo sine operculo. Horologium magnum speculare. Horologium argenteum tabulatum cum perpendiculo, quæ simul omnia granulata & gemmis distincta erant, addito artificioso lusu tintinnabulorum. Repositoriolum mundi muliebris gemmis distinctum.

Pro Sultanide validâ.

MEnsa globatim in margine malleata, in usum Caffeé cum vasibus appertinentibus. Urcei florales duo scitè deaurati, foliis ac floribus opere encaustico exornati. Candelabra ad parietem pensilia 2. perscitè deaurata. Corbes 4. argento implexæ. Horologium orbiculare, artificioſe granulatum, lapillis distinctum. Machina artificiosa argento malleato, continens horologium perpendiculare, globū artificiosum, & lusum tintinnabulorum. Urceoli Majales sex, ex lapide rubro, & opere encaustico exornati. Repositoriolum argenteum mundi muliebris.

Pro Magno Vezirio.

MAlluvium, & gutturnium deauratum semis-

semisphæricè malleatum. Frigarium argenteum nodosum falcatis basibus. Argentea duo monopodià portatilia cum 2. lychnuchis pensilibus. Discus măjor argenteus opere malleato. Corbis argentea sine operculo inauratis ansis opere malleato. Scutellæ sex semi-deauratæ ad usum potûs Arabici dicti Serbet, cum operculis & discis suppositoriis. Urcei argentei duo pro potu Caffeé, opere malleato. Vasa 4. spargendis odorariis aquis. Horologium magnum perpendiculare horas & quadrantes sono indicans, ex argento puro operis malleati, addito lusu artificioso tintinnabulorum.

Pro Bassa Belgradensi.

MAlluvium & gutturnium deauratum. Lagenæ duæ semi-deauratæ cum catenulis Urcei deaurati duo pro potu Caffeé. Vas argenteum pro aqua rosacea. Scutellæ sex semideauratæ ad usum potûs Arabici, dicti Serbet, cum discis suppositoriis. Discus major argenteus opere malleato. Horologium magnum perpendiculare, horas & quadrantes cum phasibus lunæ indicans, ex argento puro, operis malleati.

Pro secundo Vezirio.

MAlluvium & gutturnium deauratum glo-

globatim malleatum. Scutellæ sex semi-deauratæ ad usum potûs Serbet cum operculis & discis. Horologium quadratum in formam turris, perpendiculare, horas & quadrantes indicans, ex argento operis malleati.

Pro tertio Vezirio.

MAlluvium & gutturnium deauratum, globatim malleatum. Scutellæ 4. semi-deauratæ ad usum potûs Serbet cum discis totidem. Horologium magnum orbiculare argenteum, operis malleati.

Pro quarto Vezirio.

MAlluvium & gutturnium deauratum, globatim malleatum. Scutellæ 2. ad usum potûs Serbet, cum totidem discis. Horologium Anglicanum pensile, tribus campanulis sonans. Horologium stabile.

Pro quinto Vezirio.

MAlluvium & gutturnium deauratum. Scutellæ 2. ad usum potûs Serbet, cum totidem discis. Horologium magnum orbiculare.

Pro sexto Vezirio.

MAlluvium & gutturnium deauratum. Phiala argentea operis malleati. Scutellæ 2. ad usum potûs Serbet, cum totidem

tidem discis. Horologium ex argento puro stabile cum perpendiculo.

Pro septimo Vezirio.

MAlluvium & gutturnium deauratum. Discus argenteus operis malleati. Scutella una ad usum potûs Serbet cum disco uno. Horologium Anglicanum pensile, horas & quadrantes sono indicans ex argento puro.

Pro Muffti.

COrbis argentea ansata, scitè deaurata, operis malleati. Scutella ad usum potûs Serbet cum disco uno. Horologium magnum argenteum pensile, quod continuis quatuor hebdomadis volvitur, horas & quadrantes sono indicans.

Pro Cancellario regni, Effendi dicti.

GRaphiarium deauratum ex argento, operis malleati. Candelabra quatuor ad parietem pensilia. Cistula scitè elaborata pro conservando Caffeé. Horologium magnum orbiculare argenteum.

Pro Mauro Cordato.

MAlluvium & gutturnium deauratum. Scutella semi-deaurata ad usum potûs Serbet, cum disco. Horologium castrense sonans & excitans.

DONA

DONA IMPERATORIS TURCICI AD IMPERATOREM ROMANORUM MISSA.

1. TEntorium magnum, aureis floribus operis Phrygii, variâque arte splendidè exornatum. 2. Crista (quam Ardearum vocant) ex candido rubra, 52. majoribus & minoribus adamantibus distincta. 3. Frænum aureum opere encaustico rubro ac candido elaboratum, 531. adamantibus, & 338. pyropis in fronte fræni exornatum. Duplex item catenula aurea ab ephippio ad lupatum propendens, tribus aureis nodulis dispuncta. Cingulum & phaleræ gemmis opulenter consitæ auro artificiosè intertexto. Ephippium ex auro confectum more Turcico. 4. Stapedes aurei, 128. adamantibus, & 240. pyropis ornati. 5. Stragula floribus in formam rosarum picta, pyropis, smaragdis, & parte inferiore unionibus distincta, laciniæ unionibus consitæ, & stragulæ serico flavo subducta erat. 6. Clava argentea (Pusicanus Divani, sive consilii dicta) auro depicta, musini operis 17. pyropis, & 25. smaragdis distincta. Tæniæ appensæ è serico rubro floribus intertexto, unionibus & smaragdis variatæ. 7.

Ephip-

Ephippium holoſerico-rubrum unionibus & ſmaragdis diſtinctum cum ſtapedibus. 8. Stragula tribus roſis aureis picta opere Phrygio. 9. Stragula coccinea ephippium contegens, floribus & filo aureo contexta. 10. Frænum Turcicum ſubfuſcum, aureum, opere encauſtico, 122. ſmaragdis, 381. pyropis diſtinctum, perpendiculo frontis 49. adamantibus ornato. Ephippium, phaleræ omnes, & lora artificiosè elaborata, cum catena aurea duplici. Quæ omnia in ſolenni Turcarum ad Imperatorem ingreſſu ſpectanda fuêre. 11. Par ſtapedum ex argento mundo inauratum. 12. Stragula lanea in qua 26. roſæ unionibus & coralliis opere Phrygio depictæ. 13. Ephippium holoſericum à tergo & fronte argenteum, in medio autem aureo filo pictum. 14. Inſtratum holoſericum tribus aureis roſis exornatum 15. Stragula coccinea totum ephippium tegens, floribus aureis intexta. 16. Magnum ambari fruſtum 44. & dimidiam unciam tenens. 17. Decem fruſta Moſchi. 18. Quindecim fruſta Bezoar. 19. Volumina duo panni filo aureo. 20. Volumina duo holoſerici rubri filo aureo intexti. 21. Volumina ſex ſerici auro & floribus intertexti Conſtantinopoli. 22. Volu-

Volumina decem telæ ſericæ, dictæ Durachi. 23. Triginta quinque volumina telæ ſericæ, dictæ Imperialis. 24. Viginti volumina telæ ſerici auro intextæ. 25. Tapetes Perſici quatuor floribus picti. 26. Alii quatuor tapetes. 27. Equus coloris milvi, in Turcomannia natus patre *Hagi-Oghlir*, matre *Tasbas* dictâ. 28. Equus Turcomannicus coloris puniçei natus patre *Razza Mandmudi*, matre *Zulfâ*. 29. Equus è provincia Beidelenchi, patre *Razzâ Arondau*, jubis decorus, coloris gilvi. 39. Equus Arabicus, patre *Hadadi*, matre *Silavi*: ita Turcis in more poſitum, equorum ſuorum genealogias annotare. 31. Catenæ argenteæ duæ, alligandis in ſtabulo equis. 33. Leopardi duo, ſerico Perſiço floribus intertexto veſtiti, cateniſque argenteis circumdati, qui in ſolenni ingreſſu Turcici Oratoris equis ſic ornati inſidebant.

His ſuo nomine addidit Legatus Turcicus tres pretioſas veſtes more Turcico confectas pro Sereniſſimis tribus Archiduciſſis, ac totidem cidares plumis ardearum & adamantibus exornatas.

Tandem aliquando ſub auſpiciis Auguſtiſſimi Cæſaris Leopoldi I. poſt centum & octodecim annorum pertinacem erro-

rem

rem & grandem hiſtoriarum confuſionem concordia Calendarii ab Acatholicis inita eſt.

Die 1. Aprilis Galli juxta tractatus pacis Riswicenſis reſtituunt Briſacum.

Apud Proteſtantes in Dania, Svecia, & Hollandia magnæ fiunt collectæ pro exulantibus Hugonottis Galliâ expulſis, quorum pluſquam centum familiæ in West-India collata pecuniarum magnâ ſummâ à Kockio Anglicano Equite ampliſſimum terræ diſtrictum emerunt, quem Carolus II. Angliæ Rex Kockio in *Novâ Floridâ* donaverat, ubi colonias ſuas novi advenæ inſtituunt, eódemque mille & quingenti hoc anno iterum navigârunt, coloniarum numerum aucturi, & indies novæ familiæ eò ſe conferunt, in terras illa feris, volucribus, piſcibus abundantiſſima, inſuper glebæ fœcundæ, & culturæ agrorum apprimè idonea, etiam auri, argentique venis prædivite, rempublicam aliquam condituri, quæ ſui ſit juris, & nulli obtemperet, nec Gubernatorem admittat, ſoli autem Regi Angliæ juratâ fide obligetur, ſub cujus auſpiciis magnum etiam indies incrementum novis illis indigenis accedit, qui cuilibet advenæ centum jugera agrorum, vel ſuâ, vel famulorum, quos

quos conductitios secum adducere quivis potest, si velit, industriâ, suo usui & commodo colenda gratis assignat, & perpetui dominii jure possidenda, si modò capitalem summam dalerorum bis mille, aut milleſal tem secum contulerit.

Collectæ quoq; liberales fiunt in Anglia pro missione in eadem *Nova Florida* Verbi Ministrorũ, ut reformatam prætentam religionem inibi implantent, propediem instituenda. Quo D. Bray, cum 26. aliis Verbi Ministris jam segregatus est Superintendens futurus. Omnes haud dubiè etiam multiplicaturi gentem, & curæ sibi habituri tritum illud, *Crescite & multiplicamini.*

Magno luctu aulam Lusitanicam 4. die Augusti funestavit mors Sereniſſimæ Reginæ Electoris Palatini, & Ducis Neoburgici Wilhelmi filiæ, Augustiſſimæ Imperatricis Eleonoræ Sororis, quæ Petro Lusitaniæ Regi anno 1687. nupta fæcundi conjugii fructus quatuor Principes filios & duas filias in vivis reliquit: cum præcoce fato libitina unum rapuisset: cujus proinde tanquam matris meritiſſimæ de Sereniſſima domo, & pientiſſimæ simul ac prudentiſſimæ Reginæ obitum Rex afflictiſſimè tulit. Cui Cæsarea legatio luctum nonnihil temperavit,

Vix

Vix apricâ pacis introductæ serenitate nonnihil Europa enubilata est, & mortis dominantibus umbris iterum caligare incipit, novamque bellorum tempestatem minari, quando Hispaniarum Rex improlis moritur, die 1. Novembris anno ætatis 39. relicto testamento, de cujus valore & executione calamo & gladio litigat orbis. *Semper enim ubi in Principibus familiis nulli filii mares successores regni futuri, superstites manent, illic rerum mutationes, Reipublicæ perturbationes, ac ferè magnum Dei judicium solet expectari.* Danæus Polit. Christ: lib. 3. in Aphori.

Romæ in sacro officio vehementer agitatur controversia orta inter Missionarios è Societate JEsu in regno Sinensi, & quosdam aliorum Ordinum Religiosos, concernens cultum Confutii, in Sinensi Regno antiquissimum, & in populos longâ sæculorum serie, avitis traditionibus & usu continuo radicatum. Tenent autem & tanquam indubitatum in suis annalibus affirmant Sinæ, Confutium annis 500. ante Nativitatem Christi vixisse, & fuisse Sinensium veluti Aristotelem ac summum Philosophiæ Magistrum, à cujus doctrina magnum lumen toti Imperio Sinensi illuxerit, & æquissimarum legum, & vastissimi

Imperii gubernandi atq; conſervandi nor-
ma tradita fuerit, quem proinde ut magn^u
Sinenſis Imperii magiſtrum colunt, ob do-
ctrinam: ſuos autem progenitores venerantur ob vitam ab illis acceptam, ideo coram illorum tabellis ſive imaginibus, cereos accendunt, incendunt odores, offerunt animalia, ſues, capras, & ſimilia, profitentur tamen, tum Imperator, tum Mandarini, tum populus nihil ſe in Confutio vel progenitoribus divinitatis agnoſcere, neque aliud quidquam venerari, quo humanam naturam ſuperarent, & ad ordinem infinitæ divinitatis pertingerent, mereri autem ejus doctrinam ſpecialem cultum ab omnibus totius Sinenſis Imperii incolis, utpote perpetuũ quoddam tributum gratitudinis, rationi humanæ valde conformiter: quia Sinenſes docuit: I. Unum eſſe Deum, ſive, ut ipſi loquuntur, Regem cœli, II. Incumbere cuilibet homini virtutem ſectari, & lumen à natura inditum non extinguere, vitiis, quæ virtutibus repugnant locum & imperium in ſemetipſo concedendo. III. Parentibus defunctis & majoribus honorem deferendum etiam poſt mortem, eorum ſepulchra viſitando & ornando: propter hanc (Chriſtianæ legi nequicquam diſformem) ethicam ipſo naturæ

turæ lumine manifeſtam & ſcriptam in cordibus hominum tantæ æſtimationis Confutius eſt apud Sinas, ut in ordinem Mandarinorum (qui ſunt ſupremi Imperii miniſtri) nemo admittatur, niſi in hac Confutii Philoſophia exercitatus diſcipulus, digniſſimum ſe magiſterii laureâ præbuerit, unde etiam à litteratis quovis novi- & plenilunio redeunte veluti academicâ quâdam feſtivitate adornatâ, memoria magni hujus magiſtri celebratur. Voluerunt Miſſionarii è Societate JEſu & quantis potuêre conatibus (citra damnũ tamen novellarum plantarũ Chriſtianitatis) hanc inveteratam conſuetudinem eradicare allaborârunt, cùm verò experirentur manifeſtum periculũ, ne cum zizaniis (apparenter ſaltem talibus) bonum ſimul triticum evellerent, aliunde etiam experientia certâ ſcirent, has ceremonias eſſe meras politicas ac civiles, conſultum omnino judicârunt, Neophytis ſuis hos ritus potiùs permittere, quam intempeſtivo zelo eos abominando & prohibendo populum, & Mandarinos, ac Imperatorem, adverſus Chriſtianam legem irreconciliabili odio inflammare, cum ingenti jactura rei Chriſtianæ. Hinc factum eſt, ut quidam, quos

zelus comedit (ſupponimus benignè, bonum zelum fuiſſe) illi ubiqúe clamitare cœperunt contra idololatriam Chriſtianorum Sinarum, quam Jeſuitæ illorum Magiſtri docerent licitam eſſe, & confirmarent & propugnarent, & totam fere Europam terruerunt ſuis clamoribus, uſqúe ad Pontificiam ſedem pertingentibus, quibus hæretici illicò adhinnierunt, Jeſuitas Idololatras cuſis & recuſis libellis, affatim maledicentiæ ſuæ toxico infectis, & mendaciſſimarum calumniarum fermento æſtuantibus paſſim perſtringentes & execrantes. Quibus Miſſionarii è Societate, in calumniis æquanimiter tolerandis, & fortiter ſimul invictæ veritatis clypeo elidendis exercitati, ſuas apologias oppoſuerunt, & ſolidis fundamentis innixi, negant & pernegant hos Sinenſes ritus idololatriam eſſe, quia certo illis conſtat in China Confutium non haberi pro Numine, multo minus progenitores mortuos: unde quoqúe infallibilis conſequentiæ neceſſitate certum habeatur, neqúe Confutium, neqúe progenitores ejus veris templis, veris altaribus, & veris ac propriè dictis ſacrificiis coli, adeoqúe Chimericam idololatriam eſſe, cujus Societatis JEſu Miſſionarii in China, tanquam rei

&

& convicti per Europam proclamantur & infamantur. Insuper ingenuè & ut S. Matris Ecclesiæ filios decet, fideliter profitentur accuratâ veritatis indagine præmissâ, quovis tempore Romanæ sedis arbitrio se se obtemperaturos esse, nôrunt enim, & tanquam fide certũ omnes Societatis Missionarii & Doctores docent, *non esse facienda mala, ut eveniant bona.*

Et quidem in hunc finem, pro veritatis agnitione & defensione Missionarii Societatis JEsu qui Peckini degunt, humillimè ad sedem Pontificiam retulerunt explanationem rituum Sinicorum, & sensum tum Imperatoris Sinensis, tum subditorum, secundùm quem, talis tum Confutio, tum etiam progenitoribus cultus exhibetur. Testimonium insuper, suæ explanationi (priusquam illa Sanctissimo Patri ac Christi in terris Vicario transmitteretur) ab ipso Imperatore Sinensi, & præcipuis Mandarinis, de veritate suæ explanationis & Sinensium unanimi consensu expediri curaverunt: quod in hæc verba decretum, atque unà cum litteris Patrum Missionariorum die 2. Decemb: anno 1700. exaratis, transmissum, & sanctissimo Pontifici Clementi XI. Romæ porrectum est.

IMPERATORIS SINENSIS Decretum ſuper explanationem rituum pertinentium ad Confutii cultum Sinenſibus uſitatum.

QUæ in hoc ſcripto continentur optimè ſcripta ſunt, planeque concordant cum magna Doctrina Confutii. Cœlo, Dominis, Parentibus, Magiſtris, ac proavis debita obſequia præſtare, iſta orbi univerſo communis lex eſt. Ea quæ in hoc ſcripto continentur ſunt veriſſima, neque egent ullâ prorſus emendatione. Anno Kamhii 39. die 30. Lunæ ſive 30. Novembris Anno 1700.

Subſcripſerunt ſe litteris ad ſedem Apoſtolicam unà cum hoc Imperatoris teſtimonio ſuper veriſſimam rituum explanationem tranſmiſſis, Miſſionarii, qui Peckini morantur, è Societate JEſu, & agrum illius novellæ Eccleſiæ laboriosè & ſollicitè colunt ac plantant.

Phi-

PHILIPPUS CRIMALDI, Collegii Rector & V. Provincialis.
ANTONIUS THOMAS, Superior Domûs Orientalis, Belga.
THOMAS PETERA, Lusitanus.
JOSEPHUS FRANCISCUS SCARILLON, Gallus.
JOSEPHUS SVARETZ, Lusitanus.
KILIANUS STUMPFF, Germanus, Franco, Herbipolensis.
JOACHIMUS BONVETT, }
JOANNES BAPTISTA de Regis } Galli.
LUDOVICUS PERNON, }
CAROLUS DOLCE, }
DOMINICUS PARRENI, }

Igitur neque heterodoxi sibi in hac Controversia Catholicorum Doctorum, & quidem religiosorum virorum, tanquam de divisione in unitate fidei facta applaudant, neque Catholici, non priùs perlectis doctis apologiis, ac ritûs hujus, seu cultûs Confutiani elucidationibus, sinistro aliquo affectu, ad censuram contra dictos Missionarios ferendam abripiantur.

Magnum Jubilæum hujus anni magnâ etiam pietate & populi ingenti concursu Romæ celebratum est, ita ut subinde uno tempore peregrinorum octuaginta millia intra urbem simul convenisse, deprehensum sit. Pietatis etiam & Charitatis opera à summæ & infimæ conditionis hominibus miram vim habuerunt in pertrahendis animis intuentium, & ad æstimationem de Catholica Ecclesia ingenerandam. Veneti, Florentini, Viterbienses, aliique suos majori Romanæ peregrinantium sodalitati confœderatos cœtus numeroso comitatu induxerunt, seque mutuis exemplis pietatis & charitatis ad majorem Dei cultum, & animæ suæ salutem hoc anno gratiarum studiosiùs & fructuosiùs operandam accenderunt.

Inter alia Principum virorum pietatis pubilcæ exempla, Poloniæ Regis filii Principes, Alexander & Constantinus, non erubuerunt nomen suum dare agonizantium sodalitati, & conductus funebres mortuorum ad sepulchra publicè aliquoties comitari, quos etiam, uti & natu majorem fratrem illorum Jacobum, qui & ipse una cum matre Regina Romæ aderat, tum Pontifex, tum alii Principes quidam donis submissis magnificè honorârunt.

præ-

Præter Principes Ditterichſteinium, Ducem Parmenſem, Antonium Ducem Mutelonenſem, Principes Naſſovios Saarbruckenſes, Principem Lubomirſcki, Ducem de Altona, Marchionem de Vaſto aliosque permultos, Dux quoque Florentinus devotus ſpectator & promotor eſſe voluit communis Chriſtianæ pietatis, qui ſecundo die feſto Pentecoſtes, magnâ devotione, reverentiæ demiſſiſſimæ conteſtatione genuflexus per ſanctos gradus aſcendit, & ſequente Sabbatho in Laterano coram expoſitis DD. Petri & Pauli capitibus cultu priùs exhibito, ardenter expetiit ſacras reliquias Chriſti Domini, faciem ejus linteo impreſſam, lignum ſacroſanctæ Crucis, lanceam, & ſimilia contemplari, cum autem hæc laicis cominùs monſtrari non ſolerent, priùs à Sumo Pontifice ad S. Petrum in Vaticano Canonicus declaratus eſt (quod ipſum aliàs Carolo V. à Pontifice Clemente VII, & Joanni Poloniæ Regi à Clemente X, & Reginæ Sveciæ Chriſtinæ ab Alexandro VII, collato priùs ſimili titulo, indultum fuit) & ſic voti ſui compos redditus, cultu reliquiarum religioſè peracto, Canonicatum, quem à Pontifice accepit, in ejuſdem manus, confecto deſuper inſtrumento reſignatio-

gnationis, abdicavit, ac ſuperpelliceum & pluviale, aliaque paramenta pretioſa ſacriſtiæ, & liberales eleemoſynas pauperibus erogavit, cui viciſſim Summus Pontifex S. Stephani Pontificis & Martyris ligneam ſedem ſanguine Martyris etiamnum conſperſam dono dedit, quæ duos dies Damaſcenâ rubrâ telâ cooperta, conſpectui & venerationi populi expoſita fuit, atque à Magno Duce Florentiam die 11. Junii translata eſt, tanquam mnemoſynon piæ hujus peregrinationis in Anno Jubilæo obitæ, ac Pontificiæ benignitatis ſummo utriuſque tum Magni Ducis, tum Summi Pontificis gaudio & præſtitæ, & redditæ mutuæ benevolentiæ conteſtatione.

A Jubilæo ſæculari ad Jubilæum perenne (quemadmodùm de Pontifice de Eccleſiâ optimè merito ſperare licet) à Deo evocatus eſt die 27. Septembris Innocentius XII. anno ætatis ſuæ octuageſimo ſexto, poſtquam decem annis Pontificatu difficillimis temporibus magnâ prudentiâ & pietate perfunctus eſt. Exequiæ apparatu magnifico celebratæ, & caſtrum doloris erectum, quod acta præcipua & virtutes optimi Pontificis inter mille & ducentos cereos picturis elegantibus exprimebat.

In ſuperliminari fornicati operis amplis cha-

characteribus exaratis legebatur supra effigiem Innocentii à quatuor partibus expositam: INNOCENTIUS DUODECIMUS PONTIFEX MAXIMUS. Pars anterior repræsentabat sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in solenni Theophoria processionaliter portatum, cum inscriptione: *Sanctissimi viatici cultu amplificato.* Pars posterior exhibebat Innocentium sedentem in throno, & Crucifixi imaginem variorum Ordinum Religiosis flectentibus porrigentem, cum inscriptione: *Religione in Æthiopiâ & Americâ propagatâ.* à latere verò uno, in simili throno considens Innocentius aures præbebat variis Legatis Orbis Christiani, aliisque diversorum statuum & conditionis, cum inscriptione: *Aperto semper ad Principem aditu.* In latere altero schema depictum erat, pecunias ad castellum S. Angeli in æream cistam undequaque comportantium, cum inscriptione: *Ecclesiastico ærario notabiliter aucto*: integrum enim millionem in hoc ærarium invivis intulit, optimus Ecclesiæ œconomus, providus ad instantes & futuras necessitates. Ad quatuor angulos castri doloris quatuor itidem in sublime, septuaginta octo pedum longitudine assurgentes pyramides constructæ erant; in prima proponebatur

batur magnifica domus Senatoria, sita in citatorio & ab Innocentio ædificata, cum inscriptione: *Litigantium commoditati.* In secundâ, domus duæ telonariæ, ab Innonocentio locatæ terrâ, mariqúe, cum epigraphe: *Vectigalium pretio pauperibus erogato.* In tertia prostabat ab Innocentio ad S. Michaëlem ad littus constructum orphanotrophium, cum epigraphe: *Puerorum miserabilium institutioni.* In quartâ cernebatur portus ad Ancianum cum inscriptione: *Navigantium securitati.* Et hæc quidem ad pedes assurgentium pyramidum, in medio autem & ad angulos cujuslibet pyramidis alia emblemata intermixtis parergis variis & insignibus Pontificis curiosè intuentium oculos pascebant. In horum uno depictus erat ignis, in quem libri damnatarum opinionum feraces conjiciebantur, cum inscriptione: *Damnata novarum opinionum audacia.* In 2. Aurea Porta à Pontifice aperta, cum inscriptione: *Anni Sæcularis inductio.* In 3. Pontifex juxta castellum diversis pileos, & Cardinalatûs insignia atque honores distribuens, cum inscriptione: *Dignitatibus solo meritorum suffragio distributis.* In 4. inter populum panis liberaliter distribuebatur, cum inscriptione: *Annonæ censu liberaliter dimi-*

nuto

nuto. Et hæc funebris machina elegantissimè per omnia elaborata spatio tantùm quinque dierum cum admiratione die sexto Octobris consummata & illuminata spectabatur, quam ideò hîc latiùs inferere libuit, quia optimè de Christianâ republicâ meriti Pontificis virtutes adumbrat.

In vacantem Pontificiam Sedem Collegii Purpuratorum Patrum, & Ecclesiæ Principum æquissimo calculo evectus est die 23. Novembris Giovanni Francisco Albani, natus in hunc mundum anno 1650, qui nomen Clementis XI. assumpsit, de cujus eximia prudentia, pietate, & perspectâ virtute meritò Ecclesia Catholica sibi applaudit: cui Deus suam protectionem, benedictionem & faustitatem.

Die 30. Novembris à Cardinali Bouillonio, Purpurati Collegii Decano Clemens XI. in Episcopum consecratus est, quod à temporibus Clementis VIII. factum non est, cùm omnes ante electionem suam Episcopi consecrati jam essent; die autem 8. Decembris cæremoniis consuetis in Vaticano coronatus est, & post coronationem suam in comitatu omnium Cardinalium ad Jubilæum lucrandum quatuor Ecclesias devotè visitavit, & gradus sanctos ascendens, singulos genuflexus osculatus

est,

est, humillimâ veneratione ; ac demùm pridie Nativitatis Christi Annum Sanctum consuetis Ecclesiæ cæremoniis terminavit. Nimirùm in vigilia Nativitatis Christi post finitas vesperas iterum, sicut in apertura PORTÆ SANCTÆ solenniſſimâ processione itum est ad limina PORTÆ SANCTÆ, & inter Ecclesiæ preces usitatas postquam ipse Summus Pontifex, & post Pontificem summus Pœnitentiarius in medium liminis ingressum ipsius PORTÆ SANCTÆ calcem benedictam trullâ, sen cochleari argenteo conjecit, ternosque benedictos lapides posuit, etiam monetæ argenteæ hujus anni diversas sortes suppositit, vel inseruit: tum in altum latumque murus erectus est, quod idem in aliis Ecclesiis eodem tempore à Cardinalibus Bouillonio, Pamphilio, Moreggia simili ritu peractum est. Et hic demum actis Deo gratiis, inter boantiatormenta, & campanarum compulsatarum sonitum, Jubilæi Sæcularis per Orbem Christianum celebrati, anno à Nativitate Christi MDCC. ac simul JUBILÆI ECCLESIÆ PER SEPTENDECIM SÆCULA MILITANTIS compendiosâ rerum gestarum synopsi in angustis paginis exarati

FINIS.

IN-

INDEX,

Numerus paginam indicat.

A.

*A*Cademia Curiosorum instituta 487
*A*drianus VI. Pontifex 42
Æthna horribiles flammas eructat 187
Alascus hæresiarcha 129
Albanus Dux compescit rebelles in Belgio 167. 174
Alemannus hæreticus 161
Alexander VII. Pontifex veneno sublatus 6
Alexander Farnesius contra Regem Navarræum assistit Parisiensibus 229. 221
Alexander Medicæus per insidias occisus. 93
Algerii 33. 409. 466. 494.
Almeida Indiæ Pro-Rex 14
Amædæus Sabaudiæ Rex deficit à Cæsareo fœdere 545
Ambianum stratagemate occupatum 232
Anabaptistæ hæretici 58. in sectas divisi 184
Anglia rebellis Regibus suis. 353. 355. 358. 373. redigitur iterùm in formam regni à Muckio. 397. 399.

Angli occultè favent Jacobo Regi expulso. 570
Anna Bolena nupta Regi Angliæ 73.84.93
Antinomi hæretici 149
Argentoratum Gallis deditum 464
Augustana Confessio 76
Aurantius Princeps Geusiorum in Belgio Protector & confœderatus 182. 197.200

B.

Bajus retractat sententias suas 183
Balthasar Pacimontanus hæresiarcha 87
Barbarossa 83.89.91.115
Barockæ, sive ficta capillitia, prohibita ab Hispanis 422
Baronius Cardinalis & Historicus 264
Basilica Vaticana ædificata 112
Belgradum à Cæsareis occupatum 493
à Turcis recuperatum 504
Bellum rusticum 49
Bellum Schmalkaldicum 121
Belli damna ad Rhenum 574
Beza hæresiarcha 132
Bironius Dux in Gallia capite plexus ob rebellionem 253
Bohemia contra Ferdinandum Cæsarem rebellit. 291. 294. 299
Bonna à Montecuculio expugnata 442
iterum à Duce Lotharingiæ Gallis erepta. 484
Borgia Dux Valentinus 4

Borry hæreticus 439
Brandenburgicæ confessionis articuli 275
Brema Brandenburgico subjicitur. 321
Brentius sectarius 110
Bruniſtæ & Brochtuniſtæ sectarii. 287
Bucerus sectarius 79
Buda à Christianis expugnata 442
Bullingerus sectarius 130

C.

CAliſium Gallis ereptum ab Anglis 145
Calendarium Gregorianum 198. 199
Calvinus & Calviniſtæ 86.91.95.99
Calvinianæ hæresis varii rami ac sectæ. Metaphoriſtæ 248. *Anti-Puritani* 249. *Irenici, seu Pacifici, ibid. Arminiani.* 250. *Worſtiani, ibid. Sibandrini,* 252
Calviniſtarum conventiculum in Gallia 255
Dordraci 296
Calumniantes sectarii 583
Campana memorabilis 247
Caniſium munimentum à Turcis occupatum. 242
à Christianis recuperatur 503
Cantones Helveti 81
Caprara Dux Cæsareus Hungaros rebelles premit 463.433
Capuccinorum Ordo inchoatus 50
Carlſtadius sectarius 61
Carmagniola à Cæsareis expugnatur 512

Carolus V. Imperator 38. 29. 75. 117. 120. 121. 127. 137. *Imperio se abdicat,* 142 *moritur* 146
Carolus Sveciæ Gubernator per tyrannidem sibi Sveciæ regnum usurpat. 232. 236. 247. 259. 263
Carolus I. Rex Britanniæ 340. 349. 352. *capite ab Anglis perfidè truncatur* 368
Carolus II. Angliæ Rex 372. *ab exilio revocatur* 399. *Rex coronatur* 402. *Catholicè moritur.* 477.
Carolus II. Hispaniæ Rex 403. *ejus erga SS. Eucharistiam reverentia,* 476. *nubit Neoburgicæ,* 506. *moritur.* 601
Carolus Mantuæ Dux 419
Carolus IV. Lotharingiæ Dux à Gallis suâ ditione pellitur, 435. *multos nobiles Gallos cedit,* 445
Carolus V. Lotharingiæ Dux Philipsburgum expugnat, 452. 455. *exercitum ducit contra Turcas,* 467. 472. 473. *Moguntiam à Gallis recuperat,* 499. *moritur* 503
Caroloregium à Luxenburgio expugnatur 534
Casale obsessum à Spinola 331. 351. *occupatur à Gallis* 464. *recuperatur à Cæsareis* 540
Casimirus Regis Poloniæ frater intercipitur à Gallis 347. *fit Societatis JEsu* 362. *fit Rex Poloniæ* 372. *regno renunciat* 423. 427
Castellio sectarius 129
Castrum doloris Innocentio XII. Romæ erectum. (608

Ca-

Catalaunia contra Hispanos rebellat. 351. 352
Cavallerii sectarii 541
Cherifforum Imperium fundatur à monacho Mahometano 21
Chiliastæ hæretici 549
Christiernus Daniæ Rex deficit à Catholicâ Ecclesiâ 39. 40. 42
Christina Regina Sveciæ 372. 384. 386. 399. 420. 501
Circuli Imperii Romani 21
Classis sumptuosissima Philippi Hispaniæ Regis perditur 209
Cleselius Cardinalis captivus tenetur à Ferdinando Imperatore 292. 323
Columbus circumnavigat Orbem 11
Cometa prodigiosus 464
Concilium Lateranense 23. 26. 28. 31. 34
Concilium Tridentinum. 92. 114. 117. 121. 156. 157. 158.
Concilium in Gallia contra Pontificem 18
Condæus in Gallia surgit contra Regem 207 296. 363
Confutius qualis apud Sinas, & quis ejus cultus 601
Conspiratio pulveraria Londini 262
Constantinopolis terræ motu magnâ parte diruta. 15
Controversia de auxiliis gratiæ inter PP. Dominicanos & Societatem JEsu. 252. 259. 262

Convivium memorabile à Burghesio Principe Pontifici Innocentio XII. adornatum 558
Cotonus Henrici IV. Regis Galliæ Confessarius 257
Coppinus sectarius 63
Cornartistæ sectarii 272
Cratoaldus sectarius 133
Crequius Legatus Ludovici XIV. Regis Galliæ malè Romæ habitus, unde magnum dissidium inter Pontificem & Galliæ Regem 407
Cromvellus tyrannus Angliæ 359.385.396
Cruces sanguineæ apparent miraculosè in vestibus 4
Crucis Roseæ Fraternitas 305
S. Crucis particula in incendio aulæ Cæsareæ mirabiliter servata 425
Cyrillus Constantinopolit. Patriarcha addictus Calvinistis Anglis 325.345

D.

Davidiani hæretici 66
David Cithræus sectarius 163
Deistæ sectarii 159.309
Delphinus Galliæ nascitur 402
Dominicus Ottomannus frater Imperatoris Turcarum, factus Christianus & Dominicanus 415.
De Domnis apostata nefarius 304
Donawerda tumultuatur contra Catholicos 263

Dra-

Dracus Anglus pirata celebris. 184. 202. 206
Duella severè prohibita in Gallia 253

E.

Eclipsis solis memorabilis 260
Effrontes sectarii 109
Elisabetha Angliæ Regina 149. 201. 204
Enthusiastæ sectarii 58
Equites S. Mariæ de Carmelo 275
Erasmus Roderodamus 38
Erfordia Moguotino Electori rebellis 405. 411. 415
Ericus Rex Sveciæ à suis depositus 161
Estræa ab Henrico IV. Galliæ amata, ejusque in morte deformitas 238
Eucharistia miraculo illustrata 19
Eugenius Sabaudus victoriosus contra Turcas 555

F.

Fama-Augusta occupata à Turcis 170
Fanatici sectarii in Anglia 405
Farellus hæreticus 87
Farfaxius Angliæ tyrannus 360. 363
Ferdinandus Hispaniæ Rex 2
Ferdinandus Rex Romanorum 80. 146
Ferdinandus II. Austriacus à Mathia Imper. adoptatus 287. 291. *vincit Palatinum Electorem & rebelles Bohemos gloriosâ victoriâ*

Florid 299. *à variis bello appetitur* 324.335
moritur 345
Ferdinandus III. 390
Ferdinandus Magellanicus 40
Finckius proditor Budæ supplicio afficitur 487
Flaccus Illiricus sectarius 152. 162
Florida detecta 24. *nova Florida ab Hugonotis Galliâ expulsis coli cœpta* 600
S. Franciscus de Paula 12
S. Franciſca Romana 265
Franciſcus I. Rex Galliæ in pugnâ ad Papiam captus à Cæſarianis 47. *libertati reſtitutus.* 69 72. *fœdus init cum Turcis* 94. 114. 124.
Franciſcus II. Rex Galliæ 152
Frangipanus conſpirationis reus in Cæſarem, capitur 432. *capite plectitur* 436
Fridericus Rex Neapolis regno ſuo à Gallis & Hiſpanis exuitur 2
Fridericus Saxo captus à Carolo V. 137
Fridericus Palatinus Elector nubit filiæ Regis Angliæ, 280. *acceptat coronam Bohemiæ,* 295. *Proſcribitur à Ferdinando Imperatore,* 296. *bello vincitur & fugit,* 299. 313. 314
Fridericus Saxoniæ Elector Cæſareis copiis præficitur in Hungaria, & fortiter pugnat contra Turcas, 543. *fit Catholicus, & Rex Poloniæ eligitur* 551
Funckius ſectarius 162

Fürſtenbergius Princeps & Cardinalis 437 443.462

G.

Gabriel Battorius Tranſylvanus deficit ab Eccleſiâ 264. 281
Gabriel Bethlehemus 281.295
Galaſſus Dux Cæſareus 342
Galli ex Neapolitano regno expulſi 6
Gallia motibus inteſtinis turbata 283 287.297.333
Galilæus Florentinus motum terræ circa ſolem pertinaciter & cum errore defendit 341
Gandia obſeſſa à Turcis 421.426.428. *occupatur* 438
Genua à Gallis infeſtata 13.441.474
Georgius Dux Saxoniæ Catholicus 96
Geuſiorum in Belgio origo & inſolentia 165.177
Goa Indiæ urbs primaria facta Chriſtiana 20 *obſeſſa liberatur ingenti facinore alicujus Chriſtiani* 24
Gommariſtæ ſectarii 271
Gonſalvus Neapolitani regni Gubernator potens 12
Græcorum ſacerdotum ritus in Hungaria permiſſus 533
Guſtavus Rex Sveciæ invadit & affligit Germaniam 327.333.335. *occumbit in pugna* 337

Guisius impugnat Hugonottas 156

H.

Hadrianistæ sectarii 272
Heidelberga à Tillio capta, 313. *capta & accensa à Gallis* 497. 528
Henricus VIII. Rex Angliæ, 17. *uxorem repudiat & deficit ab Ecclesia*, 72. 85. 86. 90. 96 98. *moritur* 123
Henricus II. Rex Galliæ adversatur Pontifici, 137. & *Carolo V.* 138. 141. *læditur in hastiludio, & moritur ex vulnere* 150
Henricus III. Rex Poloniæ, & mox Galliæ 174 175. 207. 211. *à monacho quodam cultro occiditur* 212
Henricus IV. Galliæ Rex 213. *addictus Hugonottis* 215. *excluditur à Parisiensibus* 217. 222. *fit Catholicus* 223. *coronatur & Parisios ingreditur*, 225. *cultro à Castello sceleratо nebulone in facie vulneratur* 227. *dèmum in via publica cultro occiditur* 267
Henricus Carnetus Jesuita ab Anglis ob fidem occisus 261
Hercules Coxa sectarius 408
Hermensteinium à Trevirensi Electore Gallis traditum 338
Heuslerus Dux Cæsareus captus à rebellibus 513
Hicmannus sectarius 309
Hispani Neapoli dominantur, 9. *paciscuntur* cum

cum Lusitanis de regno Portugalliæ 426
Hollandi primâ vice navigant in Americam, 237. fœderantur cum Turcis, 280. sæviunt contra Catholicos in Brasilia 324
Hugonottæ insolescunt in Gallia 153. 156. 167. 168. cæduntur, 172. iterum rebellant, 173. 176. Gallia expulsi in nova Florida colonias erigunt 600
Hungaria primò hæresi infecta, 136. rebellat, 458. 465. Beatissimæ Virgini ab Augustissimo Leopoldo solenni voto dedicata 523

I.

Jacobus Præpositus sectarius 58
Jacobus Rex Scotiæ insidiis appetitur 240
Jacobus Rex Angliæ regno expellitur à patruo suo 496. 500. 509. 539
Jansenistæ 393
Japoniæ Legati venerantur Pontificem 201
Jaurinum à Schwartzenbergio occupatur 234
Jesuitæ calumniis Parisiis exagitati, 226. 227 è regno proscribuntur, 228. honorificè recipiuntur, 257. 294. proscribuntur Venetâ ditione 261. honorificè recipiuntur 392. accipiunt stabile Collegium apud Turcas Galatæ, 265. stabiliuntur Constantinopoli, frustrà obnitentibus apud Portam Ottomannicam Hollandis 329. calumniis per Rom: Imperium traducti, publico decreto vindicantur ab Augustissimo Imper. Leopoldo. 557 Igna-

Ignatius de Lojola 41. 144
Ignatius Acebedius cum 38. è Societate Jesuin odium fidei ab Hollandis submersi 169
Illuminati hæretici 315
Imago B. Mariæ Virginis Bözensis miraculosis lacrymis celebris 557
Immortales & Invisibiles hæretici 305
Incendiarii multi capti 511
Innocentius XI. constanter opponit se prætensis juribus, aut abusibus à regiis Legatis introductis 456
Interim *& Interimistæ Lutherani* 112
Joannes Austriacus Belgii Gubernator 178 *fortiter Geusiis resistit*, 179. *expugnat Eboram, & cæditur à Lusitanis* 411
Joan de Werdt Dux Cæsareus 344. 345. 356. 366
Joannes III. Rex Lusitaniæ 144
Jonas coquus Lutheri, sectarius 133
Josephus I. Rex Romanorum nascitur, 458 *coronatur Rex Hungariæ*, 489. *Rex Romanorum*, 502. *nuptias celebrat cum Hannoveriana* 575. *reverens erga Eucharistiam* 476
Jubilæum suæ sectæ celebratur à Lutheranis 290
Jubilæum Romæ magnâ pietate transactum, ejusque solennes ceremoniæ 584. 605
Judæi Viennâ ejecti 433
Julius II. Pontifex 15

K.

Königsmarckius grassatur in Germania 354

L.

Ladislaus Hungariæ Rex 32
Lanionum Parisiensium ferocia 267
Lapis prodigiosus cœlo delapsus 22
Lavardinus Galliæ Orator Romæ excommunicatur ab Innocentio XI. 490
Legatio Regis Ludovici XIV. Gall: ad Sianenses 478. Sianensium ad Ludovicum 486
Legatio Leopoldi Imper: ad Ottomannicam Portam, & vicissim 589
Leo X. Pontifex 35. 38. 41
Leopoldus I. Imperator nascitur 350. inauguratur Rex Hungariæ, 385. coronatur Francofurti Imperator Romanorum, 391. nubit Hispaniæ Infanti, 420. insidiis appetitur 424. 433. mortuâ Margaritâ conjuge nubit Claudiæ Tyrolensi, 440. mortuâ Claudiâ nubit Neoburgicæ Eleonoræ Magdalenæ, 453. variis præliis contra Turcas triumphat, 472. 479. Hungariam voto solenni Deo & B. M. V. dedicat 523
Leodiensis Episcopi electio causat dissidium 532
Leslæus Legatus ad Portam Ottomannicam 417
Libertini hæretici 63
Liga rusticorum 5
Lippa occupata à Cæsareis 492. recuperata à Turcis 538.

Locu-

Locustarum copia ingens 204
Lucilius sectarius 307
Ludovicus Hungariæ Rex cæsus à Turcis 67
Ludovicus XIII. Rex Galliæ 246 269. *nuptias celebrat cum Infante Hispaniæ* 285 *moritur* 255
Ludovicus XIV. natus, 348. *regni gubernium incipit*, 376 *Hugonottas persequitur*, 287 *nubit Mariæ Theresiæ Hispanæ* 398. *promovet religionem Catholicam*, 406. *cum Pontifice propter malè tractatum Romæ Legatum suum Crequium disceptat*, 407. *bello infestat Belgium & Germaniam*, 423. 441. 448. 470. 489 493. *mittit dona Ecclesiæ Argentinensi*, 579
Ludovicus Marchio Badensis victoriosus contra Turcas, 510. 599. *contra Gallos ducit exercitum* 514. 528
Lusitani præliantur fortiter in India 10
Lusitaniæ Rex Sebastianus in prælio contra Mauros occumbit 180
Lusitaniæ Rex fanaticus 203. 247.
Lusitaniæ regnum à pluribus competitur 181
Lutheri hæresis initium 35. 37. 40. 45. 46. *errores Lutheri & sectariorum ejus*, 50. 112 113. *Lutherus moritur* 120
Lutherani instituunt conciliabula 75. 92. *Jubilæum celebrant* 290. *bellum gerunt contra Catholicos in Germaniâ* 265

Luthe-

Lutherani in varias sectas divisi, ut sunt Jenenses, 184. *Justificatorii, ibid. Pastillarii*, 185 *Interimistæ* 185. *Adiaphoristæ, ib. Antiaphoristæ, ibid. Anti-Lutherani, ibid. Semi-Lutherani, ibid. Belliani*, 186. *Molles*, 77. *Heshusiani*, 186. *Boquini*, 185. *Richeriani*, 186. *Campanistæ ibidem. Herbstedii*, 187. *Schwenckfeldiani, ibid. Anti-Schwenckfeldiani, ibid. Nudipedes*, 188. *Mennonitæ, ibid. Liberi, ibid. Hutitæ, ibid. Ambrosiani, seu Pnevmatici*, 189. *Augustiniani, ibid. Melchioritæ, ibid. Monasterienses, ibid. Clancularii, sive Fratres hortenses*, 190. *Manifestarii, ibid. Batularii, seu Stebleri, ibid. Scripturarii, ibid. Ollarii, ibid. Pacifici* 191. *Pastoricidæ, ibid. Sanguinarii, ibid. Antichristiani, ibid. Sabbatharii*, 192. *Communia habentes, ibid. Condormientes, ibid. Ejulantes, ibid. Significativi ibid. Tropistæ, ibid. Energici* 193. *Arrhaborarii ibid. Adessenarii, ibid. Metaphoristæ, ibid. Iscariotitæ, ibid. Laicocephali*, 193. *Neutralistæ, ibid. Manusimpositorii*, 194. *Bissacramentales, ibid. Sepulchrales, Ibid. Infernales, ibid. Invisibiles* 195. *Bibliistæ ibid. Pœnitentiarii, ibid. Athei, vel Epicurei, ibid.*

Luxenburgum à Gallis obsessum 466

M.

Magdeburgum occupatur à Tillio 334

Majoristæ sectarii 148
Maltenses, sive Melitenses Equites 76
Mammelucci quales sint, & unde 34
Mansfeldenses sectarii 149
Mansfeldius 326
Mantua occupata à Cæsarianis 331
S. Maria de Victoria 171
Mariæ Stuartæ 145. 152. 159. 166. 167. *jussu Elisabethæ Angliæ Reginæ capite plexæ* 204
Mathiæ Archi-Dux Austriæ Hungaris concedit religionis libertatem 279. *fit Imperator, ibid. adoptat Ferdinandum* 287
Matutinæ Gallicæ oppositæ Vesperis Siculis 172
Mauritius Princeps assistit Geusiis. 232. 240. 258
Maximilianus Imper: 369
Maximilianus Wilhelmus Bavariæ Elector 375
Mazzarinus in Gallia Richelii successor 355 377. 382. 403
Medicæus factus Pontifex 25
Mediolanum occupatur à Gallis, & à Maximiliano recuperatur 92
Melanchton sectarius 77
Mercerus Anabaptista 308
Messinenses tumultuantur 445. 450. 459
Michaël Thuringius Pseudo-Propheta 273
Miles armatus monstrosè nascitur Magdeburgi 334
Moguntia à Lotharingiæ Duce expugnata 499

Molinæus 111
Monasterienses rebellant. 85
Monasterienſis Epiſcopus bellum infert Hollandis. 416
Mongatzium expugnatur à Cæsareis 491
Morinus hæreticus 412
Moſchoviæ Zaarius mittit legationem ad Pontificem, 441. *& ad Cæsarem, quem ipſe viſitat in propriâ perſonâ Viennæ* 570. *humaniſſimè ibidem excipitur, ſed turbis in abſentia ejus commotis, in Moſchoviam redit, & turbulentos ſeverè plectit* 578
Muckius Angliam reſtituit in formam regni. adſcito Carolo II. legitimo Rege 397
Müntzerus ſectarius 58
Munera Imperatoris Leopoldi ad Turcarum Imperatorem, & viciſſim ad Leopoldum tranſmiſſa. 590

N.

Nadaſtius Comes perduellionis reus 432
capite plectitur 436
Namurcum à Gallis occupatum 515
recuperatur à confœderatis 540
Neapolitanum regnum Gallorum & Hiſpanorum præda 5. *utriuſq; gentis diſſidiis turbatur, ibid. fit regnum tantùm Hiſpanorum* 18
Neapolitani rebellant, duce rebellionis Agnello, vulgò Maſomelo, 363. *detegitur proditio* 530

Neoburgicus Dux Wilhelmus Catholicam fidem publicè profitetur 282.
Neodomus, sive Neuhäusel à Turcis occupatur, 410. *à Christianis recuperatur* 479
Neomagi pax concluditur Gallum & Svecum inter & Imperatorem, Hispanos ac Hollandos. 460

O.

OAthes mendax calumniator in Angliâ Catholicos falsò conspirationis accusat 463
Obeliscus mirabilis inventus Romæ 204
Ordo S. Spiritûs 180
Oecolampadius sectarius 62
Oetingensis Princeps Legatus ad Turcas. 589
Osiander & Osiandrini hæretici 134
Ostenda obsessa à Spinola, & expugnata 247

P.

PAcimontanus sectarius 87
Palatinatus Rheni à Gallis incendiis fædis vastatur 501
Palisotus contra Turcas fortiter propugnat Melitam 163
Parisienses contra Henricum IV. insurgunt 216 218
Parisiis turbantur omnia 118. *turbæ propter Condæum*, 373. 376. 378. 379. *turbæ propter Prusellum* 371
Parmensis Dux resistit Geusiis in Belgio, & capit Antwerpiam 202. 216 *Pau-*

Pauli IV. Pontificis nepotes juste & severè puniti 150
Paulinorum Ordo 85
Paulus Servita pro sancto perperàm colitur 325
Pax Riswicensis 563. *Parisiis solenniter promulgata* 568
Pax inita cum Turcis 576
Perla rebellium ductor affectus supplicio 553
Perronius Calvinistas coram Rege Galliæ Henrico IV. convincit 239.
Peru ab Hispanis occupatur 50
Petrus Martyr hæreticus 128
Philippus II Rex Hispaniæ 234
Philippus IV. Rex Hispaniæ 418
Philipsburgum expugnatur à Carolo V. Lotharingiæ Duce 452. *recuperatur à Gallis* 493 *Cæsari redditum,* 575
Picardus & Picardiani hæretici 8
Pietistarum secta 546. *Sectæ hujus rami divisi in varias sectas* 564
Pius IV. Pontifex 151
Pius V. Pontifex 164. *contra Turcas victoriosus* 170
Poloni contra Sigismundum Regem suum conspirant 262. 263
Polygamistæ hæretici 155
Possevinus Legatus à Pontifice ad Magnum Ducem Moschovitarum 196
Postellus hæreticus 130

Pragenses Cæsareos Ministros è fenestrâ precipitant 291
Pseudo prophetæ 273. 278
Pseudo-propheta Peruanus 242
Puritani 161

Q.

Quackeri sectarii 389
Quæstores Regii malè ærarium Regium administrantes 405
Quietistarum hæresis 480
Quintinus hæreticus 63

R.

Ragotzkius Transylvaniæ Princeps invadit Hungariam 357
S. Raymundus de Pennafort 246
Ratiostatistæ 579
Rhœti propter religionem dissident 293
Rhodus occupatur à Turcis 42
Richelius Cardinalis 333. 339. 354.
Roma à Cæsarianis occupata & crudeliter direpta 70
Rudolphus Imper: & Mathias Archi-Dux Austriæ ad bella se invicem lacessunt 265
Rupella rebellis, obsessa 174. à Ludovico XIII. expugnata 328
Rustici rebelles in Austria 386

S.

SChaplerus sectarius 67

Schomascorum Ordo 82 (180
Sebastianus Rex Lusitaniæ cæditur à Mauris
Selymus Imper: Turcarum contra Persas pugnat 28. occupat Syriam 37. & Ægyptum 33.
Servetus & Servetiani 110. 140
Sicilia terræ motibus contussa 95. 516
Sigismundus Poloniæ Rex 28. 68. 234
Sinenses Christianâ fide excoluntur 496. 517
Sixtus Papa V. 217
Societas JEsu fundatur 86. 97. Jubilæum primum celebrat 350
Solymannus Turcarum Imperator irruit in Hungariam, & opprimit Regem Ludovicum, 67 76. 112. 136. 139.
Spangenbergerus hæreticus 109
Spinola expugnat Ostendam 258
Stangarus & Stangariani hæretici 134
Statua in honorem Regis Ludovici XIV. Parisiis erecta 485
Statua in honorem Sanctissimæ Trinitatis Viennæ ab Imperatore erecta 487
Sternbergerus sectarius 154
Stratagema per nuces, quo Ambianum occupatum 232
Sturmius hæreticus 184
Svecia deficit à Sigismundo suo Rege, & ab Ecclesia 232
Sveci Danos premunt 358. Gallis confœderantur 447. 451

Szechenni Strigoniensis Archi-Episcopus bona sua ad pias causas liberalissimè distribuit memorabili testamento 535

T.

TAttenbachius Comes reus læsæ Majestatis capite plectitur 432. 436.
Teckel interpres legis Mahometanæ 25
Teckelius rebellium antesignanus in Hungaria 447. 454. 465. 504
Teutonicus Ordo in Prussia 49
Templum pacis in memoriam belli Turcici à Leopoldo Imper. feliciter confecti 578
Tillius cædit Danos 327
Toletus Cardinalis Legatus missus ad Henricum IV. Regem Galliæ 230
Trastus sectarius 309
Treviris à Cæsareis occupatur, & Elector Viennam captivus abducitur 343 Elector restituitur libertati 360
Trinitarii hæretici 159
Tristanus vivus conditus sale à seditiosis 126
Trombius Hollandorum Archithalassus 381
Truckssius Archi-Episcopus Colonienses deficit ab Ecclesiâ ad Lutheri sectam 199
Turenius Dux Gallicus 361. fit Catholicus 425 ducit exercitum in Germaniam 444. perimitur 448

Vn-

U.

Valentinianistæ sectarii 155
Valesia domus in Gallia extincta 286
Ubiquetarii hæretici 110
Veneti infensi Lusitanis 9. *victi & oppressi* 16. *à Pontifice interdicto subjecti* 261. 263. *pugnant fortiter contra Turcas* 505. 539. 578
Vergerius hæreticus 148
Vesuvius evomit atrociter flammas 336
Vienna peste afflicta 464. *à Turcis obsessa* 468
Victoria navalis Christianorum memorabilis contra Turcas 170
Victoria Cæsaris ad S. Gothardum 413. *ad Szentam* 555. *aliæ victoriæ Leopoldi Imp. memorabiles in Hungaria contra Turcam* 488. 498. 499
Victoria insignis Venetorum contra Turcas 488
Victoria memorabilis Anglorum contra Gallos. 516
Unkti Anglicani hæretici 163
Vrangelius Dux Svecicus infestat Germaniam 365
Ursulinarum Ordo 279

W.

De Wada Archi-Episcopus Coloniensis à fide Catholicâ deficit 114
Wallensteinius Dux Cæsareus perimitur 341

Weimarius Dux Saxoniæ capit Brisacum 347
Westphalus hæreticus 87
Widdii ambo Hagæ-Comitis à populo trucidantur 439
Wilhelmus Neoburgicus Elector Palatinus 507

X.

S. *Xaverius* 116. 127. *à Neapolitanis patronus contra pestem eligitur* 388
Ximenius Toletanus Archi-Episcopus bellicosus 17

Z.

Zaarius Moscoviæ Dux à Leopoldo humanissimè & liberalissimè exceptus Viennæ 570
Zrinius (Nicolaus) Comes ab apro in venatione laceratus 415
Zrinius (Petrus) Comes reus læsæ Majestatis Cæsareæ capite plectitur. 432.436

ERRATA	CORRECTA
P.2.lin.21.Alexandro VII.	Alexandro VI.
p. 6. l. 14. ſede	ut ſede
p. 7. l. 3. Chyſogoni	Chryſogoni
p. 19. l. 15. deo	adeo
p. 53. l. 17. à diametro	è diametro
ibidem l. 26. eum	eam
p. 63. l. 25. animos	animas
p. 79. l. 3. repugnat	repugnant
p. 97. l. 28. illi	illius
p. 101. l. 10. unum	unam
p. 106. l. 15. tribui *adde*	juſtitiam
p. 109. l. 14. Spiritium	Spiritum
p. 139. l. 13. minoris	minoribus
p. 202. l. 12. Franci	Franciſci
p. 209. l. 24. Pononiam	Poloniam
p. 211. l. 3. ab	ob
p. 227. l. 7, perdidiſſimo	perditiſſimo
p. 246. l. 15. Prietio	Brietio
ibid. l. 18. Primum	Primo
p. 248. l. 22. indoſtus	indoctus
p. 252. l. 6. Blaſphema	Blaſphema
p. 259. l. 19. Brugheſius	Burgheſius
p. 266. l. 23. accerimos	acerrimos
p. 268. l. 14. perdidiſſimo	perditiſſimo
p. 271. l. 25. militibus	Militaribus
p. 306. l. 7. ſæula	ſæcula
p. 307. l. 18. ſupplicum	ſupplicium
p. 309. l. 11. fafaceſſivit	faceſſivit
ibid: l. 28. Originis	Origenis
p. 316. l. 24. enſpirationemq;	inſpiratio-
nemque	nemque

p. 331. l. 23. nancius	nuncius
ibid. l. 24. ſuſtilit	ſuſtulit
p. 350. l. 25. Urbano XIII.	Urbano VIII.
p. 359. l. 12. Britaniæ	Britanniæ
p. 359. l. 1. equitaûts	equitatûs
p. 360. l. 27. devinat	devincit
p. 371. l. 19. ſuppeditatas	ſuppeditata
p. 376. l. 25. cappeſſit	capeſſit
p. 381. l. 28. im	in
p. 385. l. 29. Aexander	Alexander
ibid. l. 29. Leopldus	Leopoldus
p. 394. l. 22. Dunkekram	Dunkerkam
p. 421. l. 15. affigitur	affligitur
p. 422. l. 19. Anglorum	Angelorum
p. 440. l. 8. toto	toti
p. 473 l. 18. meliori	melior
p. 548. l. 5. concendunt	concedunt
p. 484 l. 5. Imperalibus	imperialibus
p. 499. l. 7. acerimam	acerrimam
p. 509. l. 14. Tridentinum	Tridentum
p. 559. l. 25. veſtititi	veſtiti
p. 566. l. 12 ſuperdunt	ſuperaddunt
p. 568. l. 3. Patavis	Batavis
p. 575. l. 21. Electorem	Electorum.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN